6
10-e
37 M

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
2 A
56

6-10-e-37

Philippi de Wille
Mechliniensis

XXXIII. 2. 19.

FRANCISCI BENCII AB AQVA PENDENTE, E SOCIETATE IESV,

ORATIONES CVM DISPVTAtione de ſtylo & ſcriptione.

ACCESSIT ORATIO DE MORTE ET REB. GESTIS ILLVSTISS. Principis Alexandri Farneſij Ducis Parmenſis.

EDITIO RECENTIOR & correctior.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

DVACI,
Apud Ioannem Bogardum.
M. D. XCVII.

FRANCISCVS BENCIVS SOCIETATIS IESV

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

ASCANIO COLVMNÆ S.R.E. Cardinli ampliſſimo S. P. D.

IMPETRASTI a Patribus Societatis, quorum a nutu atq; arbitrio totus pendeo; Aſcani Columna Cardinalis, vt declamatio mea de Romæ veteris ac nouæ principatu, ſexennio antè habita in gymnaſio no-

uo, ederetur in vulgus: ego vero eorum permiſſu plus etiam præſtiti, quam rogaſti: nam & orationes prętetea aliquot, tum quæ mandatæ olim typis, tum quę deſcriptę a meis, opinor, auditoribus, erant in manibus multorum (quarum tu nonnullas, cum eæ dicerentur, audire voluiſti) collegi in vnum corpus, vt hoc a me tibi munus, ſi non melius, at certe cumulatius extaret.

Non ignoro in iis impolita multa eſſe, aliqua fortaſſe repetita pluribus locis, pleraque ſcripta tantum Romanæ, quam erudiebamus, iuuentuti: neque enim eo animo ſcribebantur a nobis, vt aſpicerent lucem: ſed tamen quoniam & editæ iampridem vagabantur diſperſæ, & quæ per manus traditæ, fiebant exſcribendo mendoſiores, perſuaderi mihi ſum paſſus ab amicis admonenti-

nentibus, vt congererem bonam partem illarum,& vterer opportunitate tum voluntatis, tum etiam amplitudinis tuæ: a qua videlicet veniet, vt quæ a te vno probabuntur, probentur ab vniuerſis.

Accipe igitur hoc munus, qualecumque eſt, debitum tibi, ea fronte, qua ſoles noſtra, tuendumque ipſum exiſtima ſub vmbra nominis & auxilij tui. Ego quidem, vel ex eo quod vetera tua in me beneficia ſemper cumulas recentibus, ſpem capio futurum, vt tua humanitas & patrum meorum obſeruantiam erga te, & meam tibi obſequendi cupiditatem non ingratam fuiſſe declaret. Vale e Collegio Romano Prid. Kal. Octobr. M.D.XC.

INDEX ORATIONVM.

I. Pro Roma vetere aduerſus nouam. pag. 1

II. Pro Roma noua. 8

III. Iudicium. 15

Hæ tres orationes habitæ ſunt a diſcipulis.

IIII. Cohortatio ad eos qui gymnaſium Societatis Ieſu Romæ frequentant. 17

V. De diſcrimine inter virum doctum atque indoctum. 24

VI. De laudibus Laboris. 34

VII. De laudibus Poëticæ, cum contiones Virgilij ſumpſiſſet explicandas. 40

VIII. De iiſdẽ, cum explicare cœpiſſet Catullum de nuptiis Pelei & Thetidos. 48

IX. De vitæ integritate coniungenda cum eloquentia, cum ad libros Ariſtotelis de arte dicendi ſecundo explanandum aggrederetur. 53

X. Eiuſdem argumenti, cum perueniſſet in ſecundo libro ad eum locum, in quo de ætatum moribus diſputatur. 60

XI. Cur adoleſcentes aliquot in dicẽdi ſtudio minus proficiant: cum eoſdem libros tertio interpretaretur. 66

XII. Explicaturus orationem M. Tullij pro P. Sextio. 72

XIII.

XIII. Poſt ferias Paſchales aggreſſurus ad orationem in L. Piſonem. 79
XIIII. Ante ferias Autumnales, cum ſtudia proferrentur. 82
XV. De officio docentis. 89
XVI. Laudatio Gregorij Tertiidecimi: habita ab vno e diſcipulis in aula Gymnaſij. 95
XVII. In funere M. Antonij Mureti. 100
XVIII. In funere Alexandri Farneſij Cardinalis: Romæ habita ab vno e diſcipulis. 108
XIX. In funere eiuſdem: Parmæ. 114
XX. In funere Alexandri Farneſij Ducis Parmenſis. 121
XXI. In funere Antonij Carafæ Cardinalis. 140
XXII. De ſancto Paulo Apoſtolo, ab vno diſcipulorum habita. 159
XXIII. De Chriſti Domini exceſſu: habita in ſacello Pōtificum Vaticano, ad Gregorium XIII. 164
XXIIII. De eodem, ad Sixtum V. 167
XXV. De comparatione nauis & reipublicæ, audiente Aſcanio Columna Cardinale. 170
XXVI. De funere antiquorum Romanorum, eodem audiente. 196
De ſtylo & ſcriptione. 186

FRAN-

FRANCISCI BENCII
E SOCIETATE IESV
ORATIO PRIMA.
Pro Roma vetere aduerſus nouam.

NVmquam exiſtimaram fore, Auditores, vt vrbs illa, quæ orbem terrarum complexa armis, inuidiam gloria, gloriam virtute ſuperauit, non habitura eius excellentiæ æmulam, cuius non habuiſſet exemplum, ab vna aliqua, cuius naſcentis dignitati præfuiſſet, hoc conſeſſu audiente, & quaſi diſceptante, in iudicium vocaretur: ſi pareret, cum vtrique primæ ſine controuerſia deferantur ab omnibus, ab hac illi priores dari oportere. quis enim aut non æquum putaſſet, vt illa eius amplitudini creſceret, de cuius opibus creſcebat: aut veritus eſſet, ne alicuius magnitudine laudum huius luminibus obſtrueretur, quæ res humanas prætergreſſa, proximum cœlo caput efferebat? Verum rem euenire multo aliter intelligo, hoc potiſſimum tempore, quo, vt audio, inſtituta eſt eiuſmodi concertatio, & oratio comparata, qua Ro-

ma hæc Christiana, quantacumque eſt, quæ certè maxima eſt. Romæ illi veteri non conferatur ſolum, ſed etiam, ſi Deo placet, præferatur. Quo facto cum metuerem, ne, ſi aut patronum illa non haberet, non meruiſſe patrocinium: aut, ſi laudatorem non inueniret, perdidiſſe laudem, nec laborare tantum cauſa, ſed etiam fide videretur: meliore fide quam facultate, cauſſæ tamen bonitate fretus, ſuſcepi hunc laborem, mihi vt arbitror honeſtum, rei quæ agitur neceſſarium, iucundum vobis, ac fortaſſe vtilem. Auditores, vt aliquas ex innumerabilibus proferam rationes, quibus vrbem illam, quæ reliquarum domina vrbium, huius autem mater fuit, quemadmodum i lis olim ita ſe anteferebat, vt cum eſſent omnes in eodem curſu ad laudem, eſſe in eodem curriculo nō viderentur: ſic etiam hodie huic ipſi, quam vnam, proximam quidem, ſed longo tamen interuallo proximam habet, præcurrere conuincam. Et quamquam mea res ita ſe habet, nihil vt verear aduerſariorum induſtriam, admirer potius audaciam: tamen cum mecum ipſe cogito, quam perſonam dicendo ſuſtineam, quam arguendo oppugnem, in qua ſcena hæc quaſi fabula agatur: etſi nihil video quod timeam, non timere ſine aliquo timore non poſſum. nempe pro Roma vetere dico, pro qua cogar ea ſæpius inculcare, quæ minora illa quidem vero ac fama, ſed maiora tamen communi fide atq; omnium ſuſpicione videbuntur. Romam vero nouam etſi non tam oppugno, quam, cum video quomodo ornetur ſuis laudibus, prouideo ne oneretur alienis: non ignoro futuros multos, qui noſtræ fauentes ætati ac nomini, me non tam inuidum, quam impium clament:

neque tantum imperitiæ, ſed etiam ſtultitiæ, impudentiæque condemnent. Quos, ſi qui ſunt in hoc numero, primum oro, vt ponant perſonam amici, cum induunt iudicis: neq; ſe verborum potius ſpecie ac falſis nominibus, quam rerum ponderibus duci, & veritate, patiantur: deinde vero, vt ne quidquam arbitrentur de Chriſtianæ Romæ dignitate decedere, etiamſi veteri eam concedere fateamur: quando ſatis eſt, ad eius amplificationem laudum, ex omnibus gentibus atque ætatibus dignam eſſe viſam, quæ cum ampliſſima orbis terrarum principe, de honoris ac nominis principatu æquo quaſi iure contenderet: vt ſi par fuit illam non tamquam rem paruam cum magna, inter quas nulla eſt comparatio, ſed maximam cum maiore conferri, honeſtum etiam videatur prima ſequentem in ſecundis, neque enim dicam, in tertiis, aut quartis conſtitiſſe: & gaudeant illam tantum ab hac vna vinci, quantum ab ipſa vincantur vniuerſæ. Nolite enim cogitare, cum de Roma verba fiunt, A. fieri verba de re quadam communi & humana, aut vna etiam e multis: ſed fingite veſtris animis ſingularem quamdam & exaggeratam omni laudum genere vrbis altitudinem: vt nullum imperium optarint a Deo homines, nullum hominibus dederit Deus, aut amplius, aut illuſtrius, quam illud, quod olim cum hac ipſa vrbe terrarum domina, cœli, vt ita dicam, vicaria, communicauit: quæ a paruo quidem, vt ferme omnia, principio, victoriis numerans bella, ſubactis victorias proprias prouinciis, ita admirabili progreſſione, ac curſu plane incredibili venit ad ſummum, vt tamquam ſolis æmula, ex occidentis partibus gloriæ ſplendorem iaciens in o-

rientem, breui omnes terras ſui nominis admiratio-ne, & armorum fulgore compleuerit. Quamquam ipſius quidem ortum non tam paruum fuiſſe exiſtimem & obſcurum, quam propter venerationem quamdam ac religionem, vt ipſius etiam nomen, quod nefas fuit efferri in vulgus, ignotum. loquar cum Chriſtianis chriſtiane, Auditores: neque monſtris illis ac portentis, quos olim deos appellabant, tribuam aliquid: quid enim eſt iis tribuendum? ſed dicam id quod res eſt. egregiam profectò huius vrbis originem fuiſſe oportet, quæ aut ipſa propter tacitum quaſi myſterium ignoratur, aut ad eos refertur, qui diuino ſanguine nati eſſe dicebantur. neque enim vos fugit, diuinis ea nominibus affici vulgo ſolita, quæ maiora eſſent, quam vt ab homine viderentur poſſe proficiſci. Neque tamen eam, ſi ad veram oraculorum normam dirigatur oratio, aut ſacrarum literarum monumentis tacitam, aut ſacrorum virorum, qui res futuras Dei inſtinctu videbant, atque impulſu loquebantur, vaticinationibus ignotam crediderim: cum quidam & ab Eſau, altero magni illius Iſaacij filio, Romanorum ſtirpem repetant, & a vate quodam minime obſcuro, Romanos verbo quodam Hebræo, quod Latine gentem ſonat, prædictos fuiſſe confirment. ne putet ſolum eius magnitudinem, atque æternitatem, aut a capite humano inuento in extructione Capitolij aut a iuuentute ac Termino loco non cedentibus, aut a Veſtæ æternis, vt dicebant, ignibus, aut ab ancilibus cœlo demiſſis prænuntiatam, ac præſignificatam fuiſſe. ſcilicet Dei permiſſu factum eſt, vt quæ vrbs futura erat vtriuſque religionis, falſæ videlicet, ac veræ, magiſtra & caput, eius vrbis extarent

aliqua apud vtramque religionem prædictionum teſtimonia. Videte quam vere ac libere agam, Auditores: tantum abeſt vt nouam vrbem falſo reprehendam, vt veteris etiam laudes cum ea communicem: cum contra futurum arbitrer, vt qui pro noua dicturus eſt, ex iis laudibus quæ ſunt propriæ veteris, multo maximam partem nec ſine verecundia ſurripiat, & ſine gratia decerpat: ſed faciat ipſe ſuo arbitratu. neque enim eſt locupletis ac plenæ domus, cum domino abunde ſatisfaciat, in omnium bonorum affluentia furtorum damna ſentire: & pauperis eſt atque inopis. in alieno quærere quod in ſuo non habet. Commodum nata erat, non vt dicam quod ſentio ipſe cum paucis, ſed vt aſſentiar pluribus, Roma, cum in ipſis incunabulis angues duos, quorum amplexu circumplicabatur, Sabinorum ſcilicet populum, ac Latinorum, multo verius ac fortius, quam de Hercule ferunt fabulæ, contriuit, ac fregit: ſic vt volentes nolentes ſibi parere coëgerit: rem plane admirabilem, ac, niſi de vrbe Roma diceretur, prorſus incredibilem: quam primum ſperaſſe, fuit animi magnitudinis: tentaſſe, virtutis: perfeciſſe, felicitatis. Quod ſi talem ſe præſtitit in pueritia, atque adeo in infantia, nempe ſub regibus: quam deinde dicemus eam fuiſſe in adoleſcentia, ſub conſulibus, ad illud vſque tempus. cum paulatim in remotiores oras armata efferueſcens vniuerſam Italiam virtute ac victoria domuit? qualem porro in iuuenta ad Auguſtum vſque Cæſarem: qua victrices in totum terrarum orbem manus terra marique porrexit? quantam denique conſequenti ætate quaſi ſenecta qua ſibi indulgere, & in ſummo otio negotiorum fructum capere videba-

tur? Nimirum vt curſu vincitur curſus, ita ætas vincebat ætatem: & cum iam aduerſariam nullam haberet gētem, vere vt dicamus, ſecum ipſa certauit: & quem foris hoſtem non habebat, inuenit domi: vt quo exemplo extructiones illius veteres quantumuis altæ ac magnificæ, terra cedente, atque inclinante pondere ſunt depreſſæ; eodem, ipſa vrbs, qua nihil altius aut magnificentius ne cogitari quidem poterat, ſua labans ac laborans magnitudine, atque æuo confecta, quod æuũ ipſum fore nō poſſet, ſuapte ſponte ac mole deſederit. quod vnum quamquam deplorandum eſt potius, quam reprehendendum: tamen, ſi placet, integrum atque illibatum aduerſario relinquamus: ne nihil ſibi relictum eſſe conqueratur. Nos autem, quoniam videmur ſatis proluſiſſe, pedem propius conferamus. loquimur enim de vetere Roma, vrbe ne, an ciuitate? de murorum, ædium, templorum, priuatorum publicorumque operum amplitudine, firmitate, ac ſpecie: an de reipub. temperatione, inſtitutis, legibus? an vero de ciuium fortitudine, prudentia, iuſtitia, moderatione, & moribus quorũ res geſtæ ciuitati tribuuntur? an ſimul de vniuerſis? quantam enim maieſtatem, quam formam putas fuiſſe pulcherrimi huius corporis, quantum decus viuentis ac vigentis: cum tantum, quantum videntes vix credimus, in ipſius cadauere atque adeo in ſepulcro appareat? cũ ex eius reliquiis, ac rediuiuis, ex rutis inquam ac cæſis, ex parietinis excitentur ea, quæ aut principibus viris ædificantur domicilia, aut piis cœlitibus conſecrantur templa: quæ tum denique nonnihil habere videntur venuſtatis, cum antiquorum, quoad fieri poſſit umbram aliquam atque imaginem habent?

Quid

Quid enim hoc loco narrem ampliſsimos circos, theatra ingentia, inſanas ſubſtructiones, excelſis ſuſtẽtatas columnis porticus, porticibus baſilicas, balneas cultu ſumptuq́ magnifico. ſigna ærea, lapidea, eburnea, maxima laxitate ædes, ac dignitate inſulas, in his aurata tecta, ſola marmorea, bellicæ laudis victoriæq́ inſignia ac monumenta, impiorum numinum profana fana ac delubra, non egregiis modo locupletata picturis, ſed gemmis auroque fulgentia, eo ſplẽdore atq; opere, vt ars certare videretur cum materia? quid perfoſſos montes, æquatas valles ad fluminum deriuationes, ad aquarum ductus: qui, vt ſit hoc vnum exemplum inſtar omnium, vel a quadrageſimo milliario, cum in eam excelſitatem extollerentur, vt omnibus eſſent vrbis montibus altiores, in vrbem ipſam videntur aquas infudiſſe, diuitiarum flumine profuſo? erogata eſt enim in illud opus pecunia quaſi infinita: ter millies: qui numerus complectitur nouies illum reuera maximum decies centenum millium: eo ſumptu, atque opere, vt inuentus ſit qui diceret, nihil magis fuiſſe mirandum in toto orbe terrarum. Quid memorem immenſam aliquam, atq; ad cœlum extructam molem: cum omnes eiuſmodi fuerint, vt ad vnum quoduis explendum opus, operæ omnium hominum & manus, ex omnibus terris deuictis, per multos annos videantur fuiſſe neceſſariæ? An non videntur hæc omnia & alia quæ prætermitto quamplurima, tot & tanta, vt non alia pulchritudo, & magnitudo vrbis extiterit, quam ſi mundus alius vnum in locum, oſtentationis cauſſa & pompæ, confluxerit? vt videatur merito imperator ille Conſtantinus, Magni Conſtantini filius, cum

tius, cum primum eam vidiſſet, templum orbis terræ magnificum appellaſſe, & famam accuſaſſe, quæ cum rebus narrandis affingat ſemper aliquid, quo faciat maius quod nuntiat, in Roma ipſa contra faceret, in qua maiora omnia re quam auditione viderentur: neque ſtulte omnino dixiſſe, cum de eo quæreretur quid de vrbe ſentiret, maiorem ſe omnium opinione cum admiratione coniunctam percepiſſe voluptatem, non nihil tamen ex eo adſperſum moleſtiæ, quod ibi etiam homines mori didiciſſet. Nempe par videbatur homini, qui tali obſtupuiſſet ſpectaculo, vt qui vrbem illam colerent, quæ vnius eſſet cœli imitatrix, illos ab omni mortalium abſtractos conditione immortalitas quædam ſequeretur. Et ſunt tamen qui hanc vrbem cum vetere contendant, & audeant etiam magnam aliquam ex ea contentione, ſi forte vobis imponant, ſperare victoriam. ſed abeamus ab iis rebus, quarum etiam oculi, non animi tantum, exiſtimatores eſſe ac iudices poſſunt. Accedamus ad laudes Senatus ac Populi, quem vnum Deus ille cœli terraq; moderator e populis ac gentibus elegit omnibus, vt omnibus imperaret: ad illum inquam populum, cuius ſic longe lateque diffuſa eſt virtus bellica & maieſtas, vt imperij fines ampliſsimi, non terræ, ſed cœli regionibus terminaret: qui terrarum omnium victor, ac domitor nationũ, regna diripiebat, leges ac libertatem exteris dabat, annorum rationem ac menſium interualla corrigebat, ſupplebat, emendabat, poteſtate proxime ad Dei numen accedebant: cui nec Pyrrhi virtus, nec Hannibalis fraus, nec Gallorum terror, nec Macedonum robur, nec Græcorum calliditas, nec Hiſpanorum

multitudo, nec quorumcumque barbarorum auda-cia potuit rectam illam atq; arduam, quæ ad celſiſ-ſimam imperij arcem via ferebat, aut mari aperto claſſibus, aut terra oppleta cadaueribus, nec armo-rum fulmine, nec flumine ſanguinis intercludere. e-merſit .n. ille ex difficili itinere, atq; ancipiti, quod ſi-bi ferro manuq; aperuerat: quibuſq; victoriis quaſi gradibus, ſubactis prouinciis aliis atq; aliis, vt noua bellorum ſeges noua eſſet materia triumphorum, ar-matus ad ſummam dignitatem aſcenderat, tandem aliquando in faſtigio rerum ſedens togatus aſpexit. quo ſcilicet tempore, imperio rerum conſtituto, tam præclaros viros, tanto honore, auctoritate, virtute, conſilio, rerum ſcientia, atque eloquentia præditos tulit, vt non minus admireris in eius ciuibus orna-menta pacis, quam inſtrumenta victoriæ, & adiu-menta bellorum. Prætereo imperatores illos, non mi-litum, ſed aliorum imperatorum (omnes enim Ro-mani milites imperatoria erant virtute & pruden-tia) quorum ſi facta conſideres, Alexandri illius, quem haud multo minor Hannibal Pœnus impera-torum maximum eſſe pronuntiauit, Magni cogno-mentum tranſlatitium: horum vero proprium eſſe cenſeas: vt quemadmodum Deus illam vrbem dedit gentibus, ſic illi vrbi tales viros dediſſe videatur. Ta-ceo triumphos clariſſimos, atq; omnium ſermone ce-lebratiſſimos. Quam enim illam triumphi ſpeciem ac pompam Pompeianam fuiſſe dixeris, in qua vno bello deuictarum arcium mille, vrbium nongenta-rum, depreſſarum aut captarum nauium octingen-tarum prælatas imagines, titulum vero plus quat-tuordecim gentium diuerſarum Romano parere im-

perio coactarum, didicimus? Omitto principem illum ſalutis mentiſque publicæ ſenatum, regum illum cõſeſſum ampliſsimum, vt ſumma cum eloquentia ac memoria Cyneas, factus ex Pyrrhi ad vrbem legato vrbis ad Pyrrhum laudator, appellauit. Mitto ſenatores ea oris dignitate ac maieſtate, vt ipſis etiam hoſtibus, ac victoribus Gallis ex iracundia motis ad venerationem, numinibus ſimiles eſſe viderentur. Prætermitto funerum pompam apparatiſsimam, ludos circo caueaque diuiſos: quos vtroſq;, pro ſancte Deus, quo apparatu dabant, quo ſplendore, qua magnificentia? profecto cum de iis audimus aut legimus, niſi fidem faciat grauis ſcriptorum auctoritas, leuia videantur & fabularum ſimilia. Quale enim fuit, & quam admirabile ſpectaculum, omnis ille Cæſaris arenæ apparatus argenteus, Neronis theatrum opertum auro, ſcena triplex Æmilij Scauri, cuius ima pars e marmore, media e vitro, ſumma erat ex auro: quam ſuſtinebant columnæ trecentæ ac ſexaginta, inter quas diſpoſita ſignorum ex ære tria millia numerabantur? Quid fuit videre in Traiani ad vrbem reditu, per ipſos dies centum & viginti, omnia ferarum genera in circo: vt vno interdum die decem millia beſtiarum conſicerentur? quid cum Philippus, cum celebraretur ab ipſo die vrbis natali milleſimus annus, dedit paria gladiatorum mille: cum Probus alio tempore apros mille, ceruos mille, leones trecentos, totidem vrſos, centum leænas, atque animantia innumerabilia vnum in locum immiſit, quot vix ex omnibus ſiluis emitti poſſe arbitremur? audeat hæc hodie ſperare Roma, quæ hodie hæc cum audiat, e ſua infirmitate iudicium faciens de alterius viribus, non

ſolum

ſolum facta non credit. ſed ne poteſt quidem quomodo fieri vmquam potuerint vlla ratione ſuſpicari. Nihil dico de ſacrorum generibus, ſex & ſexaginta, de cærimoniis ac ritibus, quibus deorum numerum plus quam triginta millium venerabantur: quibus, ſi ad mentem meliorem tantas diuitias opeſq; contuliſſent, nihil fuiſſet magnificentius. ſileo de foro populi omnium victoris gentium, in quo non de legibus modo, ac magiſtratibus, de bello gerendo, aut de pace, de vectigalibus, de regnis dandis aut auferendis, ac de rebus longe maximis conſulebantur illi terrarum domini, & moderatores, ſapientiſsimis verbis grauiſſimiſq; ſententiis ornata oratione & perpolita, verũ etiam cum diuturnitas pacis otium confirmauit, ſuaui aliquo poëmate & erudito, quod non ſine cœleſti mentis inſtinctu fundi putabant poſſe, capiebantur, quæ ipſa cum ita in ipſis mutis atque inanimis libris miremur, quanto magis admiraremur, ſi audiſſemus illos in tanto ingenij ac virtutis theatro, vel de rebus dicẽtes ad gerendum & ſcribendum maximis, vel res geſtas ita ornate & grauiter explicantes, vt immortalis imperatorum gloria mortuorum in ipſis adhuc ſcriptis viuere, & mens ipſa ſcribentium ſpirare videatur? Hæc apud doctos ac ſapientes viros, magis temporis breuitati ſeruiens, quam cauſa magnitudini, percurro. ſatis enim fuit vos dicto admonere. Quid contra habet, quod his rebus omnibus, quæ de ciuitate veteris Romæ diximus, opponat iſte egregius laudator, qui ad nouæ laudes eam ſe laudationis lucem afferre poſſe confidit, vt in eius lumine noſtra ne cernatur quidem? an bellorum commendationem, quorum finis victoria: victoriarum, quarum

rum indices triumphi:triumphorum, quibus nulla afferet obliuionem vetuſtas: obruet aut compenſabit commemoratione illorum temporum, quibus in illa tempeſtate ac nocte ruentis reipub. procella illa, flamma, vaſtitas, peſtis Italiæ, barbaræ illæ gentes, fame compulſæ, incitatæ opibus, moribus atque immanitate efferatæ, ſe ſe e frigoribus ac niuibus in Italiam, atque adeo in agrum Romanum ſubito impetu effundentes, quacumque ſe ferrent, vaſtatis rebus ac perditis, omnia calamitatis vno genere comprehenderũt, atque huius vrbis, nouæ inquam vrbis & Chriſtianæ, non modo extinxerunt ſalutem, ſed etiam infregerunt gloriam? qui iidem ſi in illos Camillos, Papyrios, Fabricios, Fabios, Scipiones, Æmilios, Pompeios, atque id genus viros, talium domitores monſtrorum incidiſſent, quanta celeritate, eorum non modo aſpectu, ſed nomine perterriti, tamquam feræ in eadem ſe recepiſſent latibula, quæ reliquerant, & ignauiam fugæ confitentes, tenebrarum ſeſe & montium obiectu tegere cupiiſſent? Sed profecto captarunt inclinationem temporum, in quibus hæc langueſcens reſpublica non modo ſuccum & ſanguinem, ſed colorem etiam ac ſpeciem amiſerat priſtinæ ciuitatis. Refugit animus, eaque reformidat dicere, quæ meminiſſe ſine lacrimis non poſſum: quam infeliciter ac turpiter Gothorum, Viſigothorum, Oſtrogothorum, Vnnorum, Vandalorum, Bulgarorum, barbara tum facta tum nomina, intra annos paulo amplius centum quadraginta remp. Romanam afflixerint, deleuerint, euerterint. ſexies ab hac hominum fæce & colluſione, libertati populi Romani atque opibus imminentium, obſeſſa, vexata, expugnata, capta, direpta, ſpoliata,

ſpoliata, incenſa eſt: toties immanis illa furia in ſanguine nobiliſsimorum ciuium, atque in cinere conſtiterunt deflagrati imperij. Nam, vt omittam miſeram illam, quam patres noſtri non multis ante annis viderunt, nos adhuc etiam pœne ſentimus, cladẽ: anno poſt Chriſtum natum quadringenteſimo tertio decimo, duce Alariso, capta eſt vrbs noua: quæ vetus cum eſſet, orbem terrarum ceperat vniuerſum. Conſecuta eſt quadrageſimo poſt anno crudelis & bonorum ſanguine redundans Genſerici victoria: quo tempore admirabile illius Vectij augurium, qui, ex duodecim vulturum qui Romulo ſunt viſi numero, cum ſingulis vulturibus centenos annos attribueret, Romam poſt milleſimum ducenteſimum annum interituram eſſe coniecerat, rei exitus comprobauit. ſiquidem miſer ille ac miſerandus reip. occaſus in milleſimum ac ducenteſimum ab vrbe condita annum incidiſſe perhibetur. Vix abierat annus alter & vigeſimus, cum Odoacer, qui terruerat armis parui illum nominis paruiq; ominis Auguſtulum, & auguſtum imperium euertit, & auguſtam vrbem debilitauit, in anguſtumq; deduxit: vt quæ condita & aucta anno ante quingenteſimo ab Auguſto fuerant, ea ad poſtremum diminuta & perdita ab Auguſtulo dicerentur. Poſt Odoacrem anno quartodecimo Theodericus: poſt eum quinquageſimo Beliſarius: non ita multo poſt, anno duodecimo Totilas, formidoloſum illud nomen, non modo ſubiectam ſibi ac supplicem, ſed etiam exhauſtam, nudatam, exinanitam, exuſtam, deſertam, opibus vacuam atq; hominibus, quaſi ſolum eſſet atq; area; vrbem viderunt. Videre mihi videor: miſerum me, cogor hæc di-

cere non vt exprobrem alicui aduerſam fortunam, aut in aliorum calamitate inſultem, ſed vt excitem alios ſuæ cauſæ indormientes, & tactis quaſi vulneribus dolere doceam dolorem ſuum, non alienam arrodere dignitatem: videor mihi videre hanc vrbem, olim lucem orbis terrarum atque omnium gentium, oppreſſam atq; extinctam. Verſantur mihi ante oculos infeſtæ illæ ac funeſtæ faces in pulcherrimas domos & antiquiſsima tecta coniectæ, fortunarum direptiones, militum concurſationes, fuga puerorum, vexatio virginum: cæduntur per vias exacta ſenes ætate, infelicia viuentium cadauera: diuelluntur ac diſtrahuntur liberi è complexu parentum: matresfamilias ad prædam atq; ad libidinem abducuntur: infantium ploratu, feminarum lamentatione, morientium gemitu, clamore barbarorum, tectorum fragore ac ſtrepitu concidentium, omnia perſonant: præſtinguit oculorum aciem diſtrictorum acies gladiorum, & fulgor multa cæde rubentium. Cerno animo ſepultam patriam, inſepulta corpora ciuium in ſuo cruore natantium: armis, flammis, cinere, cadaueribus, ſanguine, luctu omnia complentur. nimirum illa vrbs, quæ totius orbis terrarum erat extructa victoriis, ita corruebat, vt ſuis ipſa populis & exitium fieret, & ſepulcrum. Hæc te meditari opus fuit, quiſquis es, qui nouam vrbem ſuſcepiſti laudandam: ad id te comparare, atque hoc defendere: non illud cogitare animo, quod nec ſequi ratione debeas, nec aſſequi oratione poſsis. Muta, mihi crede, iſtam mentẽ: &, ſi me audis, quam paraſti declamatiunculam ad vrbem nouam plus æquo extollendam, ad veterem mecum laudandam, aut ad tuam quomodocumq;

excu-

excuſandã, culpamq́, minuendam, conuerte: quando eius vitio factum eſt, vt quæ ei bona maiorum virtus aut felicitas pepererat, omnia amitterentur, & Romani nominis memoria cum veſtigio imperij, non modo ex æternis hiſce ſedibus; verum etiam, quantum in ea fuit, ex faſtis ac litteris omnium linguarum ac gentium tolleretur. Reuerere omnium, qui hic ſunt, ac te audient, ora ac vultus: qui quoniam vere Romano ſunt & genere, & animo, vtriuſque ad ſe Romæ gloriam pertinere arbitrantur: neutri magis fauentes, quam alteri: vtra vincat, aut vincatur, victores futuri. Vide, ne ſi ad errorem iſtum mentis adhibeas contumaciam profectam ab inſcientia, nõ ſolum te ſtultitiæ pudeat, verum etiam pigeat. Nam ſimul ac perfici videbis non poſſe, quod efficis, primum quidem vani te conſilij, deinde vero irriti etiam conatus pœnitebit.

DIXI.

ORATIO SECVNDA
Pro Roma noua.

S*ATIVS profecto fuerat, A, acerrimo illi Romæ veteris, id eſt, impiæ, patrono, non iuſtiſſimo nouæ, id eſt piæ, & Chriſtianæ, aduerſario, vbi diuinis illam laudibus ſuo arbitratu extuliſſet, & Romanos homines, vſurpato eorum more, diis vti dicebat ſimiles, in cæleſtium numerum intuliſſet, & ſuæ defenſio-*

ſenſioni: arcem ſtrenue muniiſſet, aut ad noſtram oppugnandam luce palam excurrere, aut ſi maluiſſet, prolatis rationibus, quaſi collatis ſignis concurrere: neque tamen illud opus, ſed ne æquum quidem, fuit, cum primum in conſpectum veniſſet hoſtium, ad pompam tantum ac ſpeciem inſtructam oſtendere aciem, neq; auſum tentare aleam pugnæ, cæcas illas in nocte ac tenebris coniicere faces, quibus tantum excitatum eſt incendium, vix vt ad illud reſtinguendum audeam accedere. Enumeratæ ſunt extrema oratione, vt magis in animis adhæreſcerent, Romanæ calamitates, ac miſera illa tempora, quorum ſi non tolli poſſet memoria, commemoratio certe intermitti debuiſſet. Quod quidem fecit ea notatione annorum, ac deſcriptione perſonarum, vt mihi quidem, cum ſingillatim omnia narraret, & ſimulate etiam pleraq; lamentaretur, mulier conducta ad cadauer laudandum, vnde mercedem quæreret, non vir productus ad corpus lædendum, vnde ſperaret victoriam, & poſtquam ſuperbiam expleuiſſet, miſericordiæ famam captare videretur. Et quamquam non vereor, ne mea hæc iuſta atq; honeſta, vobis etiã grata futura defenſio, obſtrepatur illo clamore militum, & tubarum ſono: tamen, quoniam adhuc non prætervecta eſt aures veſtras illa funeris lamentatio, & præſtinguit oculos infeſtus ille armorum fulgor & ignium, non quod peiore in cauſa dicam timeo, ſed quod loco poſteriore. Nam ſi Theodorus ille, princeps ſuæ ætatis ſcenicorum, adduci numquam potuit, vt concederet primum locum in agendo alteri, qui partium eſſet etiam vltimarum: quod diceret occupari auditores ab eo qui primus exiſſet: quanto maior mihi

ior mihi fuit huiuſce oneris ac muneris, non deſerendi, ſed defugiendi cauſa: cum eius ſuccedam orationi, qui non tantùm miſeram, ſed etiam turpem Romæ ſpeciem in oculis veſtris animiſq; defixit: atq; id egit, vt vos cum audiretis deformatæ illam formã reip. non quidem conuerteret ad miſericordiam, ſed auerteret ab amore? Et ſane cum viderem, quæ res aperte peti debuit, eam cuniculis oppugnari: & ne recta ineatur via diſputationis, quæri diuerticula: abieciſſem libenter libere dicendi voluntatem, niſi veritus eſſem, ne mea aut diſſimulatio, aut taciturnitas, Romæ noceret, ita vt ipſa aut ſuperba videretur, aut victa: quorum alterum erat Chriſtianæ immemorem eſſe diſciplinæ, alterum magnitudinis. Dicemus igitur pro noſtra Roma, Auditores, non adſciſcendæ magis laudis, quam depellendi criminis cauſa, quædam breuiter, ac ſimpliciter, qualem eſſe ſermonem decet veritatis: vt agnoſcat ille, qui pro vetere dixit, veterator, nec dicere me omnia, vt ne Chriſtianæ deeſſem modeſtiæ, voluiſſe: neq; etiam nihil, vt adeſſem cauſæ, potuiſſe: neque in hoc tantum officij, ſed etiam pietatis laudem quærere debuiſſe. Impius ſit enim, non modo improbus, oportet, qui receptam prouinciam oratione defendendi aduerſus aliorum calumniam hanc vrbem, ſedem ſanctitatis atq; imperij, matrem omnium dignitatum, & vitæ magiſtram, non ſine præuaricationis crimine relinquat: cum glorioſos illos & beatos putemus, quos in ſuſcepta pro eius ornamentis contentione, non vox tantum & oratio, ſed ſpiritus & vita defecit. Quæ eſt enim, aut quæ fuit vmquam poſt hominum natum genus, vrbs auguſtior, ſanctior, diuinior, hac vna,

tius, cum primum eam vidiſſet, templum orbis terræ magnificum appellaſſe. & famam accuſaſſe, quæ cum rebus narrandis affingat ſemper aliquid, quo faciat maius quod nuntiat, in Roma ipſa contra faceret, in qua maiora omniā re quam auditione viderentur: neque ſtulte omnino dixiſſe, cum de eo quæreretur quid de vrbe ſentiret, maiorem ſe omnium opinione cum admiratione coniunctam percepiſſe voluptatem, non nihil tamen ex eo adſperſum moleſtiæ, quod ibi etiam homines mori didiciſſet. Nempe par videbatur homini, qui tali obſtupuiſſet ſpectaculo, vt qui vrbem illam colerent, quæ vnius eſſet cœli imitatrix, illos ab omni mortalium abſtractos conditione immortalitas quædam ſequeretur. Et ſunt tamen qui hanc vrbem cum vetere contendant, & audeant etiam magnam aliquam ex ea contentione, ſi forte vobis imponant, ſperare victoriam. ſed abeamus ab iis rebus, quarum etiam oculi, non animi tantum, exiſtimatores eſſe ac iudices poſſunt. Accedamus ad laudes Senatus ac Populi, quem vnum Deus ille cœli terræq; moderator e populis ac gentibus elegit omnibus, vt omnibus imperaret: ad illum inquam populum, cuius ſic longe lateque diffuſa eſt virtus bellica & maieſtas, vt imperij fines ampliſsimi, non terræ, ſed cœli regionibus terminaret: qui terrarum omnium victor, ac domitor nationū, regna diripiebat, leges ac libertatem exteris dabat, annorum rationem ac menſium interualla corrigebat, ſupplebat, emendabat, poteſtate proxime ad Dei numen accedebant: cui nec Pyrrhi virtus, nec Hannibalis fraus, nec Gallorum terror, nec Macedonum robur, nec Græcorum calliditas, nec Hiſpanorum

multi-

multitudo, nec quorumcumque barbarorum audacia potuit rectam illam atq; arduam, quæ ad celſiſſimam imperij arcem via ferebat, aut mari aperto claſsibus, aut terra oppleta cadaueribus, nec armorum fulmine, nec flumine ſanguinis intercludere. emerſit .n. ille ex difficili itinere, atq; ancipiti, quod ſibi ferro manuq; aperuerat: quibuſq; victoriis quaſi gradibus, ſubactis prouinciis aliis atq; aliis, vt noua bellorum ſeges noua eſſet materia triumphorum, armatus ad ſummam dignitatem aſcenderat, tandem aliquando in faſtigio rerum ſedens togatus aſpexit. quo ſcilicet tempore, imperio rerum conſtituto, tam præclaros viros, tanto honore, auctoritate, virtute, conſilio, rerum ſcientia, atque eloquentia preditos tulit, vt non minus admireris in eius ciuibus ornamenta pacis, quam inſtrumenta victoriæ, & adiumenta bellorum. Prætereo imperatores illos, non militum, ſed aliorum imperatorum (omnes enim Romani milites imperatoria erant virtute & prudentia) quorum ſi facta conſideres, Alexandri illius, quem haud multo minor Hannibal Pœnus imperatorum maximum eſſe pronuntiauit, Magni cognomentum tranſlatitium: horum vero proprium eſſe cenſeas: vt quemadmodum Deus illam vrbem dedit gentibus, ſic illi vrbi tales viros dediſſe videatur. Taceo triumphos clariſsimos, atq; omnium ſermone celebratiſſimos. Quam enim illam triumphi ſpeciem ac pompam Pompeianam fuiſſe dixeris, in qua vno bello deuictarum arcium mille, vrbium nongentarum, depreſſarum aut captarum nauium octingentarum prælatas imagines, titulum vero plus quattuordecim gentium diuerſarum Romano parere im-

perio coactarum, didicimus? Omitto principem illum ſalutis mentiſque publicæ ſenatum, regum illum cõſeſſum ampliſsimum, vt ſumma cum eloquentia ac memoria Cyneas, factus ex Pyrrhi ad vrbem legato vrbis ad Pyrrhum laudator, appellauit. Mitto ſenatores ea oris dignitate ac maieſtate, vt ipſis etiam hoſtibus, ac victoribus Gallis ex iracundia motis ad venerationem, numinibus ſimiles eſſe viderentur. Prætermitto funerum pompam apparatiſsimam, ludos circo caueaque diuiſos: quos vtroſq;, pro ſancte Deus, quo apparatu dabant, quo ſplendore, qua magnificentia? profecto cum de iis audimus aut legimus, niſi fidem faciat grauis ſcriptorum auctoritas, leuia videantur & fabularum ſimilia. Quale enim fuit, & quam admirabile ſpectaculum, omnis ille Cæſaris arenæ apparatus argenteus, Neronis theatrum opertum auro, ſcena triplex Æmilij Scauri, cuius ima pars e marmore, media e vitro, ſumma erat ex auro: quam ſuſtinebant columnæ trecentæ ac ſexaginta, inter quas diſpoſita ſignorum ex ære tria millia numerabantur? Quid fuit videre in Traiani ad vrbem reditu, per ipſos dies centum & viginti, omnia ferarum genera in circo: vt vno interdum die decem millia beſtiarum conficerentur? quid cum Philippus, cum celebraretur ab ipſo die vrbis natali milleſimus annus, dedit paria gladiatorum mille: cum Probus alio tempore apros mille, ceruos mille, leones trecentos, totidem vrſos, centum leænas, atque animantia innumerabilia vnum in locum immiſit, quot vix ex omnibus ſiluis emitti poſſe arbitremur? audeat hæc hodie ſperare Roma, quæ hodie hæc cum audiat, e ſua infirmitate iudicium faciens de alterius viribus, non

ſolum

ſolum facta non credit. ſed ne poteſt quidem quomodo fieri vmquam potuerint vlla ratione ſuſpicari. Nihil dico de ſacrorum generibus, ſex & ſexaginta, de cærimoniis ac ritibus, quibus deorum numerum plus quam triginta millium venerabantur: quibus, ſi ad mentem meliorem tantas diuitias opeſq; contuliſſent, nihil fuiſſet magnificentius. ſileo de foro populi omnium victoris gentium, in quo non de legibus modo, ac magiſtratibus, de bello gerendo, aut de pace, de vectigalibus, de regnis dandis aut auferendis, ac de rebus longe maximis conſulebantur illi terrarum domini, & moderatores, ſapientiſsimis verbis grauiſsimiſq; ſententiis ornata oratione & perpolita, verũ etiam cum diuturnitas pacis otium confirmauit, ſuaui aliquo poëmate & erudito, quod non ſine cœleſti mentis inſtinctu fundi putabant poſſe, capiebantur, quæ ipſa cum ita in ipſis mutis atque inanimis libris miremur, quanto magis admiraremur, ſi audiſſemus illos in tanto ingenij ac virtutis theatro, vel de rebus dicẽtes ad gerendum & ſcribendum maximis, vel res geſtas ita ornate & grauiter explicantes, vt immortalis imperatorum gloria mortuorum in ipſis adhuc ſcriptis viuere, & mens ipſa ſcribentium ſpirare videatur? Hæc apud doctos ac ſapientes viros, magis temporis breuitati ſeruiens, quam cauſæ magnitudini, percurro. ſatis enim fuit vos dicto admonere. Quid contra habet, quod his rebus omnibus, quæ de ciuitate veteris Romæ diximus, opponat iſte egregius laudator, qui ad nouæ laudes eam ſe laudationis lucem afferre poſſe confidit, vt in eius lumine noſtra ne cernatur quidem? an bellorum commendationem, quorum finis victoria: victoriarum, quarum

rum indices triumphi:triumphorum, quibus nulla afferet obliuionem vetuſtas: obruet aut compenſabit commemoratione illorum temporum, quibus in illa tempeſtate ac nocte ruentis reipub. procella illa, flamma, vaſtitas, peſtis Italiæ, barbaræ illæ gentes, fame compulſæ, incitatæ opibus, moribus atque immanitate efferatæ, ſe ſe e frigoribus ac niuibus in Italiam, atque adeo in agrum Romanum ſubito impetu effundentes, quacumque ſe ferrent, vaſtatis rebus ac perditis, omnia calamitatis vno genere comprehenderūt; atque huius vrbis, nouæ inquam vrbis & Chriſtianæ, non modo extinxerunt ſalutem, ſed etiam infregerunt gloriam? qui iidem ſi in illos Camillos, Papyrios, Fabricios, Fabios, Scipiones, Æmilios, Pompeios, atque id genus viros, talium domitores monſtrorum incidiſſent, quanta celeritate, eorum non modo aſpectu, ſed nomine perterriti, tamquam feræ in eadem ſe recepiſſent latibula, quæ reliquerant, & ignauiam fuga confitentes, tenebrarum ſeſe & montium obiectu tegere cupiiſſent? Sed profecto captarunt inclinationem temporum, in quibus hæc langueſcens reſpublica non modo ſuccum & ſanguinem, ſed colorem etiam ac ſpeciem amiſerat priſtinæ ciuitatis. Refugit animus, eaque reformidat dicere, quæ meminiſſe ſine lacrimis non poſſum: quam infeliciter ac turpiter Gothorum, Viſigothorum, Oſtrogothorum, Vnnorum, Vandalorum, Bulgarorum, barbara tum facta tum nomina, intra annos paulo amplius centum quadraginta remp. Romanam afflixerint, deleuerint, euerterint. ſexies ab hac hominum fæce & colluuione, libertati populi Romani atque opibus imminentium, obſeſſa, vexata, expugnata, capta, direpta, ſpoliata,

ſpoliata, incenſa eſt: toties immanes illæ furiæ in ſanguine nobiliſsimorum ciuium, atque in cinere conſtiterunt deflagrati imperij. Nam, vt omittam miſeram illam, quam patres noſtri non multis ante annis viderunt, nos adhuc etiam pœne ſentimus, cladẽ: anno poſt Chriſtum natum quadringenteſimo tertio decimo, duce Alariso, capta eſt vrbs noua: quæ vetus cum eſſet, orbem terrarum ceperat vniuerſum. Conſecuta eſt quadrageſimo poſt anno crudelis & bonorum ſanguine redundans Genſerici victoria: quo tempore admirabile illius Vectij augurium, qui, ex duodecim vulturum qui Romulo ſunt viſi numero, cum ſingulis vulturibus centenos annos attribueret, Romam poſt milleſimum ducenteſimum annum interituram eſſe coniecerat, rei exitus comprobauit. ſiquidem miſer ille ac miſerandus reip. occaſus in milleſimum ac ducenteſimum ab vrbe condita annum incidiſſe perhibetur. Vix abierat annus alter & vigeſimus, cum Odoacer, qui terruerat armis parui illum nominis paruiq; ominis Auguſtulum, & auguſtum imperium euertit, & auguſtam vrbem debilitauit, in anguſtumq; deduxit: vt quæ condita & aucta anno ante quingenteſimo ab Auguſto fuerant, ea ad poſtremum diminuta & perdita ab Auguſtulo dicerentur. Poſt Odoacrem anno quartodecimo Theodericus: poſt eum quinquageſimo Beliſarius: non ita multo poſt, anno duodecimo Totilas, formidoloſum illud nomen, non modo ſubiectam ſibi ac ſupplicem, ſed etiam exhauſtam, nudatam, exinanitam, exuſtam, deſertam, opibus vacuam atq; hominibus, quaſi ſolum eſſet atq; area; urbem viderunt. Videre mihi videor: miſerum me, cogor hæc dicere

cere non vt exprobrem alicui aduerſam fortunam, aut in aliorum calamitate inſultem, ſed vt excitem alios ſuæ cauſæ indormientes, & tactis quaſi vulneribus dolere doceam dolorem ſuum, non alienam arrodere dignitatem: videor mihi videre hanc vrbem, olim lucem orbis terrarum atque omnium gentium, oppreſſam atq; extinctam. Verſantur mihi ante oculos infeſtæ illæ ac funeſtæ faces in pulcherrimas domos & antiquiſsima tecta coniectæ, fortunarum direptiones, militum concurſationes, fuga puerorum, vexatio virginum: cæduntur per vias exacta ſenes ætate, infelicia viuentium cadauera: diuelluntur ac diſtrahuntur liberi è complexu parentum: matresfamilias ad prædam atq; ad libidinem abducuntur: infantium ploratu, feminarum lamentatione, morientium gemitu, clamore barbarorum, tectorum fragore ac ſtrepitu concidentium, omnia perſonant: præſtinguit oculorum aciem diſtrictorum acies gladiorum, & fulgor multa cæde rubentium. Cerno animo ſepultam patriam, inſepulta corpora ciuium in ſuo cruore natantium: armis, flammis, cinere, cadaueribus, ſanguine, luctu omnia complentur. nimirum illa vrbs, quæ tòtius orbis terrarum erat extructa victoriis, ita corruebat, vt ſuis ipſa populis & exitium fieret, & ſepulcrum. Hæc te meditari opus fuit, quiſquis es, qui nouam vrbem ſuſcepiſti laudandam: ad id te comparare, atque hoc defendere: non illud cogitare animo, quod nec ſequi ratione debeas, nec aſſequi oratione poſsis. Muta, mihi crede, iſtam mentẽ: &, ſi me audis, quam paraſti declamatiunculam ad vrbem nouam plus æquo extollendam, ad veterem mecum laudandam, aut ad tuam quomodocumq;

excuſandã,culpamq́, minuendam,conuerte:quando eius vitio factum eſt, vt quæ ei bona maiorum virtus aut felicitas pepererat,omnia amitterentur, & Romani nominis memoria cum veſtigio imperij, non modo ex æternis hiſce ſedibus; verum etiam, quantum in ea fuit, ex faſtis ac litteris omnium linguarum ac gentium tolleretur. Reuerere omnium,qui hic ſunt,ac te audient, ora ac vultus:qui quoniam vere Romano ſunt & genere, & animo, vtriuſque ad ſe Romæ gloriam pertinere arbitrantur : neutri magis fauentes,quam alterutra vincat, aut vincatur,victores futuri. Vide, ne ſi ad errorem iſtum mentis adhibeas contumaciam profectam ab inſcientia,nõ ſolum te ſtultitiæ pudeat, verum etiam pigeat. Nam ſimul ac perfici videbis non poſſe, quod efficis, primum quidem vani te conſilij, deinde vero irriti etiam conatus pœnitebit.

DIXI.

ORATIO SECVNDA
Pro Roma noua.

SATIVS profectò fuerat, A. acerrimo illi Romæ veteris, id eſt, impiæ, patrono, non iuſtiſsimo nouæ, id eſt piæ, & Chriſtianæ, aduerſario, vbi diuinis illam laudibus ſuo arbitratu extuliſſet, & Romanos homines, vſurpato eorum more, diis vti dicebat ſimiles, in cæleſtium numerum intuliſſet, & ſuæ defenſio-

ſenſionis arcem ſtrenue muniiſſet, aut ad noſtram oppugnandam luce palam excurrere, aut ſi maluiſſet, prolatis rationibus, quaſi collatis ſignis concurrere: neque tamen illud opus, ſed ne æquum quidem, fuit, cum primum in conſpectum veniſſet hoſtium, ad pompam tantum ac ſpeciem inſtructam oſtendere aciem, neq; auſum tentare aleam pugnæ, cæcas illas in nocte ac tenebris coniicere faces, quibus tantum excitatum eſt incendium, vix vt ad illud reſtinguendum audeam accedere. Enumeratæ ſunt extrema oratione, vt magis in animis adhæreſcerent, Romanæ calamitates, ac miſera illa tempora, quorum ſi non tolli poſſet memoria, commemoratio certe intermitti debuiſſet. Quod quidem fecit ea notatione annorum, ac deſcriptione perſonarum, vt mihi quidem, cum ſingillatim omnia narraret, & ſimulate etiam pleraq; lamentaretur, mulier conducta ad cadauer laudandum, unde mercedem quæreret, non vir productus ad corpus lædendum, vnde ſperaret victoriam, & poſtquam ſuperbiam expleuiſſet, miſericordiæ famam captare videretur. Et quamquam non vereor, ne mea hæc iuſta atq; honeſta, vobis etiã grata futura defenſio, obſtrepatur illo clamore militum, & tubarum ſono: tamen, quoniam adhuc non prætervecta eſt aures veſtras illa funeris lamentatio, & præſtinguit oculos infeſtus ille armorum fulgor & ignium, non quod peiore in cauſa dicam timeo, ſed quod loco poſteriore. Nam ſi Theodorus ille, princeps ſuæ ætatis ſcenicorum, adduci numquam potuit, vt concederet primum locum in agendo alteri, qui partium eſſet etiam vltimarum: quod diceret occupari auditores ab eo qui primus exiſſet: quanto maior mihi

ior mihi fuit huiuſce oneris ac muneris, non deſerendi, ſed defugiendi cauſa: cum eius ſuccedam orationi, qui non tantùm miſeram, ſed etiam turpem Romæ ſpeciem in oculis veſtris animiſq; defixit: atq; id egit, vt vos cum audiretis deformatæ illam formã reip. non quidem conuerteret ad miſericordiam, ſed auerteret ab amore? Et ſane cum viderem, quæ res aperte peti debuit, eam cuniculis oppugnari: & ne recta ineatur via diſputationis, quæri diuerticula: abieciſſem libenter libere dicendi voluntatem, niſi veritus eſſem, ne mea aut diſſimulatio, aut taciturnitas, Romæ noceret, ita vt ipſa aut ſuperba videretur, aut victa: quorum alterum erat Chriſtianæ immemorem eſſe diſciplinæ, alterum magnitudinis. Dicemus igitur pro noſtra Roma, Auditores, non adſciſcendæ magis laudis, quam depellendi criminis cauſa, quædam breuiter, ac ſimpliciter, qualem eſſe ſermonem decet veritatis: vt agnoſcat ille, qui pro vetere dixit, veterator, nec dicere me omnia, vt ne Chriſtianæ deeſſem modeſtiæ, voluiſſe: neq; etiam nihil, vt adeſſem cauſæ, potuiſſe: neque in hoc tantum officij, ſed etiam pietatis laudem quærere debuiſſe. Impius ſit enim, non modo improbus, oportet, qui receptam prouinciam oratione defendendi aduerſus aliorum calumniam hanc vrbem, ſedem ſanctitatis atq; imperij, matrem omnium dignitatum, & vitæ magiſtram, non ſine præuaricationis crimine relinquat: cum glorioſos illos & beatos putemus, quos in ſuſcepta pro eius ornamentis contentione, non vox tantum & oratio, ſed ſpiritus & vita defecit. Quæ eſt enim, aut quæ fuit vmquam poſt hominum natum genus, vrbs auguſtior, ſanctior, diuinior, hac

vna,

vna, quam præpotenti Deo, ac ſalutis noſtræ auctori, & domino Ieſu, geminum illud orbis terrarum lumen & columen, Petrus, & Paulus, viri omnium gentium, omnium ſæculorum, omnis memoriæ ſine controuerſia principes, ſuo aſperſam, aut verius abſterſam ſanguine conſecrarunt, æterni vt eſſet domicilium imperij, ac templum omnium nationum? hi enim huius imperij atque vrbis, quam Chriſtiani colimus, auctores, patres, conditores fuerunt: non par illud fratrum, quorum nomina cum audimus nobilitata ſceleribus, non pauciores in iis videmus fuiſſe flagitiorum, quam neceſſitudinum gradus. Pater incertus, inceſta mater, vterque ſacrilegus, alter etiam fratricida: vt minus mirandum fuerit, vrbem illam tam turpibus excitatam initiјs, tam leuibus extructam fundamentis, tam breui, ſi conſideres ætates vrbium, ſua ipſam oppreſſam mole corruiſſe. Talis ſcilicet expectandus fuit exitus illius domus, quæ ſūma arena, non alto eſſet ſaxo firmoq; fundata. Roma enim vetus periit illis temporibus, quæ noſter ille deplorabat. Roma inquam vetus, quam idem neſcio quomodo ſecum pugnans, nunc fore æternam, nunc certo interituram fuiſſe tempore, ex neſcio cuius prædictione prædicabat. Neq; vero eius rei afferēda eſt cauſa dicentibus, quæ ſe offert cogitantibus. Etenim quæ vrbs optata eſt a ſicariis, vt eſſet & prædonibus refugium, & prædæ receptaculum, poſt homicidium condita, poſt fratricidium poſſeſſa, poſt raptum virginum aucta, in qua & ſerui regnarūt, & frater ſororem vita, & ſocerum regno priuauit gener, & filia per patris cadauer ſceleratum currum egit: hæc igitur vrbs, cum opum potentia ac luxuria

auxiſ-

auxiſſet in dies magis impunitatem & peccandi licentiam, magiſtra tandem facta erat ſcelerum, vitiorum, ſuperſtitionum omnium. Et quoniam qui caput primum obſidet morbus, paulatim ſerpẽs defluit in membra: tot turpitudines, tot illi & tam vani tot millibus numinum, quot reſpuunt aures, ſacri ritus ab omnibus recepti gẽtibus, non ante tolli ab orbe terrarum videbantur poſſe, quam vrbs ipſa tolleretur. Excitauit igitur aliquando clementiſsimus Deus illam ſuam, non ſopitam, ſed patientia quadam retardatam, dum relinquit omnibus ſpatium pœnitendi, ſceleris puniendi conſuetudinem: & tot antiquæ Romæ flagitia, quaſi omnem ſuam clementiã collegiſſet ad illud tempus ſeueritatis, in Romanos illos expiauit, qui erant iis temporibus, quibus etiam inter nefarios impiorum numinum cultores, homines aliquot Chriſtiani, vt in ſterili auenæ ſegete lætæ quædam atque vberes frumenti ſpicæ, conſpiciebantur. Expulit tandem intentus ille diu in Romam arcus, non ſagittas, ſed fulmina ignea, quæ Romanæ cupiditatis feruor, ac ſuperbiæ ventus accenderat: quæ ipſa, quaſi in Corinthium, vt dicitur, æs incidiſſet, ita exuſſerunt reliqua metalla, vt vnum tamen aurum purum integrumque relinquerent. Illa igitur ætate, quam iſte extremam, nempe poſt rem geſtam vaticinans, fuiſſe teſtabatur ex Vectij vaticinationibus, collecto vulturum numero, qui illi vulturio apparuiſſent: talem enim appellare poſſum Romulum, cuius cupiditas aliorum bona & poſſeſsiones tam iniquè deuorabat: ſed tamen illa ætate, iis temporibus tam miſeris ac funeſtis Romanæ reipub. quæ noſter clamator plane tragice, non tantum rhetorice efferebat,

cum

limina deferentes, ſi minus iucundum, at certe gratum ciuibus, ipſis etiam hoſtibus admirabile præbuere ſpectaculum. Ita cum ſe in illam ſacroſanctam arcem, alteram quaſi Noæ arcam, contuliſſent, quicumque Romæ erant cœleſtis, vt ita dicam, generis ſemen, tuti ſeruati ſunt & incolumes: vt ne in illis ſpes ſanctæ poſteritatis extingueretur: & cum verſaretur in ædibus furor, in viis timor, in foro vaſtitas, in vrbe calamitas, omni in ſede & loco ferrum flammaque metueretur, ſacroſancta Apoſtolorum tecta, Chriſtianorum, qui ex illo erepti ſiue incendio ſiue naufragio, vni Deo bonorum auctori omnium, in eo quod patebat omnibus perfugio, agebant gratias, cantu & vocibus perſonabant. verſabantur in eadẽ vrbe, Aud. qui colebant Chriſtum, & qui ab eius religione abhorrebant longiſſime: habitabat lupus cũ agno, vt vtar ſanctiſſimi vatis oraculo: in quam tamen vrbem cum alter lupus introiſſet, eius vaſtandæ hoſtis cupidiſſimus, dictu admirabile, agno pepercit, lupum deuorauit. Quid ni enim lupum appellem eum populum, qui cupiebat ſe a Romuli ſtirpe generatum videri, quem quia a lupa nutritum accepimus, lupinos mores cum lacte ſuxiſſe; &, quod bona illorum cum venia ſit dictum, in poſteros etiam transfudiſſe nonnulli tradiderunt? nam agnum certe eum dixerim populum, qui ſequens agnum Dei, qui hominum peccata ſuſtulit, eius ſe & nomine, & quantum fieri poterat, moribus & veſte contexit. agninis enim ille vſus, non hædinis, vt de Iacobo legimus, pellibus matris admonitu, a patre impetrauit vt priores ſibi partes, relicto Eſau, tribuerentur: & recte, ab Eſau enim dixit noſter orator vete-

rum

rum Romanorum genus eſſe deductum: ex quo factum eſt, vt hoc etiam loco vir agreſtis vrbano & polito homo vt corpore, ita etiam ingenio durus & horridus, germano fratri, leni & facili ad tractandum cõcederet, & maiorem minor ſupplantare poſſet. Itaque in reip. eius tamquam matris interitu, ambo enim eadem quaſi aluo continebantur, etſi tu prius lucem aſpexiſti, O Roma vetus, vt ita dicam ego pro noua, ſi quid mali fuit, id fuit tuum: ſi quid boni, id fuit proprie meũ: mihi enim illa rerũ conuerſio, quæ fuit tuarum euerſio, non calamitati, ſed ſaluti fuit oblata eſt enim mihi tempeſtas illius formidoloſiſſimi, & ſi non optabilis, at certe neceſſarij temporis, qua & fides mea illuſtraretur, & tibi ſtatus ille, qui fixus & fundatus videbatur, elaberetur e manibus, & ad meum confirmandum noua quædam ſe darent initia, e quibus mihi res melius ire incepit, quam putabas. Illuſtrauit profecto, Auditores, nouæ vrbis fidem, & auxit ſplendorem illa nubes & procella, qua maximo cum ſonitu reip. orbem dicimus fuiſſe conuerſum: quo tempore illud etiam accidit, non ſolum oratione mea, ſed omnium etiam admiratione digniſſimum: quod cum Gothorum nuntiato aduentu ciuitas repente omnis ad arma excitata eſſet, & in belli apparatu cum delectus habebatur, loca occupabantur, vinciebantur præſidiis, primo quidem precibus, deinde vero palmarum intentu, & maledictorum clamoribus vrgerentur Chriſtiani, vt conſuetudine, id eſt ſtultitia ſolemni, Iani fanum aperirent, numquam id vt facerent adduci potuerunt. nempe malebant vrbem patere hoſtibus, quam fanum ſuperſtitioni. Ita admirabili

Dei conſilio effectum eſt, vt cum caperetur Roma ipſi non caperetur: cum ferrum euerteret omnia, & conjceret ignis, eos nulla nec cædes nec flamma contingeret. Quamquam miror te mentionem auſum facere cladium, quas dicebas Chriſtianæ Romæ accidiſſe, cui tamen eas non accidiſſe docuimus: cum multo grauioribus veterem percuſſam atque abiectam fuiſſe recorderis, quæ cum hac, quam dicimus nouam, communicari nullo modo poſſunt. Quid enim dicam Romam tuam a Gallis captam, incenſam, euerſam, Romanos a Samnitibus ſub iugum miſſos nouo genere ignominiæ, ab Hannibale quattuor vulneribus rempub. afflictam, ad Ticinũ, ad Trebiam, ad Traſimenum, ad Cannas: qui ſi ad eã quintam etiam, vt poterat, mortiferam plagam inflixiſſet, exhauſto illi ſpiritu, nihil vltra quod peteret habuiſſet? Taceo vno prœlio cæſa ſupra millia hominum ſeptuaginta: vt finem cædis faceret cædendi ſatietas: captum interdum (quod pudet dicere, ſed dicendum tamen eſt) migrandi ex his ſedibus, & antiquæ vrbis deſerendæ conſilium. Mitto alia de induſtria, ita calamitoſa ac reip. Romanæ turpia, vt vos eorum recordationem veſtræ prudentiæ aſſumere, meæ modeſtiæ remittere debeatis. Reſpiraui, Auditores: liberaſſe mihi videor magno & noſtram Romam crimine & me ipſum labore: nec vereor ne ſcelerate aliquid dixerim in veterem, cum pro noua dixerim pie. Iam cetera perſequamur. Amplificauit etiam oratorie antiquæ amplitudinem vrbis, & pulchritudinem publica & priuata ad cœlum extructa eius ædificia, vbi heroës illi laxe ac magnifice habitabant: quippe cum in terris æterna ſibi taber-

naculum

naculum vitæ collocaſſent, de cœlo, quod minime ſperabant, ne cogitabant quidem: quod faciebant eo cultu & ſumptu, vt dicebat, vt noſtrorum temporum domus, quantauis dignitate ac magnificentia, iam tuguria eſſe videantur. Oblitus eſt videlicet vir optimus, tres Romæ portas fuiſſe, vt cum eſſent plurimæ, humiles illas paſtorum caſas e ſtramentis atque vlua, ſcandulis etiam domicilia per annum prope quingenteſimum cōtecta, non optimas vias, anguſtiſſimas ſemitas, vicos non ad normam directos, eā denique vrbis formam ac faciem, vt occupatam eam magis temere in ædificando, quam ſapienter diuiſam fuiſſe fateare. Sed, bone Deus, quo tandem in loco hæc dicere audebas? an dum diceres aliquid, ne quid diceres quidem cogitabas? an non verba moderabare? non te ipſe ſuſtentabas? non verebare ne effunderes aliquid, quod nullo refelli negotio poſſet, & maledicendi ſtudio contra dicendi præcepta committeres? Hæc ſedes, hæc aula, hi parietes, qui in oculos tuos incurrebant, non mouere animum, non reuocare mentem, & te omnino mutum atq; elinguem reddere potuerunt? vt qui in re tam aperta conniueas, minus admirer ſi multa etiam ſint quæ obcœcatus inuidia diſpicere non poſſis. Circumſpice nunc tandem hanc vrbem, atque in omnem eius partem oculos animumque conuerte. Vides eius amplitudinem, maieſtatem, ſplendorem, opera? quam hæc ſunt ad vſum bona, præclara ad aſpectum? nō oſtendo tibi vt olim, vrbem in montibus poſitam, cœnaculis ſublatam atque ſuſpenſam, ſed magnam partem in plano explicatam loco, irrigatam fontibus, viis amplis ac perpetuis diuiſam, deſcriptis vicorum

ordi-

ordinibus, patefactis areis foriſque latiſsimis, tam multis ornatam ac diſtinctam domibus, templiſq; vt ipſa ornamentum quoddam, & templum totius orbis terræ, vti eſt, eſſe videatur. Quæ ipſa templa ædificata ſunt nō ex ærarij viſceribus, aut præda prouinciarum ſpoliatarum, cum ſcilicet adminiſtrationis nomine pauper aliquis in diuitem ingreſſus prouinciā, pauperem diues relinquebat: ſed libenter collatis operis, opibus, hæreditatibus, pecunia: vt extent illa religionis, non ſuperſtitionis, magnificentiæ, nō effuſionis, pietatis, non rapinarum monumenta. Non enumerabo domos priuatas aut publicas, ſed neque etiā ædes ſacras, vnius tantum commemoratione contentus. Aſpexiſti ſæpius, ſed fortaſſe non conſideraſti, ampliſſimum illud & religioſiſſimum Apoſtolorum principis in Vaticano templum, ad quod ædificandum & inchoandum cum agerentur fundamenta, non ſolum ſacerdotes ac principes viri, ſed ipſemet imperator, ipſe inquam Conſtantinus, quaſi non ſatis eſſet quod deſtinauerat aurum ad amplitudinem operis, operam ſuam & manum laboremque contulit: cuius magnificentia templi, non tantum ſanctitas, ita permouit magni ſocium illum Athanaſij, cum Romam ad Iulium veniſſet, pontificem maximum, magnæ ſimul auctoritatis & pietatis virum Hammonium, vt cum extarent adhuc fere omnia in vrbe monumenta, quæ iſte vociferans cœleſtibus operibus æquabat, eo tamen nullum illuſtrius, præclarius, magnificentius, nullum viſendum magis eſſe teſtaretur. Quid ſi nunc videret immenſam illā & infinitam ædificationem ita deſcriptam atque dimenſam, vt poſterorū inuidiam non modo ſit ſuperatura

tura, ſed etiam gloriam vicerit ſuperiorum? Quid ſi quæ proxime acceſſit illi gemma quaſi illigata in aurum, quod item illuſtrat, ſacellum Gregorianum? opus vere dignum vrbe Roma, dignum pontificio nomine, dignum Vaticano. Silentio prætereantur alia templa, quæ ſunt tam multa, & talia, vt plura ſint omnino numero, & ſpecie præſtantiora, quam quæ erant conſecrata irridendæ illi deorum turbæ & colluuioni, quos impie venerabantur: vt quæ vrbs eſſet olim dæmoniorum receptaculũ ad exemplum facta inferorum, eadem nunc ſacrarium quoddã ſacrarum reliquiarũ & ſuperorum aulæ forma quædã eſſe dicatur: & veriſſime dicatur. nullus eſt enim fere locus, qui nobis non referat modo memoriam, ſed ſpeciem etiam videatur in conſpectu noſtro ponere fortiſſimorum Chriſti militum, caſtiſsimarum vriginum, pontificum ſanctiſsimorum: vt quacumque ingrediamur, in diuinam aliquam ac piam hiſtoriam veſtigium ponere cogamur. Quid oppones his rebus omnibus, o homo pie, non tantum eloquens? ex iſto oculorum coniectu video quid cupias reſpondere: an circos obiicies, aut theatra, in quibus a labore ad voluptatem, a negotiis ad otium conuerſo populo omnium gentium victore, crudelitas, luxuria, impietas dominabatur, ea denique ſpectabantur oculis, quæ nefas eſſet Chriſtiano homini cogitare? At dabantur ludi ſplendidiſſimi. Ludos appellas, in quibus virgines rapiebantur, viri interficiebantur, virtutes extinguebantur, mores corrumpebantur, omnium denique vitiorum ſemina ſerebantur? An ſuſpicabare adoleſcentes malos natura non poſſe euadere, niſi acceſsiſſet etiam diſciplina? Laudabas etiam funerum pompam ac vanitatem:

vt

vt vererer ſimul ne laudares funus illud acerbiſſimum, quo coruum aliquando cum exequiis, tibicinibus, næniis, riciniis, contra leges duodecim, toto populo proſequente, extulerunt. laudabas igitur funerum pompam: illorum ſcilicet, e quibus propter laudationes, & eas quæ præferebantur imagines, materiam Romanæ confundendæ hiſtoriæ, & fertilem illam deorum ſegetem enatam eſſe, viri doctrina & ſanctitate inſignes prodiderunt. quamquam non mortuos ſolum homines ad immortalitatem & religionem & memoriam conſecrabant, ſed etiam viuos: vt nihil deeſſet vel ad impietatem in Deum, vel ad hominum adulationem. Ridenda enimuero illa fuit illis hominibus, at Chriſtianis execranda, C. Caligulæ conſecratio, qui ipſe ſe viuus & prudens, aut imprudens potius & impudens, deorum ciuitate honoribuſque donauit: atque vt ne deſideraret aut ſacra, aut ſacerdotem, ei muneri equum quem maxime diligebat, preeſſe voluit: dignus profecto deus tali ſacerdote, ac tali deo ſacerdos. Sed abeamus a nugis, relinquamus ædificia, & quaſi corpus vrbis: veniamus ad animum. animus porro ciuitatum ſunt leges, magiſtratus, ornamenta ciuium, & præcepta virtutum. Gratificatur mihi de geſtu aduerſarius: opponet ſtatim illam magnificam oſtentationem triumphorum, in quibus ipſe ſibi triumphare videbatur: qui triumphi omnes ſi cum vno tantum Conſtantini de deuicto ad pontem Miluium Maxentio componantur, tantum inter hunc atque illos intereſſe conſtabit, vt illis de hominibus, hoc vero triumphus ipſe de triumphis actus eſſe videatur, non enim propterea vicerat, vt triumpharet, ſed propterea triumphabat, quia vicerat:

neq; vero in triumpho portabat ea ſigna quæ vicerat, aut quibus vincere alij ſolebant, aquilas, dracones, equos, minotauros, lupos, apros, præclara inſignia veterum Romanorum, ſed ſalutis diuinitus reſtitutæ hominibus ſignum, quod in cœlo viderat clariſsimis illuminatum ſideribus, crucem: in qua enim, Chriſto duce atque adiuuante, vicerat, in ea Chriſtianus victor & imperator triumphabat. Et mentionem adhuc facies tuorum imperatorum, & tua illa magniloquentia iactabis haud ſcio an vana, ſed certe glorioſa, illorum nomina: quaſi vero omnes illi, quos potes cōminiſci, ſint in aliquo numero, ſi comparentur non dico cum Clemente, Xiſto, Laurentio, Cornelio, Pancratio, Lucio, Stephano, Marcello, & aliis viris innumerabilibus, quorum nomina ſunt inſtar æterni triumphi. ſed cum vna aliqua ex iis puellis, quæ in ſumma ætatis infirmitate, & corporis, tanto virilis robore animi & religionis conſtantia fuerunt, vt nemo ſit ex tuis diuinis heroibus (etiam ſi proferas Attilios, Decios, Fabios, Curtios,) Cæciliæ, Hagnæ, Balbinæ, Sabinæ, Vibianæ, aut acerbitate mortis, aut vero in ipſam patriam amore, & in Deum pietate præponendus. Et poterat quidem Deus tam illuſtris virtutis admiratione, aut crudelitatis flammam extinguere in pectoribus tyrannorum, aut auram excitare lenitati. ſed nimirum hoc voluit, vt ne tam fortes, & cœleſtibus muniti præſidiis animi, qui morte vicerunt, in obſcuro deliteſcerent. Deſcendit egregius laudator a bellicis laudibus ad perpetuas illas alumnas pacis atque otij ingenuas artes ac diſciplinas. leges a Romanis datas populis ac nationibus dicebat: nempe quas ab Athenienſibus & Lacedæ-

moniis

moniis acceperant. Litterarum ſtudia & doctrinarum extollebat: eas ſcilicet, quas cum domi non haberent, aut ſi ſacræ eſſent, ab Etruſcis, aut ſi de rerum natura, de vita, de moribus, a Græcis mutuabantur. Quod quanto nunc melius & iuſtius facere poſſis, non vt rem ipſam oſtentes, ſed vt immortales immortali Deo, ac ſanctiſſimo eius in terris vicario agantur gratiæ, pauliſper, ſi videtur, attende. Quid enim deeſt in hac vrbe, ad religionis & bonarum artium per totum terrarum orbem propagationem, aut e fundamentis excitatum, aut auctum, & locupletatum Pontificis liberalitate collegium? Nimirū hic eſt Romanum ſeminarium, in quo nobiliſſimum quodque germen Italiæ, atque adeo Europæ, ad omnem virtutis laudem & pietatis efflore ſcit. Hic Germanorum & Pannoniorum collegium, in quo non tantum adoleſcentes onerant pectus multarum cognitione rerum & ſcientia, ſed ornant etiam animum Chriſtianis moribus, & inſtitutis. Hic Angli in ſinu comunis patris benignitate & clementia, ſuis eiecti finibus, ea ſibi comparant arma, quibus non tantum ipſi redire in patriam, ſed patriæ ipſi antiquum decus & ſplendorē reſtituere poſſint. Hic Græcorum natio, quæ aliquando apud ſe, & a ſe Romanos dominos eruditos & inſtitutos eſſe gloriabatur, nunc tandem diſcit ſe non tantum ab vrbe Roma armis fuiſſe, & virtutibus, ſed ingenio etiā, atque eruditione ſuperatam. Hic nouelli illi ſurculi ex ſilueſtri oleaſtro in feli em tranſlati oliuam, Neophyti, quanto nunc tandem meliores fructus in adſcita arbore ferant, quam in natiua, mirantur. Hic noua Pontificis maximi liberalitate, cuius benigne faciendi cōſue-

tudo in naturam videtur eſſe cõuerſa, Maronitæ, & doctrina & religione expoliuntur: vt cum in ſuam redierint regionem prope ſilueſcentem, eamdem culturam ad ſuos, ad Romanam conſuetudinem & humanitatem excolendos, & quaſi mitigandos, adhibeant. Hic denique generale hoc Societatis IESV collegium, omnium nationum ſeminarium, quo non ex vna aliqua gente aut altera, ſed ex omnibus mittuntur adoleſcentes, qui ſe IESV domino, cuius & nomen præferunt, dediderunt: vt eiuſdem nomen in omnes perferant terras, & Chriſtianam religioné, Romanamque dignitatem, vel ſanguinis profuſione confirment. Quid dicam, quam multa ſint prompta & parata domicilia ad eos qui vitam vagam atque inopem perſequuntur excipiendos, ad eos qui ſe ipſi ſuſtentare non poſſunt ſubleuandos, ad captos a prædonibus redimendos, ad labentes fulciendos, ad lapſos & iacentes erigendos, ad pupillorum educationem, ad virginum collocationem, ad omnium denique defenſionem? Sed commoueri videtur tam vera & inſperata rerum copia adoleſcens: non vrgebo diutius. Inculcauit etiam, atq; intruſit neſcio quo modo, correctum a Romanis principibus annum. Egregiam vero correctionem, quæ corrigi primum a Conſtantino magno, nunc vero a ſanctiſsimo domino ac patre optimo Gregorio perfici debuit, ad certiorem deſcripotinem temporum, ac rationẽ dierum. Eloquẽs præterea videri volebat in eloquentiæ laudibus. Sed quem omnino habes ex iis, quorum ingenium par dicitis Romano imperio fuiſſe: neque vero illum excipio, in quo vno ipſa videtur eloquentia, quid poſſit, experta: quem, inquam habes, quem ſi cum oratore opti-

mo, ac pontifice maximo, Leone compares, non infantem fuiſſe pronunties? qui fortem illum regem ac ſuperbum Attilam, qui victoriis, ac direptionibus vrbium, cum peragraret Italiam, & iam iamq; in Romanam ditionem victorem atq; inſolentem immitteret exercitum, ea ſermonis grauitate flexit copiaque dicendi, vt nefarios exultantis barbari conatus repreſſerit, virumque inuictum armis vicerit oratione, & quaſi ferocem equum linguæ habenis circumactũ ab incepto reuocans curſu longe diuerſam in partem abire coëgerit? Sed quid caſtella oppugno, cum arcem ipsã cauſſæ expugnare vno impetu poſſim? quando tandem optare potuit tua illa Roma inclyta, quod hæc noſtra ſummo Dei beneficio obtinet, ampliſſimum Chriſtianæ ſacrarium reipub, ſanctiſſimum illud orbis terræ, & auguſtiſſimum, & vere diuinum purpuratorum patrum, & re potius, quam nomine, regum conciliũ, collegium Cardinalium? Nam quid dicam de beatiſſimo terrarum moderatore, ac paſtore populorum omnium, ad quem omnis immortalis Dei potentia ita tranſlata eſt, vt & regum regna confirmet, & ſtabiliat imperia: vt ad eius pedes, quos ſuppliciter exoſculantur, abiiciant ſe ampliſſimi principes orbis terræ, & imperata facturos, non minus libẽter, quam vere profiteantur? cuius tanta eſt auctoritas, atq; erit dum genus extabit humanum, nimirum Deo proxima, vt vnus æternæ vitæ neciſque in homines habeat poteſtatem: ſic, vt vno eius verbo addito, vel tamquam prærogatiua aperiatur cœlum, vel tamquam præiudicio claudatur mortalibus? Quis eſt in omnibus terris ſinus, quæ regio, quæ inſula: omnes cum terras nomino, non ita arcte ãguſteque definio, vt veteres tui faciebãt,

qui hanc rerum putabant eſſe naturam, vt poſt omnia eſſet Oceanus, poſt Oceanũ nihil: ſed eas etiam intelligo terras, de quibus haud ita pridem repertis maxima quædam & admirabilia, ſed veris tamen auctoribus nunciantur. quis eſt igitur in omnibus terris locus, quo etiam Chriſti religio Dei conceſſu penetrauit, quo non & Romæ, & Romani Pontificis fama imperiumque peruaſerit: in quo non ſint quãplurimi, qui hanc ipſam vrbem matrem vrbium, & patrem vrbis optimum videre ac venerari cupiant, maximum ex ea re cepiſſe vitæ fructum putaturi? Nunc etiam, nunc ipſum, ex vltimis ac remotiſsimis Iaponis partibus, inſulæ illius longæ maximæ, aduentant ac prope adſunt adoleſcentes, homines pernobiles, nullum effugientes longiſsimi laborem itineris, omnia negligentes terræ mariſq; pericula. vt in communis tandem aſpectu patris & patriæ luce conquieſcant. O beatã vrbem nouam Chriſtianam, cui tãtus honos, & merito quidem, habetur, ſummo omnium mortalium cœleſtiumque conſenſu, quantum Roma illa priſca ne coniectura quidẽ aut cogitatione informare potuiſſet. Vere & ex animo, nõ cauſſæ ſeruiens, aut loco, aut tempori, dico: nihil vmquam vidit Sol, ſed ne videbit quidem te ſanctius, felicius, auguſtius, ornatius. Faceſſat, taceat, valeat Roma illa præpotens & ſuperba plena ãbitionis, plena impietatum, plena vitiorum: cedat nunc tandẽ, vt æquum eſt, paci bellũ, corpus animo, imago corpori, veritati vanitas, vmbra Soli. Vos autẽ, quicũque eſtis huius cauſſæ domini diſceptatores, iudices, pro mea erga vos beneuolẽtia admoneo etiã atque etiã, vt quoniam videtis vocari in controuerſiã, non an Roma veteri noua ſuccum-

cum-

cumbat, ſed an Chriſtiana ſacrilega, an ſuperſtitioni pietas, an, quod ferre non poſſunt aures, Chriſtus: ſed hoc ſatis: videte quid agatis, quid decernatis, quid ſtatuatis. quod enim veſtrum de Roma Chriſtiana, idē erit Chriſtianorum omnium de veſtra prudentia & religione iudicium Ipſa quidem Roma per ſe tanta eſt, atque ita vel omnibus tacentibus laudanda, vt ei nihil nec nouæ acceſsione laudis addi, nec veteris detractione imminui poſsit.

ORATIO TERTIA

Quæ priorum orationum Iudicium continet.

N*OLLEM factum, vt inter eas perſonas tam grauis & lubrica nata eſſet de dignitatis principatu contentio, quarum & auctoritatis, & nominis, & rationum maxima, & pene paria momenta ita difficilem reddunt atq; implicatam diſceptationem, vt nihil vnquam exiſtimem maioris aut conſilij aut iudicij fuiſſe. Sed hoc profectò eſt proprium Romæ, vt, expugnatis rebus omnibus ſecum ipſa pugnet, & quæ orbem terrarum vicit, a ſe ipſa vincatur: ne quid reperiatur vſquam, quod ipſa non vincat. Ergo alias Romani principes in vna ciuitate inter ſe diſsidentes de parti adminiſtratione imperij: nunc Roma ipſa in vrbe vna in duas diuiſa partes, e quibus vtra diſceſ-*

ſtit ſuperior honeſtiorem faciet alteram, de amplitudine gloriæ, ac nominis dignitate contendit. Vt in hac ipſa cauſſa facies mihi quædam & forma obiiciatur rerum cœleſtium, in quibus & Solis aſpectum aufert terræ ſui interiectu corporis Luna, & eiuſdem viciſſim Solis radios Lunæ aufert ſuæ obiectu magnitudinis terra. ita enim ſe res habet: gloriæ ſplendorem quaſi ſolem vtraque ſpectat Roma, ac totum eum ad ſe omnibus viribus rapere conatur: illa quidem ſuperbius, ſed Chriſtiana modeſtius: altera victoriis pugnat & triumphis, altera Chriſtianis inſtitutis & artibus. altera quæſitis ſubnixa honoribus, altera cõtemptis: altera Romulum fortaſſe aut Remum, altera haud paulo maiores Petrum & Paulum producit auctores: altera imperatores, qui pro patria, altera martyres, qui pro Chriſto, & eius propagatione religionis, cuius hæc ipſa vrbs princeps, magiſtra, & moderatrix exiſtit, in eadem vrbe ſanguinem profuderunt. Vtrimq; rationes multæ, vtrimque allata argumenta quamplurima: vtrimque Roma nata ad imperandum, ad vincendum, ad dominandum, ad rerum potiendum, tot viris aucta & virtutibus, vt neceſſe fuerit, vbi ipſa eſſet, ibi imperium eſſe terrarũ. Ego quidem niſi faterer me quadam propenſione volũtatis cupere vt Chriſtianæ Romæ melior ſit cauſſa, nec ſpeciem boni viri præ me ferrem, nec ſpem etiam afferrem iudicis boni. Illud tamen omnino confirmo, nihil me perſonæ, ſed rei daturum: vt videar, nec illius inuidiſſe laudi, nec huius fauiſſe dignitati. At primum quidem, quoniam hoc iudicio vtriusq; Romæ gloria diſceptat: ſi me audirent, mallem eſſe inter eas pacis, concordiæ, compoſitionis auctor, quam

aut

aut iudex, aut arbiter. Dicerem ſcilicet, vnam eſſe atq; eamdem hanc atq; illam vrbem, & conſpirante, ac plane conflato vtriuſq; conſenſu, communia inter vtramq; omnia eſſe oportere. Aut enim hæc ſuperioris gloriæ ſuccreſcens, ac rediuiua, ex eius nata eſt reliquiis atq; oſsibus: aut illa extincta in poſterioris naſcẽtis ac florentis in dies magis gloria reuixit. vt quod de aui illa dicitur admirabili, quam vnam in toto terrarum orbe eſſe dicunt, vt ex ſuo ipſius funere naſcatur, & ex morte ſibi vitam æternam propaget, idem de hac ipſa vrbe, etiam vna omnium nobiliſsima, & in æternum condita, dici poſſe videatur. Sed aperte vrget vetus Roma, quæ nec parem habere vult alteram: & tacite admonet noua, quæ ſuperiorem habere non poteſt, ne diſcerpam Romanam, quæ vni Deo referenda eſt accepta, gloriam: adiudicem potius alteri integram, & omnem diiudicem controuerſiam. Et certe maximam fuiſſe antiquioris Romæ dignitatẽ, gloriam, potentiam, non nego: omniaq; illa, quæ de ea magnifice dicebantur, veriſsima fuiſſe confiteor. Ex omnium enim illa terrarum ſibi obtemperantium quaſi cithara neruorum temperatione varios in cantu ſonos fundentium ſuauem quamdam, & quã exiſtimare facilius poſſum, quam dicere, harmoniam efficiebat. quod etſi ſemper ſum admiratus, nunc tamen magis admiror; quia magis his auditis intelligo: quamquam ne ſatis quidem intelligo, ſed illa omnia propterea videtur illi a Deo cõceſſa, vt veterem præpararet ad nouam, cui quaſi domicilium comparabatur. Quemadmodũ igitur ſi quis veniret in domum ratione ædificatam ac ſplendidam, laudaret plenã ornamentorum quidem illam, & lautæ ſupel-

lectili, magis tamen admiraretur dominum, propter quem illa quærantur: ſimiliter cum ſit omnibus notum & exploratum, ædificatam eſſe Romam illam veterem, & ornatam, Deo hoc ipſum moliente, vt in ea æterna figeretur ſedes homini vni omnium ſanctiſsimo, qui ſummum in omnes imperium ac poteſtatem haberet, ad quem ſcilicet pertineret illius hæreditas, quem iuſtiſsimus dominus humani generis cōditor & reſtitutor Chriſtus, cœlum repetens, reliquit terris, cum ei terras antea commiſiſſet, quod in noua & Chriſtiana vrbe Roma factum eſſe agnoſcimus: ſatis a me (vt arbitror) habebit vetus, nec mihi iraſcetur: habebit etiam gratiam, cum eam a tāto architecto tanta fundatam mole dixerim, tantis inſtructā ornamentis, vt ad tantos eſſet vſus atq; honores accommodata. neque enim propterea eius ſplendor laudum extinguitur, ſed magis illuminatur. Quas ob res, diuina primum fretus ope & auxilio, deinde præfatus me nihil gratiæ aut inuidiæ dare: cum conſtet Romam veterem diuina prouidentia conditam; inſtructam auctam, ornatam eſſe, vt Chriſtianæ Romæ ac religionis, Romani Pontificis, atq; ampliſsimi eius ſenatus vtilitati atque honeſtati deſeruiret, quod & ratio & veritas ipſa conuincit: ſi quid mei iudicij eſt, cuius ſpero vos omnes, qui hic eſtis, viri ampliſsimi, non ſolum teſtes, ſed probatores etiam futuros: ſic ſtatuo, Romam nouam vetere non meliorem modo ac præſtantiorem ſed maiorem etiam atque illuſtriorem videri.

DIXI.

ORATIO QVARTA.

Ad eos, qui gymnaſium Societatis IESV Romæ frequentant.

VESTER iſte in me animorum oculorumque coniectus, qui veſtram & præſentem expectationem ſignificat, & futurã in audiendo diligentiam pollicetur, patres religioſiſsimi: ſumma deinde optimarum diſciplinarum excellentia, ad quarum gloriam conſequendam incitare vos, adoleſcentes ſtudioſiſsimi, ſollemni more, & conſuetudine, hodierna debet oratio, mirum in modum efficiunt, vt minus animatus ad dicendum, & magis conturbatus accedam. Vereor ſcilicet, vt afferre poſſim aliquid, quod aut veſtro ſtudio, aut orationis noſtræ argumento reſpondeat. alteri enim officit, atque obſtat, tum breuitas temporis, tum rei ipſius magnitudo: alteri impedimento eſt meæ imbecillitatis conſcientia, a qua perparua mihi ſpes oſtenditur, vt queam tantã rem, tam grauem, tam expectatam, ingenio conſequi, verbis expromere, induſtria ſuſtinere. ita cùm quæ poſsim fortaſſe dicere, tempus non patiatur: quæ tempus patitur, illa ego dicere non poſſim: etiam ſi veſtra me benignitas bono animo eſſe iubet, vt magno tamen ſim, adhuc a me ipſe nõ impetro. Et vero cum diſtraheretur deliberando animus, nec explicarem quid optimum eſſet factu, multaque afferrent ancipitẽ curam

ram cogitandi: quandoquidem quaſi ſublato ex arce ſigno, annuum, vt ita dicam, ſcholaſticum indictum eſt prœlium, iamque inſtructa pæne acie, non defuturæ ſunt deinceps tubæ, non buccinæ, non cornua, quæ paratiſsimos veluti milites ad pugnandum accendant: viſum eſt, ab eo quod mihi impoſitum eſt munere nõ abhorrere, ſi ad tam graues vehementeſq; ſonitus, quibus vel inertes inflammarentur, noſtra vox præcentionem quamdam adhiberet: abſurda quidem & abſona, ſed, cui opinor, vt Spartanis olim tibiis inter buccinas & lituos, aliquid erit apud vos in acrioribus cohortationibus loci. quippe natura fert, vt qui erecto ſunt atq; excelſo animo, quamuis tenui tantu atque obſcuro, exuſcitentur. Quod ſi Spartanus ille pœnas legibus ac iudicio dedit, qui procinctus tempore viſus erat ſub tecto: illud ſcitote, adoleſcentes, turpe vobis futurum, ſi hac ipſa in re, quæ veſtra cauſſa ſuſcepta eſt, alias res agatis, aut veſtræ aures peregrinentur. Et Spartæ quidem hũc morem fuiſſe accepimus, vt quotieſcumq; e caſtris educeretur exercitus, in regium tabernaculum milites conuocarentur: vbi cum audiſſent Tirtæi carmina, in quibus erant conſcripta belli conſilia, damnorum ſolatia, incitamenta virtutum, eorum inflatu atq; inſtinctu, e veſtigio non fortem tantum, ſed gaudentem etiam ac libentem animum afferrent ad mortem pro patria ſi opus eſſet, oppetendam. Et quamquam illam Tirtæi vim ac maieſtatem præſtare non poſſum: tamen, quoniam vt demiſſum anguſtumque pectus cohortationem non capit, ita altum & exaggeratum non deſiderat, ſpero fore, adoleſcentes, vt, qua ſumma voluntate & egregia animi alacritate eſtis, erigatis

mentes aureſq; veſtras, & me de iis ſtudiis, quibus vos & cum fructu, nec ſine laude delectamini, breuiter dicentem diligenter audiatis. Atque vt multis, quæ etſi iucunda ſunt, non tamē vtilia, ſi vtilia, non tamen neceſſaria, prætermiſſis, a vobis exordiar, qui tyrones eſtis, id eſt, qui admirabili ad dicendum ſtudio concitati, præceptis vos Grammaticorum informandos dediſtis, vt in ea arte, quæ eſt ſolum & fundamentum ceterarum, ponatis tyrocinium: omnem vobis curam in eo defigendam magnopere cēſeo, vt id agatis quod agitis, neque velitis, niſi perfecta re ex animi ſententia, & ex hac ad altiores diſciplinas aditu, ianuaque patefacta, conquieſcere. In parua quidem re conſumetur opera: ſed non parua conſequetur vtilitas. Nam & paruum ſemen eſt, at in eo tamen eſt cauſa magnarum arborum, & ſtirpium. Submoleſtum primo erit aſpectu, & minus gratum opus: at ſuaues atque vberes tamquam ex amariore radice fructus, omnes moleſtias, maxima compenſatas iucunditate mitigabunt. Magna fortaſſe coniici impenſa videbitur in fundamenta: ſed ea niſi altius iacta ſint, ſi quid celeriter inædificaueris, minore omnino fructu, quam ſumptu, celerius ruet. Nolite enim cogitare, exiguam aliquam e Grammatica, quæ confeſſione magis hominum quam voluntate laudatur, vtilitatem percipi: cuius veluti medicamentis niſi ante rudis & integer puerorum animus ad ſapientiam concipiendam, vt lana ſufficitur ad purpuram combibendam, imbuatur, aut vix, aut fruſtra excoletur iis artibus, quibus exculti qui ſunt, tamquam ex raro quodam genere hominum, ac pene diuino, in clariſſima luce ſuſpici videntur. Vidimus

mus perſæpe magnos viros, neque in mediocribus verſatos, qui Grammaticam pueri neglexerunt, in minimis rebus fœdiſſime labi, & excellentis doctrinæ ſplendorem tam parui artificij ignoratione infuſcare: vnde fit, vt præpoſteris vſi conſiliis, quod imprudentia prætermiſerunt, temporis admonitu rereprehendant, & firmata ætate non ſine pudore repetant, quod in puerili ſine ratione omiſerunt. Quæ, malum, eſt iſta peruerſitas? quidnam affert ita præproperam ac præcipitem feſtinationem, vt vmbram magis gloriæ conſectans, quam veram gloriam, eas diuitias quæras, quas numquam compares, aut, ſi forte, ſemper conſtructas & reconditas obſcuro in angulo habeas, neq; in lucem proferre, aut explicare poſſis? vt haud ſciam an ſatius ſit neſcire aliquid, quam quod ſcias non audere exprimere, ſermonis inopia: & mutum eſſe, quam ita loqui, vt qui te audiant, aut irrideant, aut non intelligãt. At multarum rerum cognitione ditor, vt affluentibus copiis. Audio: non tibi tamen licet vti iis verbis, quibus libet: ſunt omnia ad recte loquendi artem & præcepta reuocanda. Scitum eſt enim, quod Tiberio imperatori minus Latine locuto, & multis aduerſantibus, pertinaciter in errore perſeueranti, non magis libere, quam vere, quidam e Marcellorum familia dixit, ciuitatem Romanam ab imperatore dari hominibus quidem poſſe, verbis non poſſe. ne tibi, quod imperatori non licuit, permiſſum iri exiſtimes. Neque tamen ab hac leui, vt aiunt, diſciplina, ſua abeſt & liberalis quædam oblectatio, in verborum interpretatione, poëtarum lectione, hiſtoriarum pertractatione, ſermonis elegantia. Age porro,

quanta,

quanta & quam liquida voluptas eſt, in loquendo numquam titubare, nuſquam errare, vt ſedatum & dilucidum amnem ſine ſalebris & vllo anfractu fluere, non ſuſtentare verba anxie, vt in ſingulis haſitantem, non effundere promiſcue omnia, vt de nullo cogitantem? ea vero tanta ac talis eſt, vt qui paululum modo deguſtarint, ſatiari delectatione non poſſint. quod ſtudium, etſi commune eſt omnibus pene gentibus, multo magis eſt proprium Romanorũ, quibus non tã præclarum eſt Latine ſcire, quã turpe neſcire: ita ea res, apud quos nata eſt, apud eoſdẽ & aucta & ornata eſſe debet. Tenenda eſt igitur vobis, Romani adoleſcentuli, hæc vrbana emendate loquendi diſciplina, quæ iam prope elabitur e manibus: quod ſi non feceritis, non video quomodo ſit negligentiæ vobis offenſio vitanda. Sed ad tyrones nimium multa. Iam vero vos, quos præclarum ſapientiæ ſtudium ad triennium militari propemodum obſtrinxit ſacramento, compellabit oratio: ſiue diſſerendi rationem, ſiue metiendi & ratiocinandi ſubtilitatem, ſiue eas res quæ a natura inuolutæ videntur, & cauſas, quibus eæ res continentur, inueſtigandi prudentiam quæritis: cuius videlicet ſtudij ea eſt natura atque præſtantia, vt cum ceterarum humanarum artium gloriam ſuo ſplendore ſuperarit, non extinctis quidem illis eluceat, ſed lucem afferat vniuerſis: in quod ego quotieſcumque vt in hanc vniuerſitatem intueor, ita obſtupefactus ad earum rerum, quas identidem video, cauſas exquirendas excitari me ſentio, vti ſi ſemper nouus ſpectator accederem: vt nec perpetua admiratio quicquam addat magnitudini, nec quotidiana aſsiduitas

detrahat nouitati. quid eſt enim, ſiue cœlum ipſum, ſiue totam cum vniuerſo mari terram, mente & oratione complecteris, quod non procreatrix illa artium Philoſophia, vbi ſagaciter inſpexerit, & inquirat diligenter, & feliciter inueniat? Procreatricem artium dixi Philoſophiam, quia, ſi recte ratiocinabimur, ab ea diſciplinas ordine omnes, tamquam a fonte riuos, deductas eſſe reperiemus: etiam ſi ab hoc capite profluentes ſingulæ ſe longe lateque diffuderint: ex quo tamen amplificata eſt ipſius Philoſophiæ & vis, & gloria: ne tu ex ea benignitate fontem ipſum benignitatis exhauſtum eſſe arbitrere. Immenſa eſt illius tamquam Oceani amplitudo, nec quorūuis fluminum diuortiis imminuitur: nihil eſt in hac rerum infinitate atque natura, quod non acerrime contempletur Philoſophus: nihil ita occultum, retruſum, deuium, in cuius ſe cognitionem e rebus antea inueſtigatis non inſinuet. vt eius contemplationis ſpeciem quamdam adumbraſſe videātur ea argumenta, quæ ſapientiſſime in Achillis clypeo ex auro atq; argento confecta, cæcus is, vt dicitur, qui tamen omnem ſcientiam rerum litterarū luce illuminauit, Homerus prodidit. erat ſiquidem in eo admirabiliter efficta (vt nonnulla, bona veſtra venia auditores, breuiter curſimque perſtringam) terra globoſa & ſolida, quam mari alludente cœlum complecteretur: Sol ipſe moderator & dux temporum: & longiſſimo ab eo digreſſu, eiuſdem radiis accenſa lumine pleniſſimo Luna: ceterorum item aſtrorum, quibus vt videtur innumerabilibus cœlum diſtinctum, & quaſi redimitum apparet, figura, & ſitus: duæ præterea ciuitates: quarum in altera pacata & quieta, dies feſti agita-

gitarentur, conuiuia celebrarentur, iudicia exercerentur: in alteru vero, quæ bifariam machinis, tormentis, vi, exercitu, & copiis oppugnata, hoſtium impetum propulſaret, conſilium frangeret, conatum eluderet, omnia calerent bello, ſtreperent armis, arderent cædibus, tumerent inſidiis, vaſtitate exareſcerent, aceruis corporum & pugnantium ſanguine redundarent. viſebantur ex alia parte in opimo & fertili agro quidam glebis ſubigendis exercitati, qui proſciſſum & mollitum ſolum ad ſatus accipiendos præparabant: pendentes in vinctis ex arboribus vitium vbertate incurueſcentibus maturæ vuæ, homines vtrobiq; percipiendis & condendis fructibus occupati. non deerat magnitudo paſtionis, in qua nitidorum greges arietorum propter gelidorum ripas amnium luxuriantes videres. deniq; vt multa comprehendam, cælatus erat ordo puerorum & virginum eximia forma, pulcherrimoq; veſtitu, qui per manus recte data ſonum vocis pulſu pedum modulabantur. quibus rebus omnibus ratione & modo diſpoſitis, nemo veſtrum eſt, quin videat. eo commenticio opere, eius ſcientiæ, quæ eſt rerum diuinarũ humanarumq; cognitio, imaginem quamdam, parteſque contineri. Hunc vero veri amatores ſapientiæ clypeum eo ſplendore. quem tot ſimulacra habent ex auro gemmis diſtincta clariſsimis: ea varietate operum, qua nihil cogitari poteſt elaboratius: ea pulchritudine ac ſpecie, qua illud eſſe decet, quod non Vulcanus neſcio quis, ſed rerum omnium architectus atq; opifex Deus effecerit: hunc inquam immenſi pretij atque operis clypeum, quem vobis parens natura, vt Lacæna olim mulier filio ad bellum eunti, ita commiſit, vt vel

morte

morte repræſentari debent, ſaluum atque integrum ſeruandum, & in extremo illo diſcrimine, in quo ſumma veſtri ingenij & doctrinæ diſceptabit, cum iuſta artifici. gloria, nec ſine veſtra laude, tuendum putatote: feratur in prœlium, vt referatur non modo ad vſum pugnæ, verum etiam ad pugnantis ornatum: quo quicumque tectus eſt, etiam ſi inter media hoſtium tela verſetur, vinci non poteſt. ſi præcipue addantur opportuniſſima illa ad bellum gerendum, & ad bellatorem inſtruendum, eloquentiæ arma: quæ & cominus linguam, vti gladium, & eminus calamum, quoddam veluti iaculum, acuere videntur. quibus præſidiis qui non ad incertam dimicationem, ſed ad exploratam victoriam, ſeptus ac munitus vel in confertiſſimam hoſtium aciem fidenter irruperit, periculum diſcutiens audacia, fluminis inſtar & fulminis vaſtitatem quacumque ferantur ferentium, per aduerſorum cædem, cæſorum ſtragem, vi ferroque ſibi ad erumpendum aperiet viam. Magna eſt enim, dicam videlicet vobis aſſentientibus, inter ſapientiam & eloquentiam, compares pæne diſciplinas, & eiuſdem ſocias dignitatis coniunctio: &, quando neutra ſine altera ſatis firma eſt, periculoſa, nec ſine vtriuſque debilitatione, alterius ab altera diſtractio, vt eloquentia expers ſapientiæ, calore & ſucco: ſapientia eloquentiæ expers, colore & cultu carere videatur: nec ſatis admirari poſſim inſignem quorumdam, imprudentiam ne dicam, an impudentiam? qui negligentia quadam & fuga laboris, dum deſidia deſperationẽ, deſperatio inuidiam, inuidia obtrectationem parit, vt vni ſint infenſi, ſunt infeſti duabus. certe,

dum

dum omnem a Philoſophia verborum remouent ornatum, ipſammet formam deformant ſapientiæ: nec eloquentiæ quidem inertiam coarguunt, ſed ipſi indicant ſuam. Tu vero (difficile eſt tacere, cum doleas: vos quæſo auditores veniam iuſto dolori date) Tu inquam perpetuam illam ſapientiæ comitem, magiſtram elegantiæ, lucem doctrinarum, reginam rerum, dominam animorum, obteris & contundis eloquentiam? at qua fronte? quam perfricuiſti. quo pudore? quem perdidiſti. qua ratione? quam neglexiſti. quibus verbis? quæ non inuenis. quorum approbatione? tui ſimilium: vt ex iſtiuſmodi vituperatione ſit eloquentiæ maior laudatio. At non ita vos adoleſcentes optimi, optimum bene ſentiendi & diſcendi exemplum, qui cum exiſtimetis verba eſſe leuia ſine grauitate rerum, res obſoletas ſine ſplendore verborum, ita & vera ſciendi, & recte loquendi ſapientiæ dare operam conſtituiſtis, vt in vtraq; velitis excellere. ſtudete igitur, quod facitis, pari diligentia, tum rerum inſtrumento, tum etiam ornamento verborum. Nihil eſt, quod nunc magis vos facere oporteat, aut in poſterum feciſſe delectarit. ita, quod Antiphanes per iocum dicebat: in vrbe quadam voces hieme frigoribus conglaciare, æſtate demum admiſſo calore liquefactas, ad aures accidere: cogitate futurum, vt quæ nunc præcepta in iſta laborum hieme & vmbra concipitis, adulta ætate, quaſi æſtate, in clara hominum luce exaudiantur. aut illud potius, quod ſapienter filio præcipiebat Bias, is qui ſapiens habitus eſt vnus e ſeptem, vobiſcum reputate, in adoleſcentia comparandum viaticum ſenectuti. Neque vero vos ſatis armatos, & ad pugnam

quæ

BIBL...

quæ imminet parato: arbitror, ſi earum tantum rerum, quæ ſub ſenſus cadunt, cauſarumq; rationes teneatis, non ad tenue elimatas, nec omnino explicatas: quod altius ipſum eſt, quam quod Philoſophia, etſi ſe ipſa erigere conetur, humi tamen ſtrata ſuſpicere poſſit. Neque enim hac in militia ita ridiculi eſſe debetis vt gregarius ille, qui ſub Maximiano Cæſare aduerſus Perſas militabat: quippe, cum captis & direptis hoſtium caſtris in Parthicum ſacculum incidiſſet, pulcherrimum illum, atque egregie conueſtitum, & plenum, quod caput erat, margaritarum maximi precij, illis in terram excuſſis, vt erat idiota & imperitus, externa pellis ſpecie delectatus, abiit exultans. Hoc ipſum cœlum, auditores, tam multis ornatum & illuminatum ſideribus, hæc ipſa rerum vniuerſitas, qua nihil nec pictius nec elegantius fingi poteſt, vt ſcitis a deo quædam quaſi pellis extenta eſt, turpe ſit, ſi eius aſpectu tantum, & ſplendore, puerorum more, capti, nihil de eo qui hãc omnem pulchritudinem, quam fabricatus eſt, tuetur, & regit: nihil longius, quam vitæ termini poſtulent, ſpe atque animo de vobis veſtriſq; cogitetis. erigenda atque excitãda mens, quæ numquam acquieſcit, ſed quaſi ignis continuata quadam & perenni motione agitatus in ſublime fertur, ex opaco atq; obſcuro loco ad lucem, ex Solis ſpecie, quam in aqua intuetur, ad ipſum ſuſpiciẽdum Solem: ab effectarum rerum veſtigiis ad effectorem & parentem earum, fidei & rationis geminis quaſi alis, euehenda: intrandum eſt in auguſtiſsimum beatiſsimæ illius ciuitatis tẽplum, in quod purus atque integer animus admiſtione corporis & ſordium liberatus euolabit: prædiſcenda & quodammodo

modo præcipienda beatorum gaudia; luſtranda animo & cogitatione ſingula: ſpectandum, quantum intendi humana acies poteſt, ſupremum illud maieſtatis numen atq; imperium. Deus: Deus, inquam ille, quem ita vnum in trinitatis plenitudine colimus, vt item trinitatis æqualitatem in vna diuinitate veneremur. agnoſcenda immenſa erga humanum genus Chriſti optimi maximi clementia: qui cum vnicus Dei eſſet filius, ac Dominus omnium, homo factus, ex integerrima naſci Virgine: & cum ſe, ne agnoſceretur, famulari veſte in medios immiſiſſet hoſtes (o amorem mirum, o beneuolentiam ſingularem) immortalitatem hominibus morte ſua reddere voluit: in quo etiamſi duæ ſint veræ perfectæq; naturæ, vnam tamen confitemur eſſe perſonam: vt neq; naturarum diſtinctio vnitatem perſonæ diuidat, neq; item perſonæ vnitas differentiam confundat naturæ. conſalutandi ciuium cœtus atque agmina cæleſtium: videndi quos Chriſtus Ieſus ſuo conſecratos ſanguine mortalibus reliquit, qui ad cœlum ducerent, gradus: qui etiam ſum ommusnium iudex in ſupremo illo die, quo quiſq; vt meritus erit, præſens pretium pro factis feret, æterna quæ recte factis debentur præmia, quæ peccatis ſupplicia, decernet. ne multa. armãdum eſt caput galea ſalutis: & pectus lata illa & inſigni lorica iuſtitiæ, quæ non ſolum protegat, verum etiam tela inimicorum ita retundat, vt reflexa in ferientium viſceribus adhereſcant. Porro hæc armatura ex illa eſt vnius reginæ artium ac magiſtræ virtutum Theologiæ officina petenda, cuius etiam ſupellex pluris æſtimanda eſt, quam quæcumque poſſeſſiones ceterarum: ita enim diues videtur & locuples.

vt

vt omnia ad bonam & beatam vitam ſuppeditet inſtrumenta. O præclarum ac diuinum munus: ſiquidem id affert, quod eſt maxime hominibus optandũ, maximeque neceſſarium. Accipite enim, auditores, veterem orationem ſancti in primis & plurimarum rerum ſcientia ornati viri, quam etiam litterarum monumentis conſignatam reliquit. Nullam diſciplinam magis ſalutarem dicebat hominibus a Deo datam, quam Dei ipſius & rerum diuinarum ſcientiam: cuius ſpe & deſiderio inflammatæ mentes, ad omnem religionem & ſanctitatem incitarentur: hinc ciuitatum conſtitutiones, rerumpublicarum adminiſtrationes: hinc mutua inter homines officia: nullum honeſtum laborem, nullum magnum & pulchrum facinus eſſe, ad quod ſuſcipiendum non Dei cognitio, & multo magis caritas impelleret: magnitudinem vero animi, cupiditatem innocentiæ, humanarum rerum deſpicientiam, nullis aliis ſtimulis excitari: cumq; hominibus nihil præſtabilius idem dediſſet Deus, quam animos, huic diuino muneri ac dono nihil eſſe tam vtile, quam quod in ipſo Deo perquirendo & diligendo ſtudium atq; opera collocatur: nec enim pietate dominante vitiis locum eſſe omnino, quæ ſunt peſtes animorum: nec in Dei regno noxium aliquid poſſe conſiſtere. Quod quo magis intelligeretur, fingere cogitatione aliquem iubebat, Dei amore, qui cognitionis fetus quidam eſt, incenſum quanto fieri poſſit maximo. nemini cenſebat fore dubium, quin tamdiu, dum ita affectus eſſet, nihil mali agitare mente, nihil peruerſi ratione, nihil praui ſuſpicione ne attingere quidem poſſet. Quocirca nihil eſſe, quod ampliores & magis mirificos fructus afferat

homni

homini, quam viam & rationem Dei contemplandi, quæ Theologia dicitur: ſiquidem hæc ipſa quo perfectior eſt, atq; excellentior, eo arctius hominem cum Deo coniungit: quæ vna coniunctio tanta eſt, tamq; præter ceteras admirabilis, & ſecluſa ab humanis ſenſibus, vt eam neque cuiuſquam oratio conſequatur, neq; cogitatio comprehendat. Et ſane, auditores, ita ſe res habet: verus Dei non tantum contemplator, verum etiam amator, ſe in optimo exquirendo vitæ ſtatu collocat: cupiditatibus, quibus plerique ſeruiunt, imperat: & quod Achilles in fabulis dicitur nectaris & ambroſiæ meditamine omnis cibi deſiderium depuliſſe, multò hunc minus, deguſtata rerum diuinarum ſuauitate, ſtimulat rerum humanarum fames: ita & quam maxime ſe a corpore reuocat ad animum, & vnius tantum Dei gloriæ memor, oblitus rerum ceterarum, nihil abiectum, nihil humile cogitat, nec voluptatem requirens corporis, nec fugiens laborem. Quod ſi quis talis miles, aut princeps potius, ac ſignifer, hoc in numero exiſtit: exiſtere autem non paucos intelligo: ei vero non ego coniectura aliqua opinabili ductus, quaſi diuinans, aut obſcurũ aliquid iaciens, ſed Deus ipſe, cuius par eſt & voluntati facultas, & facultati ſcientia rerum futurarum, certam deſpondet magnamque victoriam. Ipſo igitur duce & auſpice, luſtrato exercitu, belli apparatu, ac militum ordine deſcripto, recta militiæ ratio & diſciplina præſcribit, vt quem quiſque a belli magiſtro attributum tenet locum, in eo egregiam operam nauet, & victoriæ ſtudens, virtutem virtute vincat, & antiqua ornamenta cumulet nouis. Video, adoleſcentes, veſtro e vultu, qui imago quadam eſt ani-

tia, vulnera: ea ſunt a vobis pietatis, integritatis, morum, & ſcientiæ remediis ſananda. habetis domeſtica exempla, & adhuc ſpirantia eorum, qui cum alios viderent male ſentire, alios nihil omnino curare, alios parum conſtãter in ſuſcepta cauſa permanere, fortes ſe & animoſos ipſi morti offerentes, ceteris quidem admirationem, vobis etiam imitationem facti reliquerunt. Cogitate quid par ſit vos facere flos Italiæ, atq; adeo Europæ, qui in luce Romani Seminarij educati, maximam habetis aduerſariam ſummam eam in qua nunc eſtis expectationem. Conſiderate quid debeatis omnes, qui in Romano Gymnaſio, vt in quodam Chriſtiani orbis theatro, verſamini. ſunt prope in ſpeculis homines, & omnes obſeruant, quo modo ſe gerat vnuſquiſq; veſtrum: nec tantum vos amici & ſtudioſi veſtrarum laudum, ſed etiam obtrectatores & maleuoli intuentur. pudeat ab illis veſtrã accuſari, ab his rideri negligentiam: facite vt alteros iuuet bene velle, alteros inuidiſſe pœniteat. hæc vobis cura ſuſcipienda, hæc opera ſumenda eſt: nihil aliud agite, nullum aliud veſtrum eſſe officium ducite, niſi vt quo abundatis ingenio, cum eo ita ſtudium certet, vt in difficili exiſtimatione vtrum præſtet alteri, vtriuſq; non modo laudem, ſed etiam admirationem conſequemini. Proſpectat vos alta ex arce ſummus ille Chriſtianæ militiæ imperator Gregorius Tertius decimus, qui ſuarum magnitudine virtutum, celſiſſimam, & cœlo proximam æquauit ſedem dignitatis: qui etiam non contentus in multiplices ſtudioſorum cœtus exercuiſſe omne illud genus liberalitatis, quod a tanta humanitate & poteſtate proficiſci potuit, quaſi regius ille ad impenſas augeatur animus, præ-

clarum hoc ædificat, & plenum dignitatis Collegium, in quo plures veræ pietatis & doctrinæ appetentes eſſe facilius poterunt, & informari commodius: æternum ſummæ religionis & beneficentiæ monumentum. Difficile profecto erit, tantam expectationem, tam grauem, tam multorum, vt decet, ſuſtinere: ſed vos ij eſtis, ſi veſtrum noui ardorem mentis ad virtutem, qui quod languorem aliis afferat, eodem acuamini. An vero vobis recuſandus erit, & non prius vltro appetendus labor, tantis muneribus excitatus & commodis? an ab iſta præclara nobilitate, atq; egregia veſtra indole aliquid deſiderari patiemini? non per illos ſanctitate & doctrina præſtantes viros, quorum ſcripta peruolutatis, atq; inſiſtitis veſtigia: non per illas elegantes & ingenuas artes, quarum cupiditate inflammati, omnem cogitationem ad earum ſtudia contuliſtis: non per Deum immortalem, de cuius laude tantum eſtis atque honore ſoliciti. An potuerunt inanis olim gloriolæ auidi, cæco quodam impetu concitati, maiore ſtudio mortem expetere, quam cæteri vitam: cogitare, quot cicatrices ferrēt corpore, tot praferre virtutis inſignia, & (quaſi omnium artuum damna & iacturam, omnēque carnificinam, breue quoddam compendium, & leuis cito perituræ quæſtus gloriæ præponderaret) cruciatus quoslibet ſubire, dolores excipere, vulneribus obuiam procedere, per fulgentes hoſtium gladios irruere, per flammas currere: at Chriſtianus miles, ad ſolidam æternamque gloriam natus, exiguos quoſdam labores, qui iſſe minime dubia cæleſtium præmiorum, & caſtiſsima Deo placendi volūtate, nō ſolum iucundi, ſed etiam glorioſi videri debent: non minus

abiecte

abiecte & humiliter, quam ignaue & turpiter deſugiet, & vbi primũ impetum effuderit, veluti quædam animalia amiſſo aculeo, torpebit? quin potius is eſſe debet, quales vos omnes eſtis, auditores: vt vitam, quæ langueſcit inertia mortem: eam quæ labore alitur, etiam ſi laborando deficiat, immortalitatem putet: ac ſe tamquã promptum virum ac ſtrenuum, cui inſitũ ſit aut vincere aut emori, mortuum magis, quam viuum, deſiderari velit. Et vos igitur virili virtute præditi adoleſcentes, quando eo animo eſtis, & Deo freti, totos vos in eum mente & voluntate conieciſtis, eumdemq; ſpectatis auctorem fructumque victoriæ: nolite obſecro per ignauiam amittere, quod vobis eſt in manibus: proſpicite vobis, proſpicite exiſtimationi, proſpicite æternitati. viget ætas ad ſummã laudem, omnibus rebus ornata: animus valet, quem nihil niſi excelſum magnificumque delectat: magnum quiddã eſt, quod a vobis veſtrum & genus & ingenium, quod hi patres, quorum conſiliis noſtra ſtudia reguntur. quod omnes, qui hic adſunt & veſtris fauent conatibus, clariſsimi viri, non expectant ſolum, ſed etiam poſtulant, qui etiam vos taciti hortari videntur: et ſi quæ vobis propoſita eſt merces, multo magis quam cuiuſquam oratio, incitare debet. En tandem pleni tot adhortantium vocibus ad veram gloriam, & ad pulcherrimum optimarũ artium decus excitati, contendite, vt quæ bona de vobis concepta eſt, illa in dies magis magiſque duplicetur opinio. Tempore oblato, ducibus paratis, Dei ipſius beneficio vtimini. nihil eſt enim honeſtius, nihil ſuauis, quam perpetuo ſequi quod iuſtiſsime cupis: vt quod per ſequendũ cupidiſsime fuerat, aliquando conſequare. DIXI.

ORATIO QVINTA.

De diſcrimine inter virum doctum atque indoctum.

CYRVS ILLE, quem in ipſo vitæ initio ab auo iuſſum interfici, nutritum a cane a cepimus, P. A. grandior iam factus, reique ipſius admonitus, cum occupatum a Medis Aſſyriorum regnum ad Perſarum reuocare vellet imperium, Perſepolim vrbem ingreſſus, a populo, quem admonuerat vt adeſſet cum ſecuribus, ſiluam viæ circumdatam excindi iubet: lautum poſtridie conuiuium iis qui laborauerant, parat. Quo acceptos hilare cum videret alacriores factos, rogat, ſi eorum optio ſit eligendi, præſentes epulas, aut heſternum laborem, vtrum malint. Cum vna voce audiretur omnium conſenſus præſentes epulas optantium: heſterno, ſubiecit, labori ſimilem vitam agetis, quamdiu Medis parebitis: ſi me ſequi decreueritis, epulis hodiernis. Quo facto dictoque, cum expreſſiſſe videretur qua premebantur duræ imaginem ſeruitutis, cunctos impulit, id quod volebat, ad bellum Medis inferendum. Vſq; adeo facile eſt animos hominum ab ea re abducere, quam ſpecie ad inſpiciendum propoſita, vel inutilem ſibi, vel turpem eſſe iudicarint. Sic Minerua fiſtulas abieciſſe dicitur, cum inflatas turpiter buccas aſpexiſſet in aqua. Sic Lacedæmoniorum pueri fugiebant ebrietatis vitium, cu-

ius deformitatem intuebantur in ſeruis: iracundiam Socratici, cum oris habitum vultumq́; ſi forte iraſcerentur, in ſpeculo, magiſtro monente, vidiſſent. Quamobrem hodierna die, qua nouus diſciplinarũ aperitur annus, ex quo huic muneri præpoſitus ſum, vt vetere inſtituto, ad earum amorem vos incitem, adoleſcentes, mea hæc erit ratio, vt, meliore licet conſilio quam ingenio, expoſitis aliquot malis (quis enim poſſet omnia?) quæ in hominem indoctum atq; inſipientem cadunt, vos exhorter vehementius, vt ab iis, quod facitis, omni animiq; & corporis contentione refugiatis. Iucunda erit oratio, quia vera: nec nimium longa, quia non de rebus incognitis: apta quidem ad id, quo de agimus: quia ex contrariorum contentione, quæ ſit ſpecies Sapientiæ, ad quam præcurſionem adhibet liberalis eruditio, & qualis pulcherrimarũ doctrinarum ſplendor, euidentius apparebit. Video apud quos loquar P. A. non obſcurum eſt quid iudicetis de ſtudio litterarum: nec iudicio veſtro officit amor qui de iudicio ortus eſt: neq; illud ignoro, hanc eſſe doctrinarum gloriam, vt nullis laudibus creſcant, nulla vituperatione minuantur. Et quamquam intelligebam nihil acceſſurum ad earum commendationem, aut ad iudicium de illis veſtrum, ſi dicerem deceſſurum aliquid arbitrabar de officio meo, ſi tacerem. ſimulque cum præciperem cogitatione, horum adoleſcentium, qui ſe plurimum veſtra præſentia illuſtrari putant, quæ ſit ingenij indoles, quæ diſcendi alacritas: exiſtimabam eos, quicumq; admouerentur ſtimuli ſua ſponte currentibus, tantos proceſſus effecturos in ſtudiis ſapientiæ, vt nec maiora ſperari de aliis quotcumque, quam de his ſingulis, nec meliora

a quibuſcumque præſtari, quam ab horum quolibet, poſſent. Nempe, nihil æque fugiendum videbunt viro ingenuo, atq; haberi inſipientem, & omnis eruditionis expertem. Si enim vobiſcum reputabitis, adoleſcentes, & hominem rudem ignarumq; litterarum vobis conſtituetis ante oculos, eum ita ſolum, deſertũ, deformatum, ſpoliatum ornamentis omnibus, & vacuum bonis intellegitis, vt prorſus nihil abſit, quin ſit miſerrimus. Nec tamen de ea loquor, quem aut propter tenuitatem rei familiaris, pauperem, aut propter obſcuritatem generis humilem, vulgus appellat. Longe alia oratio mea eſt, diſparq; ſententia. Nã etſi virum dederis clariſsimis ortum maioribus, refertũ pecunia, circumfluentem copiis, abundantem rebus omnibus, vno tantum careat inſtrumento doctrinarum, quas virtus conſequitur: ſi rem ſuis examines momentis, neq; ex fucata ſpecie diuitiarum oculi imponant animis: excellentẽ illam nobilitatem generis, nihil aliud ei contuliſſe reperies, niſi vt infamia notior: opum præſtantiã, vt inopia maior eſſe videretur. Loquatur mihi iſte, glorioſorum more, aurum argentũq; & fundos fructuoſiſsimos, iactet cœlo proximas ædes, oſtentet cultam ſeruorum cohortem, explicet gẽmeam ſupellectilem: niſi adſit animus, qui hæc omnia ex virtute moderetur, res iſtas dicam eſſe ad nequitiam incitamenta: domum ſplendidum carcerem: aurum, vincula: comitatum, cuſtodiam ſatellitum: reliqua puerilem & ludicram pompam. Verum ingens præit & ſequitur famulantium agmen, longeq; venientem puluis oſtendit. Sed aliquis interea non deerit Crates, qui inflato homini, & ſua magnifice circumſpicienti, ſuoſque numeranti, in aurem inſuſurrabit:

Miſeret

Miſeret me ſolitudinis tuæ. Quid. n. ſolum eum eſſe non dixeris, qui ſecum ipſe non eſt, ſecum non loquitur, ſemper ad exteriora ſe porrigit: qui ſi deſeratur a rebus, quas videtur habere, deſeretur ab omnibus? Solus eſt, quia expers doctrinæ eſt: miſer eſt, quia ſolus. Et hic ſe beatum eſſe gloriabitur, qui ſolus, expers doctrinæ, & miſer eſt! Recte hoc Socraticus Ariſtippus, vt alia quædam: qui cum interrogaretur, doctus imperito quid intereſſet: Mitte vtrumq; inquit, nudum ad gentem ignotam: tunc diſcrimen intelliges. In imperito, ſi forte, humanitatis ratio habebitur, in altero, hominis ipſius: & ille, fortaſſe miſeratione; hic, etiã admiratione afficietur. Quod autem oratione dixit, hoc reipſa expertus eſt Ariſtippus. Cũ enim aliquando e naufragio cũ conuectoribus Rhodum fuiſſet eiectus, ſtatim in Gymnaſium venit, ibiq; de Philoſophia, multis audientibus, grauiter & copioſe diſputauit: quod cum eſſet animaduerſum a compluribus, Rhodij tantum homini ignoto honorem habuerunt, tot in eum certatim munera, tantaque congeſſerunt, vt & ſociis naufragij veſtem miſerint, & omnia quæ illis erant neceſſaria abũde ſubminiſtrarint. Quibus abeuntibus, & quærentibus, ecquid ſuis vellet nunciari, (ipſe enim Rhodi aliquandiu manſit,) Dicite, inquit, Cyrenenſibus, vt ea conquirãt liberis viatica, quæ cũ illis vna poſſint e naufragio enatare. Intelligebat profecto vir admirabili ſapietia, aurum atque argentum ceteraque extra hominem bona amitti nõ difficile poſſe, doctrinarum poſſeſſionem atque virtutum, magna illa & vera bona animi, hominis eſſe propria æternaque haberi hæc enim qui habent, numquam inopes ab amicis & exiſtimatione eſſe

poſſunt:non aliter atque aurum, vbicumque terrarũ erunt, magno erunt in precio, quod dicebat Democritus: & quod Theophraſtus, quocumque ibunt, in ſuam ibunt patriam, & nuſquam peregrini eſſe videbuntur. His qui carent, ignoti homines & ſordidi, etiam ſi rebus affluant ceteris, non diuites ſunt aut beati, ſed pauperes & miſeri vocandi. Nempe, mendicum, vt cum eodem loquar Ariſtippo, præſtat eſſe, quam indoctum. Ille eget pecunia, hic humanitate: & qui pecuniam deſiderat, non deſinit eſſe homo: qui humanitatem, homo eſſe qui poteſt? At, magnum eſt (neque enim tam facile ex animis quorumdam exuri poteſt hæc ſententia) magnum eſt, eſſe diuitem, habere laqueata auro & ebore tecta, ſtrata marmore pauimenta, conueſtitos purpura parietes, amplam pecuniam, luxurioſas opes. O occupatam paupertatem nomine diuitiarum. O diuitias omni egeſtate mendiciores: quando nec illis vtuntur imperiti, vt debent, & quo magis abundant, creſcente cupiditate, eo minus explentur: neque enim didicerunt ſapientiam, quæ illarum finem modumque præſcribit. Hanc videlicet vnam aureæ iſta mancipia (ſic Socrates appellabat diuites indoctos) effugere non poſſunt, quæ res eorum clariſſimas obſcurat, notam. Nam quoties quis dixerit, multum hic aut ille auri habet, atque argẽti: eſt contra qui obſtrepat, ſed non habet ſapientiam: plurimum agri poſſidet, pecoris, ſupellectilis; ſed caret ſapientia: annuis ſuis redditibus magnum exercitum alere poteſt: deeſt illi pretioſiſſimus cenſus, ſapientia. Denique omni iſti copiæ ſemper opponetur ſapientia: cuius inopia, etiam illa quæ laudãda videntur, obruet. Vtinam iſti diuitiarum

tiarum amatores, litterarum irriſores, ex aureo illo lecto, quem implent pretioſiorem ſe, e molliſsima pluma, in qua ſepelierunt curas ſuas, audirent quæ de imperitis diuitibus pauperes dixere ſapientes: quam ſint inter opes inopes, inter honores inglorij, miſeri inter voluptates: expergiſcerentur, mihi credite, atq; exilirent, multo citius, quam Dionyſij Damocles, qui exquiſitiſsimas inter epulas fulgentem videbat gladium e lacunari ſeta appenſum equina impendentem ceruicibus. Sed indormiunt tanto bono, & in longum ſpem iacientes ſomniant vigilantes, quod beatam ſibi promittunt atque hilarem vitam ſine labore diſcendi. Turbandum eſſet illis hoc ſomnium, & adimenda viſi iucunditas falſa, & obfutura. Quod ſi voces non proficerent, adhibitis veræ gloriæ facibus excitandi: ſed tantus eos ſopor oppreſsit, aut potius ſtupor, vt non ſentiant: lapides ſunt. Et duriores lapide dicebat eos eſſe Stilpon, qui negligerent animi cultum. Viſo olim Gorgonis ore homines legimus in lapides fuiſſe conuerſos. Triſte hoc malum ne ales pateretur Perſeus, Minerua duce, caput illud cinctum anguibus, aſpiciens ipſius imaginem in pellucente clypeo, abſcidiſſe dicitur auerſo volatu. E Gorgonis porro ſanguine volucer Pegaſus exortus eſt, qui ictu vngulæ Muſis fontem Parnaſſum aperuit. Non hæc temere conficta a magiſtris ſapientiæ: admirabile quiddam, & aptum ad vitam inſtituendam, ſub fabulæ inuolucro latet. Gorgonis caput rerum terrenarum cupiditas eſt, quæ hominis opſtupefacit ſenſum & lapideũ facit. Ad hanc auellendam, erigendus animus eſt alis, id eſt rerum contemplatione cœleſtium: quoad mortalium vſui non

tradens ſe, ſed commodans, coërceat omnem cupiditatem, auctore Sapientia. Hinc pinnata fama ſe extollit, quæ virtutes in obſcuro eſſe non ſinit, poëtaſq; & oratores, illos Muſarum alumnos, auctores illos perennis æternitatis, exuſcitat, vt omne flumen orationis & ingenij conferant ad viri ſapientis gloriam laudeſque celebrandas. Sunt enim ſapientes, vt ad iucũdiora deflectat oratio, interioribus inſtructi litteris, e raro quodam genere hominum, ac pene diuino: quorum nomina audimus cum admiratione, vt conſecutorum ſummã conditionis humanæ. Et vero nulla oratio eſt, quæ ſapientis laudem comprehendat. Quicquid de eo dicitur, minus eſt. Nam ſi eum dixeris integrum eſſe hominem, atque ab omni culpa abhorrentem, parum eſt: iuſtiſſimum, omniſq; officij diligentiſſimum, parum eſt: documentum omnibus virtutis, pietatis, innocentiæ: adhuc parum eſt. Deo proximus eſt. Magnum hoc verbum, auditores, ſed verum. Et deos eſſe dicebat Demades viros doctos. Quid enim eũ hominem appellem, cuius conſulta pro reſponſis, verba pro effatis habentur: cuius inſtitutum omne & cõſilium, lex quædam & norma videtur eſſe actionum humanarum: cuius puræ & liquidæ mentis agitatio ſeſe a rebus inferis abſtrahit, vt aſcẽdat ad ſuperas, & rimetur arcana cœleſtia. cuius fecundũ pectus anguſtiſſimum Sapiẽtiæ tẽplum, & facundum os ampliſſimum Eloquentiæ flumen eſſe videatur? Audite audite P. A. quid de iis ſenſerit & ſcripſerit incredibili vir ſanctitate & eloquẽtia Hieronymus. Quid valeat, inquit, apud homines ſeculi eloquentia & ſapiẽtia ſecularis, teſtes ſunt Demoſthenes, Tullius, Plato, Xenophõ, Theophraſtus, Ariſtoteles, & ceteri Oratores,

ac Philoſophi : qui velut reges habentur hominũ : & præcepta eorum, non vt præcepta mortalium, ſed quaſi oracula accipiuntur deorum. Vnde & Plato dicit, felices fore reſpublicas ſi aut Philoſophi regnent, aut reges philoſophentur. Magnum teſtimonium viri magni, quod & veſtro probatur aſſenſu. Ex quo etiam admoneri videmur, vt quandoquidem vera ſapientia, de qua loquimur, hominem, quantum quidem mortalitati licet, ſimilem facit Deo, id quale ſit, enodatius explicemus. Iuuabit hoc noſtros adoleſcentes, qui videbunt, quo rerum ſcientia referatur : ad quod veluti ſidus nauigantes in hoc Oceano litterarum dirigant curſum: & ad perſpectam rei pulchritudinem remis veliſque omni feſtinatione properabunt. Duabus præcipue rebus homines proxime ad Deum accedere aiebat Pythagoras, veritate, & beneficentia : addamus & nos, vt expleatur numerus, ſi placet, alias duas, vitæ ſecuritatem, & nominis æternitatem, hæc enim omnia conueniunt in virum perfecte ſapientem: vt ex his conflatum illum, non appellemus hominem, ſed inter homines, vt dixi, veneremur vt Deum. Ac primum, quam ſit amator veritatis, vel ex eo colligi poteſt, quod in eius ſemper inquiſitione verſatur. neque enim aliud agit, cum in omni contemplatione & diſputatione venatur efficientiam rerum, earumque naturam. Ergo e prima & diuina Philoſophia rerum omnium principia : ex ea quæ eſt de natura, effectorum cauſſas, & modos: e Geometria Arithmetica, Muſica, quantitatis proprietates, & harmoniam ſcrutatur: & inuẽta deinde replicãs initia, iterũq; cõponens, quaſi per gradus eo progreditur tandẽ: vt defigens obtutum in Deo, quaſi in ſpeculo intueatur õnia

quæ

quæ ab illa admirabili continuatione rerum & ſerie pulcherrime manant. Hinc vbi deſcenderit, quaſi interpres & internuntius cœleſtium, communicabit eorum myſteria mortalibus. ita factum ab Anaxagora, qui cœlo adhuc ſereno imbrem: a Pherecide, qui naufragium mare tranquillo: ab Anaximandro, qui motum terræ: ac ne plures memorem, a Thalete Mileſio, qui olearum vbertatem, & defectionem Solis forè prænuntiauit. Nec vero minus ad veritatem illud pertinet, quod non in tenebris, vt ceterorum mortalium, mens ſapiẽtis habitat, ſed in luce clariſſima. Præclare enim Ariſtoteles: quemadmodum viſus lumen accipit ab aere circumfuſo, ſic perfecta mens a liberalibus diſciplinis. ita, ſine erroris ſuſpicione, rerum omnium vim, originem, progreſſionem videt, caligine depulſa. Ex quo fit, vt nec aliter ſentiat, ac ſit rei natura: nec loquatur aliter ac ſentiat: perpetuamq; habeat & magnam in ratione & oratione conſtantiam. Quod ſi quæras de benignitate, ea tanta eſt, vt nullus mortalium mortalibus prodeſſe plus velit aut poſſit. hic enim eſt, qui cum verum videat, & doceat, maximis hominũ animos liberat erroribus: qui e dẽſiſſimis tenebris, vt illuſtret vitæ commoda, diuinum lumen extollit: qui ducem ſe certiſſimũ ſequentibus præbet, & rectum iter oſtendit: quo præceptore in tranquillitate iucundiſſime viuitur, cupiditatum ardore reſtincto: vt magnus ille luſtrator terrarum, domitor ferarum, liberator gẽtium, Hercules, non tot affecerit beneficiis vnam aut alteram nationem, quot hic afficere poteſt vniuerſas. Hic docet Deum colere, homines diligere, ſeruare in rebus omnibus æquitatem, præ animi voluptate, corporis deſpicere, expetere laborem

laborem pro gloria, & , quod eſt omnium maximũ, maximeq́ difficile, ſecunda moderate, aduerſa patie- ter ferre. Nihil illo vtilius in pace, ad animos formandos: nihil in præliis, ad acuendos: omnibus auxilio prodeſt, vel conſilio. Vnus denique eſt illo digniſſimus eclogio, quo nullum erat illuſtrius: Bono publico natus. Equidem & Alcibiadem exiſtimo, ſi ea quæ a Socrate didicerat, tenere voluiſſet, futurum Athenarum ciuitati vtiliorem fuiſſe: & Alexandrum, ſi Geometriam diſcere perrexiſſet, viſa perparua mundi ſede, recuſaturum Magni cognomen, in re tam puſilla, cuius ne minimam quidem partem occupaſſet. Eodemque modo de Dionyſio & Cæſare iudico: quorũ vterque, propter eum quẽ ſibi opinionis errore finxerat principatum, neglexit Philoſophiam. At fuerunt homines docti: fuerint ſane. nos non inornatam, aut ſolam, ſed ornatam quærimus virtutum comitatu, inſtructamque doctrinam. Etenim ſapientem cum voco, eum intelligo, cuius vita a doctrina non diſſentiat. Quod ſi in animum immoderatum atque improbum, vt paulo preſsius agam, eloquentia inciderit, aut quantauis rerum ſcientia: hic qui eas habet, non vere eloquens, aut vllius rei ſciens eſſe poterit. Quid? eum putatis dici eloquentem, qui controuerſiam ſententiolis vibrantibus pingit, qui delectis verborum floſculis, vt teſſerulis in emblemate vermiculato, orationem apte diſtinguit, numeroſeque componit: aut philoſophum, qui tortuoſo quodam genere diſputandi, & fallacibus concluſiunculis, tum denique melius ſe ſcire arbitratur, cum in magna auditorum corona magis exclamat: & qui vtrumque non incommode facit, etiamſi cetera deſint animi

mi bona, ſapientem videri? Nec diuites, vt dicebat Anacharſis, erant Athenienſes, qui vtebantur tantum pecunia ad numerandum: nec iſti, mea quidem ſententia, ſcientes, tantum abeſt vt ſapientes, qui vtũtur duntaxat ſcientia ad ſciendum, non etiam ad honeſte recteque viuendum. Errant, & vehementer errant qui hoc ſentiunt. Longe aliud eſt Aud. ſapientia. Sapiens nempe dicendus eſt is, qui in præculto ac præparato optimis artibus animo habet illud bonum, quo nihil maius in terris homini datur, vt hominibus proſit: quod vnum cum ſit, omnia cõplectitur, eo fulgore vt ceteris afferat obſcuritatem. Sed iam eo reuocemus orationem, vnde quidam nos æſtus illius, non rerum ordo deduxit. Et ſequitur illud tertiũ, vt de ſapientis noſtri ſecuritate & animi tranquillitate dicamus. Quamquam mihi hoc cogitanti lux quædã oboritur, & pulcherrima ſapiẽtis imago oculos atque animum rapit, dum ſeſe in altiſſimo vertice oſtentat, vbi ſuperior eſt hominum faſtigio, in propiore cœlitibus loco. Dicas eum eſſe in Olympo monte, vbi lux ſẽper clariſſima, numquam tenebræ: quies placidiſſima, quam nulla perturbet violenta tempeſtas, nullus vẽtorum furor exagitet. Fortunam prudentes multi, ſi vlla modo Fortuna eſt, fecerunt Prudentiæ filiam nec inſipienter fortaſſe aliquis e Sapientia natam dicet eſſe mentis tranquillitatem. Exaggeratus quippe animus, humana contemnens, nulli rei aduerſæ cedens, ſemper inuictus, nec inani ſpe erigitur, nec deprimitur metu. conceſſit in Sapientiæ ſacrarium, vbi nullus auditur importunus ſtrepitus, nullus eſt curarum profanarum locus. Spernit, quod caput eſt, geminas illas animorum peſtes, diuitiarum cupiditatem, & volu-

& voluptatem. Diues enim & potẽs ſui diuitias ſibi fecit nihil appetendo: nec magno æſtimat incertas illas opes & inanes, quarum nec laus in copia, nec culpa in penuria eſt. Nimirum illas poſsidet, quæ nec eripi nec ſurripi poſſunt, quæ beatum faciunt poſsidentem. Voluptatem deinde aſpernatur, blandiſsimam illam dominam, malorum omnium caput, lenam illã ſui, & veneficam, quæ imponit hamo eſcam, quam ſcit piſciculos appetituros. Habet enim veram illam ac ſolidam voluptatem, cui nullum eſt faſtidium finitimum, nulla ſatietas: quæ non relinquit cauſſas pœnitendi. Extinguitur lumen ſtellulæ in luce Solis, voluptas corporis, vbi adeſt animi, ne nominatur quidem. Qualẽ igitur putatis locum, quam tutum, quã clauſum, in quo conſtituit doctrina ſapientem? Nihil tam munito vallo, & tam vallato munimento Natura præcluſit, quo non penetret audacia, modo aliqua ſpes conandi relinquatur. Is tantum inexpugnabilis murus eſt, quem extruit animo Sapientia. Hic ſtat ille ſuis ſeptus virtutibus, & humana omnia infra ſe poſita putat, & quamquam circum tonent arma, & aſsiliant tela, irritos ridet conatus: & iacula, quæ ad ſe non perueniunt, nihil perterritus e celſiſsima turre deſpectat. Ac ne quis ſit, qui nimiũ me dicat tribuere ſapienti, qui eum ex hominibus eximã. Ego vero illum hominẽ eſſe non obliuiſcor: nego etiam fieri poſſe, quin, vt homo eſt, humanis ſæpe tentetur affectibus. neq; enim ferri naturam illi affingimus: ſed ita conſtitutum eſſe animo arbitror, vt propterea nõ inducatur ad faciendum aliquid, quod non ſit cum virtute coniunctum. Similem eſſe dixeris cauti admirabili iuxta Harpaſam oppidũ Aſiæ, quæ vno digito

cum

eum ſit mobilis, ſi toto impellatur corpore reſiſtit. patitur quidem ille multis perturbationibus (quis enim viuentium hoc effugiat?) ſed non vulneratur: premitur, ſed non opprimitur: & proceræ ritu palmæ, cum oneratur, nititur contra pōdus. quo maior laus eſt fuiſſe in magna rerum varietate vnum, & in varia agitatione conſtantem. Conſtantiam autē, non ſimulatam, ſed propriam habet: nec ſerenos vultus induit nubilis mentibus. ita nullus turbo tantus eſt, vt infuſcet illius cœli tranquillitatem. Expectatis Aud. opinor, dum abſoluam quartum, vt ita dicam, elementum ſapiētis nominis æternitatem: quod quia perſpicuum per ſe eſt, longiorem orationem non deſiderat. Nemo enim veſtrum eſt, qui neſciat, cetera omnia quæ ab homine poſſidentur; vel ante hominē, vel certe cum homine ipſo eſſe peritura: ſapientiam animæ ornamētum cum anima æternitatem habere. Quod ſi dixit Euripides: Mortalium mortalis eſt felicitas, de æterna felicitate locutus videtur. Planius multo Metrodorus, & plenius: qui cum ſcripſiſſet in cōſolatione ad ſororem: Mortale eſt omne mortalium bonum. bona intelligens vulguria: ad ea, quaſi ſe corrigens, adiungit: Nam illud vnum bonum non moritur, certum eſt ſempiternumque, ſapientia, & virtus: hoc vnum contingit immortale mortalibus. Et quidam e numero Poetarum:

Nil non mortale tenemus,
Pectoris exceptis ingeniiq; bonis.

Vnde enim illa, non iam virorum, ſed heroum nomina, numquam ſine honoris præfatione ponenda, quibus ſemper aſſurgimus? eloquētes illi ac ſapientes, qui ſui imitandi cupiditatem fecerunt multis, ſpem omnibus

nibus abſtulerunt, Solones, Socrates, Ariſtidæ, Pithagoræ: & ne externos tantum numerem, Catones, Lelij, Rutilij: & illa Chriſtianorum lumina, Ambroſij, Auguſtini, Baſilij, Gregorij: vnde, inquam, habent illa nomina, vt tot iam ſeculis vixerint, & victura ſint in omnem æternitatem, niſi a ſpiritu ſapientiæ? Hæc ea eſt, quæ, vt ambroſiam Thetis Patrocli corpori, vt illud ſeruaret incorruptum, ſi virtutem hominis animo infuderit, eius nomen reddet omni tempore glorioſum. Sapientem Medeam fuiſſe volebat Diogenes, non veneficam: quæ effeminatos quos accepiſſet homines, & molles, eorum corpora exercitatione & laboris patientia faceret robuſtiora. Hinc diſſipatam fabulam, quaſi coquendis carnibus reſtituere ſenibus iuuentam. Hoc ſi de muliere ſapiente, quid de ipſa dicemus Sapientia quæ alumnos ſuos donat immortalitate? quos videlicet ita fouet, vt & viuentes orbem terrarum impleāt gloria nominis, & mortui viuant in memoria viuorum: qui fructus eſt vitæ iucundiſsimus: ſemperque relinquant poſteris aliquid, quo ſe vixiſſe teſtentur. Quamquam ea eſt natura Sapientiæ, ea pulchritudo doctrinæ, vt etiamſi cum vita extingueretur, ſit multis partibus inſipienti immortalitati anteponenda. Quod & Poſsidonio placuit, cum diceret, vnum diem hominum eruditorum plus patere, quam imperiti ætatem longiſsimam. Sed tamen ita res habet. Sapiētia benefactorum mater eſt: benefacta ſe in luce collocari volunt: eaque cōſequitur, etiamſi id non agatur, amplificatio honoris & gloriæ: vt ſapienti deeſſe nihil poſsit, quin ſit bonis omnibus cumulatus. Vidiſtis Aud. vaſtam illam & præcelſam, quæ nunc ad Vaticanum extollitur,

*lam & præcelſam, quæ nunc ad Vaticanum extolli-
tur, molem, regio ſumptu, cultuq; magnifico, col-
locatis & aptis inter ſe lapidibus fornicatam, nullis
externis fultam adminiculis, conuerſam in ſe totam,
ac ſimilem ſui. Cum hac noſtrum, ſi par eſt quæ non
videntur cum iis quæ videntur comparare, compara-
te ſapientem. Videlicet, virtutum ornatu nexuq; per-
fectus eſt: eæ deinde virtutes ita inter ſe copulatæ
iunctæq; ſunt, vt qui ex iis conſtat, totus in ſe ipſo te-
res ac rotundus non pendeat a rebus externis. Sed,
vt dixi, ſapientis animus cerni non poteſt. quod ſi e-
um intueri liceret, ipſiuſq; pulchritudinem propius
aſpicere: quam dignitatem formæ, Deus immorta-
lis, videremus: quam ſpeciem, quam lucem mul-
tarum virtutum inter ſe permiſtarum ſplendore
conſtantem? quam admirabiles amores Sapientiæ ex-
citarentur? Nemo veſtrum eſſet, adoleſcentes nobi-
liſsimi, quin incenſus eius cupiditate ita excolere vel-
let animum diſciplinis, quæ ad illum animum parãt,
vt eo liceret tandem peruenire. Iam quod oculis
nefas inſpicere, ſubiicite cogitationi: rem digniſſimam
eſſe ſtatuetis, in qua ſit vehementiſsima contentione
animi, ingenij, virium laborandum. Et ſuſpicari ex
his quæ dicta ſunt poteſtis, quæ ſit docti, imago &
imperiti: inter vtrumq; quid interſit. Hunc inopem
eſſe cognouiſtis ac miſerum, nec liberum hominem:
immo nec hominem, ſed pecudi, ſed lapidi quam ſi-
millimum: at contra eruditum virum & ſapientem,
abundantem rebus omnibus, diuitem regem, &, ſi
hoc de homine dicere fas eſt, inter mortales Deum.
Quod ſi ea optio vobis daretur, vtrius vos eſſe ſimi-
les velletis, non dubito reſponſuros, malle etiam*

nu-

nudam ac pauperem ſapientiam, quam omnium bo-rum apparatu ornatuq; locupletatam imperitiam. Tam enim illuſtre illius decus eſt, vt allicere per ſe hominem poßit ſine vlla expectatione vtilitatis. Hoc ſi veſtrum eſt conſilium ſi mens cum officio conſentit, quæ veſtra ſit ætas, quam apta ad diſcendum, & ad labores perferendos videtis. Vt turpe eſt ſenibus neſcire, ita adoleſcentibus non diſcere. & quamquam omni ætate diſcendum eſt, ſi Soloni credimus, tamen veriſsimum illud eſt, aliam ætatem eſſe ad diſcendum alia aptiorem. Quod ſi in otio eſt de negotio, in pace de bello cogitandum: nemini dubium eſſe poteſt, quin iuuentutis duritia conſtituere debeat imbecillitatem ſenectutis. Diſce iuuenis quæ viro ſunt vſui futura: dixit quidam ſapientium. Et alius: Iuueni parandum, ſeni vtendum eſt. Quietem ætas feſſa deſiderat, ſtudium & induſtriam integra & idonea ad laborem. At nomen iſtud laboris odioſum eſt, moleſtum accidit auribus, terret animos: ſegnes animos & abiectos, quales ſunt ignauorum: non ardentes & erectos ad ſpem gloriæ: quales veſtros eſſe intelligo. Neq; enim illud ignotum eſt, ſine labore nihil acquiri quod iucundum diu eſſe poſſit: & acquiſitis rebus eo maiorem percipi lætitiam, quo magis fuerit in earum adeptione elaboratum. Sapienter hoc quoq; Philoſophus ſcenicus Euripides.

Felicitatis vna merces eſt labor.
Iuuene laboris hoſte nil indignius.

Addite iam quod tenera ætas facilius informatur ac fingitur: corroborata & prouecta tractari vix poteſt. Sic tenellam arborem nullo negotio dirigas: vetulam

potius

potius frangas, quam flectas. Pſittacus hac mihi in re humanam non ſolum vocem reddere, ſed docilitatem etiam videtur. Nempe intra alterum ætatis ſuæ annum, quæ monſtrata ſunt, & citius diſcit, & retinet tenacius. maior, paulo eſt ſegnior, & indocilis, & obliuioſus. Date igitur, adoleſcẽtes clariſsimi, dum viget ætas, vos totos ad diſcendum: ne hanc exigui temporis celeritatem, quam retinere non poteſtis, relicti demum intelligatis. Etenim in annis etiam, quod aliis in rebus, deteriora ſuccedunt, meliora præteruolant. Quod ſi qui, vt eſt improbus labor, excuſant virium infirmitatem, videant ij quæſo, ne plus poſſint quam ſimulant, neue minus velint quam poſſunt. Vere enim dictum eſt: Volenti nihil eſſe difficile. Sed in diſcendo quoque ſuus ordo ſeruandus eſt, & tam præclara cupiditas, ne ipſa ſe impediat, regenda. Quemadmodum enim in ſcholis, quæ ad elegantiam ſermonis pertinent, non cenſeo eſſe conſenescendum: neque enim panis adhibendus ad opſonium: ſic eorum factum non probo, qui pleni nimiæ feſtinationis, ingenia, vt ita loquar, nimium cruda ad maiores artes propellunt: & quaſi ſublatis ſcalarum gradibus, dum aſcendere nituntur, ipſi ſibi ruinæ periculum ſtruunt. Ex quo tum demum ſe vidiſſe parum fatentur, cum quod ſemel placuit, defleri magis, quam corrigi poteſt: cum ſcilicet de rebus grauiſsimis inquinate diſputantes, clariſſimam aquam per turpe cœnum effundunt. In eodem errore verſantur, qui ad ſcholas veniunt, vt audiant, non vt diſcant: qui quærũt Gymnaſium tamquam otij diuerſorium. Nam quid de iis dicam, qui deſultoria leuitate nunc huc feruntur, nunc illuc: aut de illis, qui

vno impetu inuadunt vniuerſa? Eſt quidem multorum capax animus, ſed idem plerumque auidior iuſto: haurire debet, adhibita diligentia, quantum capit, non quantum cupit: nec quiquid in eum ingeritur, confuſe ſtipandum, ſed ordine collocandum eſt: adiuuat ordo diſcendi facultatem, & memoriam. Sed hæc fortaſſe non erant neceſſaria, & breuiora propterea fuerunt. Nunc, vt finem faciam, adoleſcentes, nec ſim diutius moleſtus his viris illuſtriſſimis, qui hodie hunc mihi honorem habere voluerunt: cuius beneficij numquam obliuiſcar: in qua tandem vrbe ſitis, quibus diebus, & quo loco, conſiderate. magnus hac ratione ad cohortationem noſtram cumulus acceſſerit. Vrbs eſt magiſtra ſapientiæ, nutrixque doctrinæ: cui ab ipſis fere incunabulis ſic fauet, vt qui pulchris artibus ſunt perpoliti, ij ſolum publicis honoribus digni eſſe videantur. Vrbs Roma theatrum eſt pulcherrimum ingeniorum, atque virtutum litterarum vero ita amans, vt cum hac vna, non Athenienſium ciuitas, non Rhodus, non Niſibis, non Alexandria, non ſi qua alia fuit doctorum officina, ſit vllo modo conferenda. Dies autem ij ſunt, qui eo maiorem requirunt diſcendi diligentiam, quo longiorem poſt quietẽ confirmatis iam animi viribus & corporis, ad intermiſſa ſtudia reuertiſtis. Etſi non hac tantum in vrbe, ſed in toto fere orbe Chriſtiano his diebus ſcholæ repetuntur, feruentq; diſcentium conuentu, & docentium vocibus ſonant. Excitata eſt in omnibus alacritas & contentio doctrinæ. Quod ſi comedendi auiditatem auget auide comedentium aſpectus, aſpicite vos inter vos, ſpectet vnuſquiſque veſtrum ſuos laboris ſocios, & æmulos gloriæ: mutuis quaſi facibus ad honeſta-

rum pulchritudinem artium omnes inflammabimini. Circumſpicite denique hanc aulam, æternum monumentum Gregorianæ pietatis & munificentiæ. recte enim, vt bellicoſos apud Perſas bella tantum pingebantur & prœlia, ita in hoc principe Gymnaſio, omnia a Gregorio Tertiodecimo inſtituta auctaue Collegia & Seminaria, quibus Societas noſtra moderatur, depicta cernũtur. Quid enim hi parietes, qui vos affari videntur: quid germanæ illæ ſorores duæ, Pictura & Poëſis, quid loquuntur? In his omnibus locis, autumno iam hiemi decedente, renouatur tractatio litterarũ: in his omnibus aliiſque Collegiis expetitur ſapientia. Æquum porro eſt ac rationi conſentaneum, vt quemadmodum Roma caput eſt gentium, & magiſtra terrarum: & ab hoc vno, in quo nunc eſtis, tã multa Gymnaſia pendent: ita qui hic informantur iuuenes, diſcendi cupiditate ac diſciplina, aliis omnibus præſtent. Addite addite iam aliquid egregio conatui veſtro, & iſti ardori mentis, qui ex oculis emicat: nolite inuidere eam vobis laudem, quam ſapiens amabit, cupient ceteri. reſpondete, adoleſcentuli, ſpei: vos grandiores natu, opinioni, quam hi viri ampliſſimi de vobis conceptam habent. incumbite per Deum immortalem in eam curam & cogitationem, quæ vobis ſummam gloriam & dignitatem afferet: omnem veſtram operam, & induſtriam in litterarum ſtudia conferte. Veſtrum eſt hoc, adoleſcentes, veſtræ nobilitatis, veſtræ ætatis, veſtri ingenij: iure hoc exigitur a vobis: vt ne præclarum illud & excellens doctrinæ bonum, quod extractos homines ab imperitiæ cæno in cœlo collocat ſapientiæ, aut propter oneris grauitatem remiſſo animo abieciſſe, aut propter difficultatem, abiecto remiſſi videamini. D I X I.

ORATIO SEXTA.

De laudibus Laboris.

SI QVISPIAM eſſet, Auditores, ex tam frequenti, & nobili adoleſcentium corona, qui non vel ſua ſponte incitatus, vel mutuis cohortationibus, exarſiſſet in ſtudium ſapientiæ, conarer fortaſſe, & eſſet pro materia vbertate facillimum, de ipſius ſapientiæ excellentia, ac dignitate nonnulla in medium afferre: vt videlicet, qua ſunt omnes magnitudine animi non niſi preclara cupientis, vehementius ad eius amorem admotis veluti facibus incenderentur: ſed quoniam & illud, quantum in nobis fuit, effectum eſt ſuperiore anno, & parum, aut potius nihil ad eorum cupiditatem addi poſſe intelligo, ne nihil egiſſe videamur in hoc munere, officioque ſuſcepto, eo conuertam, vobis libentibus, orationem, vt quandoquidem non ita facile perducimur ad adeptionē rei pulcherrimæ, quod maximum vnumque illius ſit pretium, quam breuiſſime oſtendam. Erit opinor auditu iucundum, atque etiam intellectu, eam prope ſolam mercedem exigi, quæ in manu ſit cuiuſque, vt ſine mutuatione vlla, ac verſura diſſolui ab omnibus poſſit: video, pro veſtra prudentia quid taciti cogitetis recte conieciſtis, aliud nullum praſcribi a nobis pretium rei ſplendidiſſimæ, niſi laborem. Labore labore, inquam, Adoleſcentes nobiliſſimi, vendidit Deus mortalibus, vt bona omnia, bonorum omnium præſtan-

tiſsimam ſapientiam, & rerum cognitionem, earum quæ litteris continentur, quod ipſum & indicat natura, & monſtrat ratio, & communis vſus ſic probat, vt qui hoc nō videat, vel neget, & repugnare naturæ, & obſiſtere rationi, & nullum rerum vſum habere videatur. Quid enim, orō vos, cum conſpicitis hoc immenſum corpus vniuerſitatis, eiuſque membra omnia; (admirabile opus Dei.) cum ea quæ infra cœli ambitum ſiue natura conſtant, ſiue arte ſunt, manuq; confecta, cum in ſe vnuſquiſque ſuaq; intuetur, aliud occurrit oculis animoq;, niſi hiſce rebus omnibus vel oſtendi, vel portendi laborem? omnia quidem aut agunt, aut funguntur: neutrum autem, quantum homines videmus, ſine labore vllo, aut certe perpeſsione fieri poteſt; vt enim quidq; excellentiſsimum eſt, ita eſt maxime actuoſum: neq; vero fit, ſi deſit res ſubiecta, in quam vim ſuam, ac poteſtatem exerceat: hoc tamen diſcrimine, quod, mortalia quæ ſunt, labefactantur paulatim, & labant laborando: diuina atque æterna, etiamſi agant ſemper aliquid, quieta ſunt, neque in perenni illa perpetuaq; actione defatigantur. Deus, Deus ipſe, Auditores ornatiſsimi, qui eam agit vitam, qua nihil beatius, nihil ſecurius, nihil bonis omnibus affluentius, cum in mentem ſuam introſpicit aſsidue, ſuaque ſapientia, & virtute lætatur; cum arbitrio, nutuque regit, conſeruat, moderatur omnia, numquam non molitur aliquid numquam motus, & requieſcit ſemper, plenus negotij, & gerendis rebus maximis ſemper intentus. Ex quo fit, eius vt iuſſu vis afferenda cœleſti regno, ipſumq; rapiendum ſit violenter irrumpentibus: quod eius præceptum exemplumq; ſecuta reliqua omnia, operoſa ſunt, & ſuis quæ-

quæque occupationibus implicãtur: neque enim quiſquã feriatum Solem, aut ceſſantem Lunam eſſe dixerit, qui modo huius conuerſionem, ac reuerſionem nocturnam animaduerterit, illius diurnam: nec minus eodem pertinet, quod ab huius illa congreſſu, digreſſuue varias mutationes lucis habet, nunc creſcens, nunc contra ſeneſcens: quod vbi totum ſuum confecit vterque, & peragrauit orbem, annuum ſpatium facit ille, hæc menſtruum: quod denique hæc illius radios obſcurat, cum eſt ei ſubiecta, obſcuratur rurſus, & deficit, cum inter ipſam & Solem interponitur terra. Et vero, niſi hæc eſſent, quis excuſaret doctiſsimum poetarum, cum vno quodam in loco Solis, altero, Lunæ labores nominauit? idem admonent quadripartitæ commutationes temporum, annique tempeſtates, quas dux ille, & moderator luminum efficit, cum ſuum tum ad meridiẽ, tum ad ſeptemtriones inflectens curſum nõ vno ad terras acceſſu, receſſuq; frigoris, & caloris temperat modum. Expectatis, Auditores, dum adiiciam aliquid de ſignis, ſideribuſq; cœleſtibus, quorum, etſi alia certis infixa ſedibus, non mouentur loco, alia & ſunt, & vocantur errantia, cum omnia tamen eodem rapta motu ab ortu ad occaſum commeent, viciſsimq; occultentur, aperiantur, anteuertant, ſubſequantur, vt ipſum etiam cœlum, quo cientur, laboris quamdam effigiem habent. Sed me, corpus hoc, quod meam nunc percutientem vocem in veſtras aures inſinuat, quod ima ſummaque ſic diſcriminat, vt copulet tamen, quod res acceptas a terris in ſublime extollit, contraq; vim cœleſtium in terrena trãſfundit; atque vt ſimpliciter dicam, aer, ne diutius in ſuperioribus hæream monet: aerem porro tenerum ac

tenuem, qui facillime impulſu agitatur externo, in perpetua quadam motione, & contentione eſſe, vel ea, quæ ab ipſo efficiuntur, quotidie apertiſſime docet: abſcedit fortaſſe nimium extenuatus ignis, diſcedit fatiſcens, & cedens oneri terra, iniicit ſeſe aër, & porrigit in caducam poſſeſsionem, vt nihil vacuum, aut inane relinquat: nihil inuenies magis vexatum, nihil diutius exercitum, nihil quod plures formas, aut figuras capiat, hoc elemento: fundit ſeſe, & purgat in apertum æthera, contrahit alias, & aſtringit, vt cogatur in nubes, imbrem, niuem, grandinem daturas; effluit idem in hanc, & illam partem, vt ventos efficiat, quorum impetu vix quidquam violentius: ſuſtinet volatus auium, & ſpiritu ductus ſuſtentat animantes. Atque hæc pauca de aere. Quid de aqua? quã ipſam quoque mobilem eſſe, & inimicam quietis, fluxiones ſignificant amnium, & fontium perennitates: vt mirabile ſit labi fluuium & lapſurum volubilem in omne æuum, continuato ſcilicet curſu, cuius meliorem nullam fortaſſe rationem, quam fugam inertiæ reddere queas. Non vides, vt maritimi fluctus alludẽtes ſemper littori, exire geſtiant, vt æſtus indignantes magno cum maris murmure fremant circum clauſtra, & erumpere moliantur? vt taceam iuge illud corpus, & profluens, ſi ſecluſum teneatur, ac ſegne, plerumque torpere. ſed quid ego in rebus nemini dubiis, & apertis omnium confeſsione verſor? cui nouum eſt, aut ignotum, ſidera, aerem, aquam, nullam habere cauſam ceſſandi, & ad agendum eſſe ſemper aptiſſima? Terra, Auditores, bruta illa, & iners terra, non languere ſe otio, & ceſſatione patitur, marmoris, ferri, æris, argenti, auri venas abditas nutrit ad vſus vitæ neceſ-

neceſſarios: neque non interea ſiluas veſtit ornatu viridiſſimo, & quæ materiam ædificantibus præbeant, proceras arbores emittit: tum ſponte pariens aſperas herbas atque agreſtes, oſtendit quanto ſit cum fenore ea reddituræ, quorum ſemina credantur: ita cum incluſa effodiuntur, cum adulta exciduntur, cum ſata percipiuntur, & naſcuntur ſerenda, ad rerum quas habet, parturitue cultus, & conditiones, excitat humanum genus, & ad ſuſcipiẽdum laborẽ impellit. quã ob cauſam naturam ſapienter imitata ratio multiplices artes excogitauit, ſine quibus viui commode non poſſet: agri exculti, extructa tecta, tegumenta corporum vel texta, vel ſuta, alia denique neceſſitatis, poſtmodum etiam oblectationis inuenta; vt recte a nobis poſitum ſit a principio, quicumq; laborem refugit, repugnare naturæ: qua etiam docente fit, vt nulla ſit animantium ſpecies, quæ non id maxime agat, id laboret, vt ſe, vitam, corpuſque tueatur: hinc tam multa earum, & exquiſita, componendi nidos, conſtruendi latibula, cibos quærendi, conſeruandiq; ſolertia: nullũ eſt animal, quod ſiue ſquama obductũ innatet aquis, ſiue ſublatum pluma liberiore fruatur cœlo, ſiue corio tectum, aut villis, domicilium ſibi fixerit in terra, ita puſillum, ac minutum, in quo non, vt in ſpeculo, imaginem vitæ mortalis agnoſcas: bombycum ſtamina apum faui, formicarum horrea, exilia cornua cochlearum, quibus protendendis, contrahendiſque prætentant iter ſubſidio cæcitatis culicum, quod hoc tempore anni, nec ſine moleſtia, experimur, & haſta, & tuba; ac, ne longior ſim, araneolarum retia, quarũ artificium nulli mortalium imitabile, eo videlicet ordine contexta, vt filis quibuſdam in rectum immiſſis

ſirmamenti loco, adſectantur deinceps alia in orbem currentia, ex denſo rara, vt minora animalia, in quorum perniciem ipſa tenduntur, ſi in plagas inciderint, induantur: cum tamen toti operi materia ex ipſarum vtero ſuppeditetur: hæc, atq; alia, quæ prudens prætermitto, argumento hominibus eſſe poſſunt expetendi laboris: atq; hoc quidem beſtiolæ ſenſu præditæ, quanto turpius eſt, ac minus ferendum, animal hoc prouidum, ſagax, quod cauſas, & progreſſiones rerum videt, id eſt, hominem, quod ſenſus præſcribit ceteris animantibus, ratione non aſſequi? Ad labores, & ad curas, ex quo primi parentis culpa e beatorum ſede exactum eſt, natum eſt hominum genus, nec eo quicquam miſerius: vſq; adeo, vt quas ſibi ſoli propoſitas habet, vbicumq; ſunt, opes, non niſi difficile conſequatur: quod ſi quam partem, aut vmbram felicitatis adipiſci ſe putat, huc vires omnes, ac neruos contēdat neceſſe eſt: hanc niſi habeat rationem, ad nullam rem vtilem, ad nullam honeſtam, vno verbo, ad nullam virtutem aſpirare poteſt. Quippe, vt in nocte nihil cernimus, quia lucem abſtulit mortalibus, nec color per ſeſe, nec oculus ſatis eſt ad videndum, lucem autem, ceu vinculum, præparauit natura, quo vterq; alteri iungeretur: ſic etiam mens, oculus animæ, ne tenuem quidem virtutis ſpeciem attigerit, niſi laboris, vt ita dicam, luce foueatur: medius enim ille mētem inter, & bonum quod expetitur, hoc ex vna parte apprehendens, illam ex altera, vtraq; manu conciliat vtrumq;, & magnam interea cōſtituit firmamq; concordiam: optes tibi licet bonum quodcumq; niſi magno ſtudio illud perſequare, optabis tantum, non etiam ſperabis. intendas animum in omnes artes,

officia

officia, opera hominum, ſiue manu perficiantur illa, ſiue conſilio, ſiue ſint illiberalia, ſiue libero, atq; ingenuo homine digna (quamquam de his proprie loquimur) nihil eſſe reperies, quod non plurimum requirat operæ, atq; induſtriæ. ita patet, quod modo dicebam, ab vno labore, tamquam ab radice, bonorũ omnium fructus ſemper extitiſſe. Et ego quidem hac de re cogitans ſic ſentio, laboris cibique in re diſsimili, ſimiliter videri facultatem: nimirum a cibo tota pendet vita cum ſuis functionibus; a labore quæcumque ſunt honeſta, & vtilia proficiſcuntur: quamobrem, quemadmodum qui propagare vitam ſtudet, non negligit corporis alimenta, ſic etiam qui rerum pulchrarum amore captus eſt, magnifaciat oportet laborem, quem qui contemnit, vt pabulum mentis, nec dignus eſſe corporis pabulo videtur. Quam ſententiam præterquam quod extulit magnus ille magiſter Chriſtianæ religionis, multæ etiam gentes, cum arbitrarentur otium caput eſſe nequitiæ, publicis præceptis legibuſque firmarunt: apud Ægyptios profitebantur ſinguli quam artem factitarent, quem quæſtum inſtituiſſent: ſi quem inertem, aut nequam eſſe conſtaret, capitale iudicabatur. Apud Lucanos ſimiliter atq; apud Athenienſes, Argiuos, Nabatheos, otij atq; ignauiæ, & apud quoſdam illorum etiam minus honeſtarum artium cauſa in foro actitabãtur. apud Indos Gymnoſophiſtæ (ij erant magiſtri officiorum ac diſciplinæ) exigebant quotidie ante prandium ab adoleſcentibus, quos inſtituebant, illius diei penſum, quod niſi recte atq; ordine reddidiſſent, extrudebantur ad opus impranſi. & recte, quid enim proprium eſt hominis? ratio. quæ porro rationis abſolutio? virtus. virtus qua re maxime cer-

tur? honeſta actione. honeſta vt ſit actio, quid deſiderat? cum officio coniunctum laborem. labor igitur eſt, cuius, cum ſit rationi conſentaneus, qui rationem non habet, vt dicatur homo, minor eſt hominis dignitate: etenim, quid eſt, quod tam proprie conueniat homini, qui in quolibet vitæ munere officiorum ſplendore ducatur, quam labor? accerſe bellicum decus: aderit militia, non re minus, quam, vt quibuſdam viſum eſt, nomine laborioſa: cogita pulchritudinem ſciendi; occurret tibi multorum ingenium conſumptum in litteris, peregrinationes, inedia, vigiliæ. quid? honorum acceſſiones, & gloriæ incrementa vnde fuere? a labore. de iſtis profecto ſi quæreres, qui ſatis florentes, & beatos ſe fore putant, ſi abundent pecunia, in accumulandis opibus, & cogendis diuitiis quid agant, quã rationem ſequantur, omnes curas, & cogitationes reſponderent ſeſe in eo defigere, omnes vias perſequi, quibus exiſtiment ſe poſſe ad id quod volunt aliquando peruenire. quæ cum ita ſint, ſequitur illud tertium, quod initio poſueram, rerum imperitum videri, & communis ignarum vitæ, qui recuſat laborem. Age vero, circumſpice omnes hominum ætates, ordines, mores: & quem ex omnibus exemeris laboris expertem? aut non eſſe natum, aut mortuum eſſe dicas illũ. qui nihil agit: & ſi iſtuc ipſum nihil agere omnino eſt eſſe mortuum, nati ſumus omnes (repetendum eſt enim) ad laborem, & vita ipſa ſine labore a nemine tranſigitur. præclare apud Varronem Lucilius: Vis eſt vita, vides, quæ nos facere omnia cogit: docet hoc cum primis circulator, ſaltator, funambulus, quem parui gratia lucelli nudis pedibus incedentem per acutos gladios; volubili ſaltu ſuſpendentem in aere corpus, pa-

ribus

ribus libratum ponderibus extentum per funem decurrere, nec ſine admiratione metuimus, nec admiramur ſine metu. quamquam id quoque perſpicitur non modo in pulchra agentibus propter gloriam, aut in audentibus difficilia propter neceſſitatem; ſed, quod interdum pudeat, in exercentibus turpia propter improbiſſimam cupiditatem: intemperans, explendæ libidinis; aliena appetens, furandi, rapiendi cauſa, quem ſibi negligendum, immo vero quem non vltro appetendum, ſubeundum, excipiendum laborem arbitrantur? quod non in diſcrimen offerunt vitam, vt eam ſcelere non niſi morte expiando contaminent? & erit aliquis, qui hæc cum ita cogitet, & ſtatuerit expolire animum doctrinis, & magnarum rerum ſcientia, id vt faciat, ſit ad amorem laboris incitandus? quid enim ea cura, quæ ponitur, ea induſtria, quæ conſumitur in litteris, honeſtius? quid glorioſius? Nam ſi dignitatem labori affert res ipſa, pro qua laboramus: quid excellentius, præſtabilius, pulchrius ſapientia, quæ homines excolit virtutibus, & quantum eorum natura patitur, æquales cœleſtibus reddit? ſiue grauitas illorum, & prudentia, qui eius auctores, principes, probatores fuere; quem tu vmquam reperias poſt homines natos, qui ſit cum Pythagora, Democrito, Platone, Ariſtotele, & ceteris viris eiuſdem ſtudij, atque ingenij comparandus? horum vero auctoritas tanta eſt, vt rem quamuis humilem, & obſcuram ſui amplitudine nominis extollere, ſua ſplendore exiſtimationis illuſtrare poſſint? iam, quantum eſt homines prope diuinos ſapientiæ ſtuduiſſe? ſiue deniqu vtilitas, & fructus: dicam, vobis probantibus, Auditores: non video in hac vita, humaniſque occupatio

nibus, vbi ſapientius labor, & maiore cum fructu, quam in amore ſapientiæ collocari queat: cum is præcipue & inter agendum voluptate mitigetur, & poſt actionem gloria, fructu illo virtutis honeſtiſsimo, ſuperetur; quæ autem voluptas conferri poteſt cum ea, quæ aut rebus nouis inueniendis percipitur, aut iis, quas pridem inuenere alij, intelligendis? Veritatem in profundo penitus abſtruſit natura, ſed tanto maior lætitia eruentis: nam & ſi ſudor mortui ſunt viuentis deliciæ, & iucundum eſt labore frui alieno, tamẽ quod licet vile eſt, quodque in promptu eſt omnibus, pro nihilo ducitur: & natura comparatum eſt, vt nihil ab homine carius æſtimetur, nihil cuſtodiatur religioſius, ambitioſius nihil oſtentetur, eo, in quo quærendo diu multumque fuerit elaboratum. quibus enim lætitiis inceſsiſſe dicendus Pythagoras, is qui ab animantium ſanguine cenſebat abſtinendum, cum Geometrico quodam inuento Hecatombẽ immolauit? quo gaudio exiluit Archimedes, cum quod erat ab Hierone Rege in quæſtione poſitum, explicari a ſe poſſe animaduertit? cum videlicet e ſolio, vbi lauabatur, repente proſiluit, & oblitus verecũdiæ, vti erat, nudato corpore, currens per vrbem, multis admirantibus identidẽ Græce clamitabat, εὕρηκα, εὕρηκα, cauſam ſignificans tam inuſitatæ lætitiæ, nempe, quemadmodum maior eſt vis animi, quam corporis, ſic etiam magis ſinceræ, & liquidæ ab eo profluunt quam a corpore voluptates; quibus maxime fruitur cum in peruestigata alicuius rei natura quæ latebat, & notitia conquieſcit: neque vero ſua deeſt iucunditas in inquirendo: eſt quidem vtilius didiciſſe digna cognitu, ſed diſcere iucundius, ſicut etiam pingere, quam pinxiſſe: oblectatur

tur enim animus dulciſſima contemplatione, & quaſi fecerit cum corpore diuortium, ſuo tantum fungitur officio, abditarum rerũ inquiſitioni, & inueſtigationi imminens, & attentus. Archimedem eumdem, de quo paulo ante dicebam, ita cogitationes omnes ad diſcendum Geometricas figuras contuliſſe legimus, vt a famulis ad cœnam vi fuerit pertrahendus: Carneadem, cum accubuiſſet, quiddam de Philoſophia meditari ingreſſum, ita ſeuocaſſe mentem ab eo, quod agebat, vt obliuiſceretur manum porrigere ad menſam: nec mirum fortaſſe, cum ſaturaretur animus ſuauioribus epulis abſtruſarum commentationum. Quam tu mihi hominum voluptatem parem illi eſſe dixeris, qua perfunduntur, cum diſcunt, cupidi ſciendi? parcam veſtris auribus, Auditores optimi, vt obſcenas corporis, ac turpes ne nominem quidem: illam ne, quam glorioſe iactat aliquis cauſam celebritatis, ac nominis a maioribus acceptam? at hæc non ipſius eſt, ſed eorum, qui partam labore poſteris tradidere, & tanto maius eſt onus impoſitum illi, vt antiquæ nobilitati reſpondeat oſtentatione pecuniæ, at hæc, quam multos ſolicitudinum aculeos, & ſtimulos habet, cum illius creſcat cum copia cupiditas, cum omnes illi tendant tur inſidiæ, cum difficile contineri poſsit, ne labatur, & effluat? formæ dignitatem, & oris venuſtatem cum quadam coloris ſuauitate? at rubor iſte cum candore miſtus quantas flammas plerumque excitat? quibus facibus incenditur? quam præſtat ſæpe deformem eſſe, quam formam habere incitamentum libidinis? corporis valetudinem, & virium firmitatem? at hæc facile corrumpitur, &, ſi nimia ſit, ex medicorum ſententia multorum in-

cluſas cauſas habet, & ſemina morborũ: Regum ſplendorem, & Principum potentiam? at hi, niſi cum mortuis colloquantur, hoc eſt, niſi Sapientium libros, qui ſcripſerunt de republica, & clarorum virorum hiſtorias manibus terant, mole opprimentur imperij. & vel inuiti fatebũtur omnia in ipſorum vita ſuſpecta ſemper eſſe atque ſolicita, cum ſe metui a ſuis, quam diligi malint: decus, & gloriam? at hæc ſola a ſcientia eſt, aut certe non ſine illa: quod ſi qua eſt alia, aut obſoleſcit inuidia, aut vetuſtate defloreſcit: hæc vna immortalis æternaque habetur. Solet mihi ſæpe venire in mentem, credo etiam vobis, viri eruditiſſimi; ſinite me hoc impetrare a veſtra modeſtia, vt meam ſententiam cum veſtra coniungam: ſoleo inquam ſæpe cogitare, optimorum Principum commendationem, & fortiſſimorum gloriam Imperatorum, aut futuram in tenebris obliuionis, niſi litterarum lumen accederet, aut non tantam fuiſſe, quantam, qui effigiem victi deſcripſerunt imperij, memoriæ prodiderunt: vt agnoſcas, quanta iis habenda ſit gratia, qui aliorum nomen vel a ſilentio vindicarunt, vel maius quam re ipſa fuit ſua prædicatione fecerunt: quanta fuerit eorum virtus, qui aliis non inuidere gloriam, vel auxere; neque enim verebantur, ne ſi extollerent alios, humiliores ipſi viderentur. ea eſt enim natura ſapientiæ, & ſcientiæ rerũ pulcherrimarum, vt cum ſint per ſe ipſæ laudandæ, nec laudationem vllius deſiderent, nec vituperationem pertimeſcant; & erimus tam excordes, & languidi, vt non ad eas aſſequendas omni contentione animi, & auiditate rapiamur? perfert venator per deuios montes, & arduos, vim ventorum, & frigoris; pernoctat in niue, vt lepuſculos, ſi forte, conſectetur: qui mercaturam

turam facit, perleui ſe nauigio, marique cōmittit, dimicat cum fluctibus, imminente naufragio, & dum quærit compendium fortunarum, inuenit periculum vitæ: & is, quem diſcendi, vera, & ſtabilis voluptas tenet, qui per veſtigia rerum procreatarum ipſarum parentem, ac magiſtrum rimatur Deum; qui eo ſtudio capitur, quo nihil certius, vtilius, illuſtrius, ad laborem pleniſſimum dignitatis erit excitandus? ingreſſus ſit curriculum elegantis, variæque doctrinæ, & ea tarditate vtetur, vt ſint adhibenda calcaria? auri potius veſtram induſtriam exacuite, Adoleſcentes: vos enim præſentibus tot viris ampliſſimis, quorum vel tacitus aſpectus ad ardorem cuilibet iniiciendum ſatis eſſe poſſet, vos hac extrema oratione appello: exuſcitate, inquam, Adoleſcentes nobiliſſimi, veſtram illam cupiditatem animi, & ſingularem induſtriam, cogitate quid appetatis, quid ſequamini, nullum aliud requiri a vobis pretium, niſi illud, quod ſaluo officio recuſare non poteſtis, quo bona omnia venduntur, laborem: ipſumque a natura inſitum, non rectum modo, & vtilem eſſe, ſed etiam iucundum: ab hoc acquiri ſapientiam, a ſapientia per gradus aſcendi ad faſtigium ſupremæ dignitatis; quod ſi vmquam antea compertum fuit, quadrageſimo ſeptimo ab hinc die, Dei inſtinctu, hominumque conſenſu, in Vrbano ſeptimo Pontifice maximo. quem opportune nobis datum ad breue tempus gauiſi ſumus, ſtatim ereptum immortaliter dolebimus, ita eluxit, vt iam diu Chriſtianus orbis nihil ferme aſpexerit maiore voluptate. Habetis igitur exēpla non ſolū vetera, ſed etiam recētia, eius fructus, qui conſequitur laborem; & ſi idem labor ita ſuopte ingenio honeſtus, & pulcher eſt, vt etiam ſi nihil pariat,

ſit expetendus, & in eo deficere, atque etiam immori videatur eſſe glorioſum, ſed cum ſecundus eſt ipſe, tum etiam ſalutaris: parens eſt honoris, ſatorque virtutum, & exiguum, ac breue curriculum vitæ, immutabilis æternitatis gloria fructuque compenſat.

DIXI.

ORATIO SEPTIMA.

De laudibus Poeticæ.

S*I IPSA pro ſe apud vos poetica loqui vellet, auditores, voſque eius præclaram aut potius diuinam vocem humanis auribus audire poſſetis: non vererer, vt quemadmodum eius aliquando alumnus feras etiã atque agreſtes beſtias ipſius beneficio traxit & nemora, ita etiam ipſa non vos tantum, qui omni humanitate exculti eſtis atque expoliti, ſed quoſcumque alios, quamuis immanes & barbaros, ad ſe audiendum allicere poſſet: vt nemo eſſet ex omnibus, qui non erigeret aures, animũque attenderet, cui non ſummam admirationem commoueret illa cum pari aſſenſione coniunctam. Sed quoniam aſpectabilis ipſius ſpecies, ſiue quorumdam infenſa ſceleri, qui eius integritatem ac ſanctitatem ab honeſta detorquentes oblectatione animi, in deprauatos quoſdam vſus impuramque conſuetudinem, magna illa peccandi illecebra, blandiſſima aurium voluptate, conuertunt: ſiue proprium illum*

lum ſuum & ſibi conuenientem adepta locum, breui admodum tempore donata terris, ad cœleſte domicilium euolauit, cum vix quædam apud nos reliquiſſet admirandæ ſuæ pulchritudinis impreſſa veſtigia: nec deſunt tamen præcipiti homines audacia, qui in procreatricem illam virtutum omnium & artium, in vnicam officiorum morumq; parentem & magiſtram contumelioſe inuehuntur, nec verentur ſe tam immani parricidio inquinare. Dabis hanc veniam iuſto dolori meo, mater ſanctiſſima atque optima, ſi quemadmodum fideles catuli pugnantem dominam, quam morſu nequeũt ac dentibus, latratu ſaltem adiuuare conantur & curſu, ſic tuum ipſe decus & ornamentum, quod multis eſſe videtur ad lacerandum expoſitum, ſi non graui & ornata oratione, certe tamen grata & egregia voluntate defendam. quamquam nihil erat quod eorum maleuolentiſſimis reſponderem obtrectationibus, quorum & contemnendũ omnino iudicium, & irridenda prorſus oratio videretur. Quid enim, auditores, aut eorum iudicium reformidem, qui, vt ægroti ſtupore ſenſus in ciborum ſapore falluntur, ſimiliter ipſi ſtupiditate mentis, non recte poſſunt de rerum vi ac natura iudicare? aut eam quid metuam orationem, quæ nihil habet preter ineptam quamdam loquendi licentiam, & inanem maledicendi voluntatem? Quid enim deeſſe Poeticæ ad laudem & ad gloriam dicent iſti, qui Solem in meridie lucere negant? an antiquitatem? quæ, vt omittam cœleſtia, in ipſius prope naſcentis Mundi incunabulis, cum mortalibus apparuit? an dignitatem? qua diuinæ humanæque laudes ſumma cum voluptate celebrantur, eamque ob cauſſam in cœlum videtur adſcita?

ſcita? an vtilitatem? quæ vna homines docuit moderari libidines, coercere cupiditates, impetus frangere, deteſtari vitia, amplexari virtutes, rerum deniq; omnium maximarum, mediarum, infimarum, cognitionem ac ſcientiam tenere? Audite vos vero, audite adoleſcêtes optimi magiſtrum veſtrum, reiectis omnibus omnium fabularum integumentis, hiſtorice magis & ſimpliciter, quam poetice aut rhetorice, de Poetica antiquitate, dignitate, vtilitate diſſerentem. neq; enim faciendum eſt, vt noſtra ſpecioſa magis & magnifica, quam ſolida ac vera fuiſſe videatur oratio. Atque vt, quod ad vetuſtatem pertinet, ab eo potiſſimum exordiar, legite veterum hiſtorias, percurrite annales, euoluite diligenter rerum antiquarum omnia monumenta: nullam profecto poſt homines natos ſcientiam, nullam artem, ſiue inſcriptam litteris, ſiue inſculptam animis, ante eam fuiſſe reperietes, qua primi illi parentes, humani principes generis, aut votis ſuſcipiendis, aut gratiis agendis, bonorum omnium auctorē Deū adhibito cantu, &, quod conſequēs erat, rhythmo venerabantur. Certe quidē Iubalem Lamechi filium, qui ex Caini ſtirpe ab Adamo ſeptimus fuit, patrem fuiſſe accepimus cithara canentium & organo: ex quo etiam facilis coniectura eſt, ante eum fuiſſe alios, qui aſſa, vt antiqui dicebant, voce, id eſt, ſine fidibus & tibicine ceciniſſent. Quod ſi quiſpiam fortaſſe prodeat, qui vt hæc ita eſſe concedat, ipſam tamen contendat Poeticen in illa ſcelerum vindice, atque vt ita dicam, piaculari eluuie, & inundatione terrarum, etſi non demerſam & obrutam, deletam tamen eius atque extinctam memoriam fuiſſe: fateatur omnino neceſſe eſt, non ita multis poſt ſeculis, reſtitutam eam ac reno-

renouatam, illius ope atq; induſtria, quem eo ipſo die quo natus eſt riſiſſe ferunt, Zoroaſtre: hic enim multa, quæ ad occultam oraculorum cognitionẽ ſpectare arbitrabatur, poetica quadam ratione complexus eſſe dicitur, cum magnam in verſu doctrinæ ſpeciem ac ſapientiæ præ ſe tuliſſet. Quem tu mihi Iubalem, quem Zoroaſtren nominas? ignota nimirum ſunt iſta, & in quibus ementiri ſine periculo liceat, dixiſſe vt aliquid videaris argutius. Tu Chaldaicis vteris, ego Græcorum potius requiro teſtimonia. Quaſi vero cum de antiqua hiſtoria diceremus, non ipſum eſſet dictorum pondus ex hiſtoriarum antiquitate promendum. Sed tamen iſtud etiam agam. Oſiris, credo, & Dionyſius ad aures aliquando peruenit tuas: eumdem enim virũ duplici hoc nomine intelligi, permulti e Græcis, quorum requiris teſtimonia, voluere. Hunc porro, vtrũ tu ſiue Oſirin ſiue Dionyſium malis, cum exercitum duceret, eſſetque in eo mirus quidam lepos, & amor iucunditatis, memoriæ proditum eſt, ſuis in caſtris egregias quaſdam virgines, quas Muſas poſtea nominarunt, habuiſſe, perfectas in Muſicis, omnique rerũ ſcientia, & virtute ornatiſſimas? harum ſcilicet varietate ac ſuauitate cantandi, rex ille ſapientiſſimus a tanto illo armorũ ſtrepitu ac tubarum ſono auocabat animum interdum, eum vt relaxaret, & honeſtiſſima voluptate frueretur. Quod ſi mihi conceſſeris, dabis hoc etiam, opinor, id nõ eſſe illas, niſi poetica quadã præſtãti facultate conſecutas. Cõficta ſunt iſta, inquies, & fabularũ ſimilia: egregiũ vero in militia comitatũ citharistriarũ, ac ſymphoniacarũ puellarũ, quarum cãtilenis ſũmus ille belli imperator, in militari tumultu & apparatu, ſi quietem capere non poſſet, fugientem

ab oculis ſomnum aucuparetur. Etiam tu mihi hoc loco delicias facis, & facete aliquid dicere voluiſti. hæc ſane ſunt e doctrinis libriſque Græcorum, quorum cum paulo ante auctoritatem requiſiſſes, non erat quod eam tam temere defugeres. Sed vide quam remittam tecum de ſeueritate diſputandi: nimis illa antiqua, &, vt ais, obſoleta, prætereo: in eas te tamen adducam anguſtias, vt ex iis te facile explicare non poſſis. Moſen non ignorare debes fuiſſe humanæ omnis hiſtoriæ parentem: quippe qui princeps, a Mundi ſatu & ortu ad ſuam vſque ætatem, hominum ſtatus, caſus, progreſſiones, imperia, viciſsitudines eſt diligentiſsime perſecutus. Certe ante eum nemo quicquam mandauit monumentis, aut vllis omnino ſcriptis illuſtrauit: quæ iacerent in tenebris omnia, niſi ea Moſaicarum litterarum lumen accenderet. Moſes igitur in ſuo illo archetypo, vt ita dicam, hiſtoriarum libro, cuius quot ſunt verba, totidem videntur eſſe oracula, cum inſtinctu omnia ſcripſerit afflatuque diuino: is inquam Moſes, quem Ægyptiacarum omnium artium diſciplinis accepimus fuiſſe inſtructiſsimum, ante ſe Poeticam extitiſſe artem apertiſsime indicauit. Nēpe, cum ſaluum atque incolumem traieciſſet populū, quem ſuæ habebat fidei poteſtatiq; commiſſum: & quas cuncti aquas hinc conglobatas & illinc, vt planā aperirent tranſeuntibus viam, nouo illo & inuſitato prodigio, pedibus peragraſſent, iiſdem extinctum aquis atq; opertum hoſtium omnem vidiſſent exercitum: nihil prius habuit, aut antiquius, quam vt conuocato vnum quaſi in chorum innumerabilium virorum agmine, rerum omnium moderatori, & admirabilium effectori Deo inſignem illam glorioſamque

que victoriam, grandi quodam carmine & magnifico, Heroico videlicet, vt aiunt, gratularetur. Quod virorum exemplum ſecutæ altera ex parte feminæ, illud ipſum carmen, verborum ſonum pulſu aeris modulantes, incredibili voluptate cecinerunt. vt quoniam princeps Moſes, vti dicebam, humanæ fuit auctor hiſtoriæ, & aliquos tamen eo ſuperiores, qui poetica vterentur ratione, conſtat fuiſſe, Poeticam eſſe omnino antiquiſsimam vel ex eo appareat, quod aliquod ipſius erat ante artificium, quam vllæ omnino litteræ reperirentur. Antiquiſsimam cum dico, ne ipſam quidem excipio Rhetoricen, quam viri ſapientiſsimi, rerumque geſtarum peritiſsimi, ſero tandem, & ex Poetica, ad cuius ſe imitationem ſimilitudinemq; conformaſſet, effloruiſſe tradiderunt: ſic tamen, vt cum ſublimẽ illam equo vehi intelligeret, ſatis ſibi haberet, ſi eam pedibus quoquo modo ſequeretur. Et quamquam quæ de antiquitate dicta ſunt, poſſunt eadem ad dignitatẽ referri, quod erat proximum caput: tamen, dum multa relinquimus media, vt mature ad extrema veniamus, ne ſi de ea nihil dicere velimus, quæ dicere nolumus, ea dici nõ potuiſſe aliqui ſuſpicẽtur, & breuitatis ſtudium argumentorum aſsignetur inopiæ, ita me in eius explicatione tractabo, vt & ipſi cauſſæ ſeruiam, & veſtræ auditores occurrã ſatietati. Duo ſunt præcipua, vt ſcitis, quæ cuiuſlibet dignitatẽ artis aut ſcientiæ maxime tuentur: res nimirũ ipſæ, quas propoſitas, &, vt loquuntur in ſcholis, ſubiectas habet: & finis ſiue exitus, qui cum omnia ad ſeſe rapiat, bene, vt dicunt, & ordine, tum contemplationis, tum ipſius etiam actionis terminat modum. Hæc autem duo ita in Poetica excellunt atque eminent, vt perfectus & ſanctus

Poeta

Poëta (tales enim veri Poëtæ appellantur) paucos quidem habeat pares, ſuperiorem certe neminem. Neq; enim aut in rebus amatoriis, quod quidam falſo ſibi perſuadent, aut in anilium narratione fabellarum, nulla ſubiecta nec ſententia, nec ſcientia, ſunt occupati ÿ, quos hæc præpotens vitæ emendatrix & diuina Poëtica delectat. Toti ſunt in benefactorum commendatione, maleficiorum vituperatione, gloriæ cuiuſlibet atque infamiæ amplificatione: quod cum faciunt, & virtutes in animis inſerunt, & vitia radicitus extrahunt: & homines omni carentes cupiditate, omni honore ac laude digniſsimos efficiunt: eo etiam felicius ac melius, quod propter numerum & ordinem, & quæ ex vtroque exiſtit voluptatem, & libentius audiuntur, & ſuauius perlegũtur, & ediſcuntur facilius, & in mentibus penitus inhæreſcunt. Quis enim ſe ad propriam virorum fortitudinem, huiuſq; vitæ deſpicientiam excitari neget, qui Achillem videt excelſo quodam & erecto animo præditum, magis de vlciſcẽdo ſodali, quem intimis ſenſibus dolebat interemptum, quam de vita atque adeo immortalitate laborantem? Quem etiam Æneas ille, cuius tam longe lateque diffuſa laus tale illi nomen, ſi non habuiſſet, fuiſſe videtur datura, non cum quadam miſeratione delectet, cum per media hoſtium tela, domoſque incendio concidẽtes, per inſepultos aceruos ciuium, per ſepultam cadaueribus patriam, quæ ex deflagratæ vrbis cinere, quæ ex fumantis reliquiis, & cæcum parentem, & ſenem eundemque ſacra penateſque portantem, vt non ſimplici onere ingrediens grauaretur, ſubiectis humeris extulit? Quem non angores conſcientiæ, & conſceleratæ mentes impiorum, quos in fabulis agitant furiæ, ac

tædis inſectantur ardentibus, ab omni ſcelere flagitioque deterreant? Quem non permoueant illa poſt mortem, etiam ſi ficta eſſe credantur, tranſuectio Acherontis, Cocyti fremitus, Cerberi latratus, vmbrarũ aſpectus, locus ille obſcurus & præceps, immanis & numquam explebilis vorago inferorum; illa denique quæ erit vnicuique pro ſe apud ſeueriſsimos iudices maxima in corona hominum cauſſa dicenda? Quod ſi hæc magnam habent vim, vt certe habent, ad erudiendos animos & commouendos, quanto maius in iis ineſſe debet pondus, grauiorque auctoritas, quæ ſcimus eſſe veriſsima? in iis etiam quæ ad vnius Dei laudem, ac rerum diuinarũ, ſacroſancti pepererunt vates conceptu plane diuino? Mitto Prophetarum verſus, carmina ſibyllarum, quibus caſtiſsimæ mentes, diuina quadam incitatione animi, oracula fundebant, effata pronuntiabant, futura præcinebant. Ecqua forma viri innocentiſsimi atque optimi, feminæq; ſanctiſsimæ, qui toti erant cum Deo, eiuſque admoniti veſtigiis, rerum ſcilicet procreatarum pulchritudine, de earum longe pulcherrimo atque optimo procreatore cogitabant: qua inquam forma alia precationum, expiationum, gratulationum vſi videntur fuiſſe, niſi carmine? Quære precationes, ſacrificationes Dauidis: carmina proferentur. Quære lugubres Iobi vaticinationes [illegible]etuſtiſſimam illam Philoſophiam: verſu ſcriptas eſſe non negabis. Quid ea, quibus aut Anna Samuelis effeta iam ætate mater, aut Ioannis pater ſumma ſenectute, aut vero Simeon ille, qui conſpecto auctore vitæ proxime aberat a ſepulcro, ad agendas de acceptis beneficiis Deo gratias incitabantur, qua tandem coagmentatione normaq; verbo-

verborum concluſa & directa eſſe cernuntur? nempe verſibus. Quid? quod ipſa etiam beatiſsima, nec iam conferenda hominibus, ſed preferenda cœlitibus, Dei mater & virgo, cum incredibili moderatione animi ſuam ipſa profiteretur humilitatem, Dei beneficentiam extolleret, cœleſte illud ſuum canticum atque diuinum, quod ſemper in ore, in auribus, in mente habere debemus, apta quadam comprehenſione ſyllabarum numeroque concluſit? Quid vobis videtur, adoleſcẽtes? An non ea, quæ de Poëtica adhuc vera magis quam ſplendida oratione dicta ſunt, talem ac tantam in ea dignitatem eſſe conuincunt, vt iam terras præteruecta in cœlum poſsit aſcendere? & aſcendit illa quidem, cum præſtantiſsimæ illæ mentes, quæ ab omni ſegregatæ concretione mortali, eo fruuntur æterno, omne ſuum ſtudium atq; ingenium eo conferant, vt perpetuo quodam cantu & carmine alterno, in aſsidua diuinarum laudum celebratione verſentur. Et dubitabit aliquis, quin ſumma ſit in Poëtica laus & dignitas, cuius opus eſt non laudatio tantum virorum virtute præſtantium, ſed ipſius etiam Dei: extremum vero & finis, id eſt, quo omnia referuntur, cultura animorum, hominumque vita beatiſsima? Hic mihi etiam neſcio quis, grauitate cenſoria, depreſſo ad terram ſupercilio, Platonem obiiciet, ac Lacedæmonios: hæc enim habent aduerſus Poëticen tela, vt exiſtimant, acerrima. ille enim ex commentitia illa ſua ciuitate poëtas exterminauit: hi vero ne ſuas quidem aures poëtarum carminibus perſonare patiebantur. Ita ne vero? Vir bone, non Poëticen iſti expellebant ſuis ex vrbibus: ne erres: non eiiciebant Poëtas, qui tam graui digni eſſent nomine: non: ſed qui inique atq; impudenter in poetarum nomen

men inuaſerant, qui ſimulatione Poëticæ occultabant malitiam, vt prima quadam ſuauis ſucci ſpecie, quo veluti ſummam poculi oram aſperſerant, large atq; effuſe venenum ſpargeretur in vulgus. De veris enim Poetis, atq; iis, qui propter vitæ integritatem & ſanctimoniam ſcribere nihil videbantur poſſe ſine furore diuino, alia prorſus erat ſententia, alius ſermo: horum in diſciplinam tradendos adoleſcentes homines nobiles dicebat Plato: & Lacedæmonij vnius ex iis hortatu & cantione rem bene geſſerunt publicam, & commemorabilem ex hoſtibus victoriam reportarunt. Bene habet, Auditores: liberatus ſum maxima moleſtia. Nunc enim quoniam Poeticæ dignitatē, quæ vna præcipue petebatur, quemadmodum quidem volui, probatā vobis eſſe confido, quaſi ſcopuloſis e cotibus noſtra enauigarit oratio, perfacilis reliquus curſus oſtēditur: ita, quod de eius vtilitate ſequitur, erit tū dictu procliuius, tū vero etiam iucundius auditu. De vtilitate vero cum in hoc tā nobili conſeſſu quæritur, nolo hanc vobis facere iniuriam, vt vtilitatem vllam eſſe intelligam, quæ ſit ab honeſtate ſeiuncta. Non tam malam de vobis habeo opinionem: neque vos ij eſtis, qui veſtra conſilia ac res omnes vtilitatis leuitate magis, quam honeſtatis grauitate metiamini. Ea vero vera eſt ac ſolida vtilitas, quam honeſtarum commendat ſplendor actionum, quæ nec temporum iniuria labefactari, nec hominum incommodatione percelli, nec inopinati alicuius caſus interuentu debilitari, aut comminui poteſt. Quo ex genere ſunt ij fructus, qui ex varia rerum cognitione ac ſcientia comparantur. Et certe ſi hoc agimus, eaque diligenter inſpicimus, quæ ab hominum memoria propter vetuſtatem remota e litterarum

monu-

monumentis eruuntur, nullam honeſtam conſtabit eſſe artem, nullam diſciplinam paulo elegantiorem, quæ non è Poëticæ fontibus eo modo profluxerit, quo modo ab Oceano flumina deriuantur. Neque tamen ea cum prædico, velim vos exiſtimare omnia ad principem illum Poetarum, & , vt aiunt, Philoſophorum omnium atque oratorum magiſtrum Homerum referri. in rebus antiquioribus multo, & eam ipſam ob cauſſam ſine vlla controuerſia amplioribus, noſtra verſatur oratio. Phemonoen certe, quam vnam faciunt e numero Sibyllarum, eamq; aliquot ſæculis, non ipſum modo ante Homerum, ſed bellum etiam ante Troianum fuiſſe, multa legimus de iis ſcripſiſſe rebus, vt Sibyllam decebat, quæ rerum ad diuinarum cognitionem magnopere pertinerent. Olenum quoq; eius æqualem, & æmulum in eodem argumento laboraſſe, eſt opinione multorum ſcriptiſque celebratum. His vero haud multo poſterior ætate fuit Orpheus, qui certo quodam in opere, quod quattuor & viginti tribuit in libros, & ab argumento ἱερὸν λόγον inſcripſit, aliiſque multis in præclaris eodem argumento voluminibus, ita plene ac ſubtiliter cecinit de rebus ſacris, vt ſacrarum cæremoniarum precationumque auctor eſſe videatur. ex quibus, ſi vera ſunt, & ex iis quæ ante diximus, manifeſto colligitur, Theologiam & religionem, id eſt, ſcientiam Dei colendi, ipſius Dei conceſſu & beneficio, Poeticæ acceptam eſſe referendam. Idem erit de humana ſapientia, deque eius amore & ſtudio, quæ Philoſophia dicitur, iudicium: quam fuiſſe initio verſibus conſecratam, vt ego taceam, principes illi ac parentes, vt vocantur, Philoſophorum, e quibus deinde tam multæ ſunt proſeminatæ ſapientium familia

lia, Ariſtoteles & Plato teſtantur: ita multis, ex Empedocle, Parmenide, Xenophane, aliiſque nonnullis, qui Poëtæ iidem ac Philoſophi fuere, vtuntur teſtimoniis. Quod ipſum heroicis temporibus viderunt homines antiquiſſimi, qui Poëtam ſolum σοφὸν, id eſt ſapientem, eſſe dixerunt. quod ſi ex harum rerum cognitione, quæ infra Lunæ ambitum quotidie naſcuntur & occidunt, ad rerum cœleſtium, atq;, vt dicitur, æternarum, aſtrorum videlicet ac ſiderum contemplationem, te animo & cogitatione conuerteris: in has etiam partes, ab humana intelligentia tam abſtruſas & abditas, Poëtarum acerrimum ſe intendiſſe animum, eaſq; perſpicuis explicuiſſe verſibus, Eudoxus, Thales, Heſiodus, Aratus ita probabunt, nullus vt præterea dubitationi locus eſſe poſſit. Iam ne omnia perſequamur, idem de Medicinæ arte dici poteſt, idem de legibus: cum & illa cantionib. olim ægrotorum curaret corpora, & hæ conſcriptæ verſibus ediſcerentur. Sed nolo veſtra abuti facilitate, Auditores: neq; committam, vt multa dicendo, malam cauſſam videar habuiſſe. vnum tantum videtur eſſe reliquum, vt quoniam ad omnes diſciplinas atq; artes Poëticam dicebamus eſſe vtiliſſimam, rhetoricis etiam præceptionib. quod hoc maxime quæritur tempore, conducere doceamus. Qua in re cum videam locum, in quo pleriq; ſe iactant cum arcem elocutionis oppugnant, quam aliam eſſe pugnant in Poëtis, aliam in oratoribus, huc omnem propugnandi cauſſa, quaſi machinam admouebo, vt Poeticæ cognitionem elocutionis oratori neceſſariam eſſe vincamus. Quippe Marcus Tullius, cuius parem eloquentiam nec ſuperior ætas vlla ſuſpicari potuit, nec poſterior æmulari, Poetarum cognitionem ita

nem ita docet oratori eſſe vtilem, vt perfectam ſine ea eloquentiam nullam eſſe pronuntiet. ex quo etiam ipſe, quod ante eum fecerat alterum illud ac geminum lumen eloquentiæ Demoſthenes, ex vberrimis Poëtarum fontibus peramplos campos ſuarum orationum irrigauit. Ariſtoteles quoq;, optimus videlicet dicendi ac ſolus ſciendi magiſter, Poëticis verbis in tempore poſitis, quaſi luminib. ac ſtellulis illuſtrari affirmat orationem. Quibus autem in rebus, oro vos adoleſcentes nobiliſsimi, oratoria magis ſpectatur elocutio, quam in conformationib. verborum ac ſententiarum? Et vero, ſi ad viuum omnia reſecare vellem, & ſummo, vt aiunt, iure agerem, oſtenderem multorum prolatione exemplorum, nulla eſſe lumina oratorum, nulla orationum inſignia, quorum non plurima apud Poëtas, antequam oratorum nomen omnino eſſet vllum, exempla reperiantur. etenim elocutio Poëtarum propria eſſe debet magnifica, illuſtris, ornata, diſtincta, mollis etiam interdum, tenera, ſuauis, apta ad excitandos, & ad exprimendos animorum motus accommodata: quæ omnia ita Poëticæ ſunt Rhetoricæq; cõmunia, vt qui ſecus ſentiat, eum ego non ſine mente ſolum, ſed etiam ſine ſenſu eſſe exiſtimem. Nam quid dicam de flexionib. vocis, & ratione pronuntiandi? Ecquis erit vmquam ita imperitus & impudẽs, vt perbreuẽ ſe vllam habiturum ſperet orationem, in qua fundenda non ſæpe labatur & erret, ſi illud ignoret, quod vna docere poteſt Poëtica, qua ratione verba producenda, corripienda, intendenda, remittenda eſſe videantur? ſic vt vnus perſæpe Poëtarum libellus poſſit alia quorumcumq; volumina, qui ſuas diſciplinas tertio quoq; verbo in cœlum laudibus ferunt, & antiqui-

tiquitatis pondere, & ſplendore dignitatis, & vtilitatis vbertate ſuperare. Sed ne multa, auditores, complectar breui: hic eſt. n. mihi iam proprius perorandi locus: quemadmodum in hominem Deus congeſſiſſe videtur omnia, quæ in res cæteras, aliud alij tribuens, diſpertiit: vt faciunt operum artifices, qui in perparuulam includunt gemmam, expreſſam altitudinem montium, oppidorum varietatem, immenſitatemq; camporum: haud diſſimili ratione, quæ ſingularum ſunt propria diſciplinarum & artium, miro quodam conſenſu & concentu conuenire omnia in eam vnam quam veluti magiſtram ac parentem venerantur omnes Poëticam, videntur. Quod etſi, vt præſeferant ſingulæ ſuis in rebus, & ratio ipſa cogit & veritas, Rhetorica tamen, cuius vis eſt ac profeſsio ſapienter iudicandi, non modo bene dicendi, ita agnoſcit & prædicat, vt interdum plus eſſe neruorũ & virium paucis in verſibus via & ratione compoſitis, quam in bene longa & verboſa oratione, fateatur. Ex quo fortaſſe factum eſt, vt dixerint viri ſingulari quadam doctrina exquiſitoque iudicio: qui in ſcribendo carmine excellit, eumdem etiam, cum res feret, poſſe & cum voluptate audientium, nec ſine dicentis dignitate, orationem explicare: non contra: quod ad munus ſuum laudabiliter obeundum, Poëticen magis Rhetorice, quam Rhetoricen Poëtice deſideret. Quæ cum ita ſint, adoleſcentes optimi, vos ſiquidem appello, quos Rhetoricæ ſtudium ac diſciplina excitat ad laudem copioſe ſapienterq; dicendi, non poſſum non vehementer probare conſilium veſtrum, quo me, mea primum ſponte propenſiorem, ſed fortaſſe tardum in decernẽdo atque ancipitem, in eam mentem impuliſtis, vt Ciceronis Phi-

 lippi-

lippicas, quibus nihil poteſt eſſe grauius, nihil efficacius, nihil diuinius, cum ſelectis Virgilij contionibus coniungerem: quas (hoc enim loco prædicam commode ac pronuntiabo) nouo interdum vt videbitur nomine, ſed vero ac proprio, ἐκλογὰς appellabimus. Oſtendam profecto, quantum quidem hac ætate & ſtudio iam ingraueſcente in his litteris intelligo, in Latinorum principe Poëtarum, in illo non ſecundo, ſed nouo & altero Homero, vt de Ennio dicebat Lucilius, quanta ſit orationis vbertas, quæ pondera ſententiarum, quanta dignitas ſpecieſque verborum, quot & qualia ipſa ex eius verſibus, non vt e rhetoribus præcepta, ſed quod mirum quantum ad docendum valet, ſuppeditentur exempla vt interdum ſit vno in conſpectu poſitura vel minima contiuncula, quod e multis pleriſq; orationibus non niſi longa perueſtigatione & diligenti multarum rerum inquiſitione elici poſſe videretur. Atque ita fiet, vt & in Rhetorica Poeticam agnoſcere, & e Poetica Rhetoricam addiſcere poſſitis: eaſque duas ita cognatas eſſe ac geminas intelligatis, vt ſeiungi ab vna altera non debeat: ne cum mutuis ſint fultæ præſidiis, ſi alteram ſuſtuleris, eodem labefacta motu altera labatur & corruat. Quod etiam, opinor, videtis me vno atq; altero præconio indicaſſe. Quippe, ſuperioribus diebus ad Rhetoricen, vt potui, pro tempore laudandam, Poeticæ ſum vſus adiumento: nunc vero, non referendi magis beneficij cauſa, quam veritatis, Rhetoricen quaſi patronam, aut vindicem verius, adhibui, vt probarem vobis, & ſane, vt vidi, libentibus, humanorum illam morum non modo imitatricem, ſed & emendatricem Poeticen. ſi cum humanis ceteris comparetur diſciplinis & artibus, nulli omnino, ſiue

in iis

in iis ſpectetur antiquitas, ſiue dignitas, ſiue denique vtilitas, vt hoc ſaltem dicam intra modum, & citra inuidiam, concedere debere.

D I X I.

ORATIO OCTAVA

Eiuſdem argumenti.

QVANAM ratione fieri dicam, Auditores, vt quotieſcumque pro mei ratione muneris de Poeticæ laudibus dicere aliquid inſtituo, quæ tot ſunt ac tantæ, amplam vt præbeant omnibus atque vberem dicendi materiam, me repente, quaſi intermittens nauem ventus in medio curſu, deficiat oratio? An quod eam minus admirer, & diligam ex quo etiam fiat, vt nulla quærenti liceat, ad eius commendationem verba ſuccurrant? Vtinam, atque iterum vtinam, quantum eſt, & fuit ſemper, ante pene quam per ætatem iudicium facere cœpi, meum in eam ſtudium & beneuolentia, daretur mihi facultas re factiſque declarandi, vincerem profecto, paucos eſſe admodum, etiam ſi eius ſe cupidiſſimos eſſe fateantur qui mihi in propenſa quadam erga illam pietate & obſeruantia præferri debeant. Quis enim in te non omni impetu atque ardore mentis feratur, parens Philoſophiæ, bonarum altrix litterarum, cuſtoſq; diſciplinarum Poetica, a cuius ſplendore ac lumine, non ſecus atque ab vno illo Sole reliquorum moderatore ſiderum in terras, omnis lux, omne decus, omnis ornatus deriuatur in ſplendidas illas

das illas artes, quæ inſtruere animum hominis ac perficere dicũtur? Non eo ſum ingenio & ſcientia rerum, quibus eos præditos eſſe oportet, quos tua dignaris fide optima & clientela, e quibus nonnullos hic adeſſe video: ſed eo magis laboraui, vt ab induſtria mihi & vigiliis ſubſidium compararem. Quid illud igitur eſt, quod cogitata effluunt, deficit memoria, mens titubat, fugiunt verba, vox hæret, lingua obmuteſcit, & infans omnino videor, non tantum imperitus, vbi de te aliquid dicere ingredior? Non ero quidem tam impius neq; imprudens, vt his audientibus tam peritis rerum exiſtimatoribus, id dicam, quod ſi aliquis probare contenderet, eſſet non ſolum irriſione omnium explodendus, ſed lapidatione expellendus: quod pauca ſint, quæ rectiſsime dici de poetarum ſtudio queant. nunquam mihi ex ore excidet hæc vox improbiſsima. Quod ſi quis ita ſtultus ſit, & amens furore, vt hoc ebulliat: ne ille, eadem opera, & ſtare cœlum, & ferri terram incredibili celeritate, & obſcurum eſſe Solem, & luminoſum aëra, & Oceanum ſiccum, omnia denique deprauato eſſe ordine peruerſoque confirmet. Certe quidem, nemo dixerit hominum, modo homo ſit, pauca aut parua prædicari poſſe ea de facultate, de qua quicumque attingere aliquid volet, licet totus animo & mente in rerum varietate ac multitudine defixus, exclamet neceſſe eſt: Inopem me copia fecit. neq; vero parua dicenda illa ſunt, quæ ita ſunt magna, vt quoniam quanta ſunt explicari atq; exponi non poſſunt, ademerint omnem omnibus cum facultate amplificandi, attingendi etiam voluntatem. quin hoc eſſe potius arbitror cauſæ, Auditores, quod quemadmodum qui in Solem intuetur aduerſum, ſi id faciat diutius

& curio-

& curioſius, amittit propemodum aſpectum, ac nihil videt: idque non ex ipſius obſcuritate ſideris natura clariſsimi, ſed ex imbecillitate oculorum, quæ luce præſtinguitur: ſic etiam ſi quis mortalium in cœlo hoc diſciplinarum & artium, in pulcherrimam illam lucem, e qua lumen cetera veluti ſtellæ mutuantur, intendere velit obtutum eum circumfundi atque obrui tenebris oporteat: ſic vt ſponte atq; vltro diem ſibi in noctem, & ſplendorem in caliginem vertiſſe videatur. neque quiſquam, credo, ſplendidiſsimam eius imaginem aſpexit, ſi aſpexit tamen, ingreſſus videlicet in adyta ipſius penetralia, ad ipſamq; peruenit reginam, ceteris ſublimi e ſolio præſidentem humanis artibus, & tamquam iura reddentem, niſi poſt quam ea comiter & benigne

circum caput omne micantes
Depoſuit radios, propiuſque accedere iuſſit.

Vt fortaſſe princeps ille ac pater Poëtarum Homerus,
a quo ceu fonte perenni
Vatum Pieriis ora rigantur aquis,

propterea captus fuiſſe dicatur oculis, quod ad illam errantis modo imprudentius acceſſerit. quamquam vbi de Homero, deque eius poëmatis cogito, quaſi qui conſecutus illud ſit, quod Eudoxus habebat in votis, vt cæcus fieret, modo Solem ſemel aſpiceret, dicendum videtur, dum cerneret Poëticam, & nihil præterea aliud, præclare compenſatam cæcitatem cum vno illo ipſius aſpectu fuiſſe. quod ſi defigere obtutum in ipſam nequimus Poëticā, quin oculorum acies hebeſcat, faciamus id quod docebat alicubi Philoſophorum Homerus Plato: quod & iꝗ faciunt, quibus Solem intueri non licet deficientem: contemplemur eam in ſpe-

culo. & aqua, id eſt, in operibus Poëtarum: quod ſi hoc etiam modo vincit & ſuperat vim oculorum, illo tamen deueniendum eſt, vt aliquo pacto expreſſam eius imaginem pictamq; videamus. Non poſſumus eius magnitudinem aſpicere: ſpectemus ſaltem, ſicut terrarum orbem vniuerſum in paruula tabella, aliquam eius partem, & non nullum exemplar in anguſtam quamdam ſpeciem figuramque collectum: faciamus quod docent rerum indagatores admirabilium, vt quando rei alicuius natura per ſe non eſt peruestigabilis, propoſita re aliqua ſimili, in quamcumque illius notitiam quamuis adumbratam leuemq; veniamus. Mihi igitur hac de re diu multumq; cogitanti hæc ferme veniebant in mentem: tres eſſe artes, quæ aliquo modo Poëticæ diuitias & dignitatem artis imitantur, Picturam, Muſicam, Diuinationem: quæ tria tametſi magna ſunt, vt ſunt certe maxima, non ea ſunt, vt Poëticæ vim & ſpeciem exprimant vniuerſam. Nihil propeerit actum, Auditores, cum egerimus omnia: ſed tentemus licet, atque agamus aliquid, ne nihil agendo, nihil agere voluiſſe videamur: & quando de Poëtica dicere quod volumus non poſſumus, ſatis habeamus, vt quod poſſumus, id velimus. in re enim tanta, etſi non peruenerimus quo contendimus, vt veniremus tamen fuerit cōtendiſſe glorioſum. Pictura igitur, vt hinc incipiam, & illa ars quæ hominis formam & dignitatem oris penicillo deſcribit, & conſtituit ante oculos, eſt aliquo modo Poeticæ germana & ſimilis. ex quo factum eſt, vt & Plato, & qui eum audiuit magno videlicet magiſtro maior fortaſſe diſcipulus, Ariſtoteles, & qui ab vtroque permulta ſumpſit Plutarchus, Poeticam dixerint Picturam eſſe

loquentem, Picturam autem tacitam Poeſin. Vos quæſo, Adoleſcentes, vt quid hoc rei ſit cognoſcatis, animum aduertite: quam enim delectat pictum opus atque eminens, quod rei ipſi eiuſque imagini reſpondes, e qua ſimilitudo ducitur, fuſo videlicet candore ac rubore permiſto ſic exprimit excellentem aliquam hominis formam & ſpeciem, ad quam artifex direxit artem & manum, vt illum ipſum, qui expreſſus eſt atque effictus, cernere videamur. Dicerem, ſi liceret poeticè aliquid dicere, cum dicimus de Poetica, ipſam prope naturam hæc videntem ſubinuidere arti æmulatrici, vt in re audaci pauſo dicam audacius, a qua ita exprimitur, vt ipſam prope naturam in ſuis operibus reddiderit incertam. Hoc nimirum efficitur a Poetica, ſed multo clarius atque diuinius: neque enim tantum oris venuſtatem ac lineamenta corporis, ſed mores, habitus, ingenium, hominum facta, dicta, conſilia deſcribit. vt quæ in picta tabula aut aulæo ad videndum explicato & expoſito apparent, ſingulorum imagines hominum, atque adeo montium, conuallium, regionum, ſiluarum, fluminum aſpectus, inſtructæ etiam in campo acies moleſque bellorum: hæc non modo in Poetarum carmine videas,

Vt ſæpe ingenti bello, cum longa cohortes
Explicuit legio, & campo ſtetit agmen aperto,
Directæque acies: ac late fluctuat omnis
Ære renidenti tellus, nec dum horrida miſcent
Prœlia, ſed dubius medius Mars errat in armis.

non igitur hæc tantum videas, ſed audias etiam adhortantium imperatorum voces, claſſicorum cantus, clangorem tubæ, ſonitumq; buccinarum: cædentium impetum, cadentiũ gemitum, anhelitum vtro-

cumque:tinnitum armorum,gladiorum ictum,fragorem.ſtrepitum occurſantium, confligentium.ferientium:hinnitum equorum, clamorem equitum,fremitumque militum,haſtis & pedibus incedentium.

crudelis vbique

Luctus, vbique pauor, & plurima mortis imago.

Quis enim eſt vſque adeo tardus & ſurdus, quin ea cum legit,eſſe ſibi in eo prœlio,in medioque ardore pugnæ cædiſque videatur?ſed hoc clarum eſt. Quid dicam de Muſica, quam alteram poſui Poeticæ imaginem? ea vero eſt ita Poëticæ ſimilis, vt vtraq; faciat omnino quod facit altera: quamquam ſemper ſtatuendum eſt,longe melius atque illuſtrius omnia fieri a Poëtica. etenim eſt domina prope animorum & moderatrix Muſica:quos mouet.ſedat:intendit. remittit: perturbat,tranquillat: incitat,reflectit: prout vtuntur Muſici, aut incitatione modorum, aut tarditate cantus:quod docuit Pythagoras in iis adoleſcentibus, qui cum inſtincti tibiis,& ſtimulati vino, iam iamque mulieris fores effringerent, admonuit tantum tibicinam,ſpondeum vt caneret: eorumq; petulantiam hac ratione repreſsit. quod & Antigenidam cum Alexandro feciſſe ferunt: quem,cum certo modo inflaſſet tibias, compulit quaſi actum furore, anhelantem cædem, Martemq; ſpirantem ſurgere e cœna, arma poſcere, equum aſcendere: cum rurſus alio ceciniſſet modo, confecto veluti bello partaq; victoria, deſilire ex equo, arma ponere,redire ad hilaritatem conuiuij. at,bone Deus, quanto hæc opportunius a Poëta fiunt & efficacius?neq; enim ſolum ad tempus moderantur verſus animi motibus, quos inflammant pro arbitrio atque reſtinguunt,ſed homines ad omne virtutum genus im-

nus impellunt: deterrent à vitio, & in excitandis acuendiſq; ingeniis nimium quantum valent: ita a molli & tenero poëmate informantur animi, erudiuntur mentes, fingitur vita: certa, quibus paratur laus & gloria, præcepta traduntur.

Feruet auaritia, miſeroq; cupidine pectus?
Sunt verba, & voces, quibus hunc lenire dolorem
Poſsis & magnam morbi depellere partem.
Laudis amore tumes? Sunt certa piacula, quæ te
Ter pure lecto poterunt recreare libello.
Inuidus, iracundus, iners, vinoſus, amator,
Nemo adeo ferus eſt, vt non miteſcere poſsit
Si modo culturæ pätientem accommodet aurem.

Quod fit tum ipſorum dulcitudine numerorum, quæ in animos influit placidiſsime: cum eorum auctores

Lucida pangunt
Carmina muſeo tingentes cuncta lepore:

tum earum commemoratione rerum, quæ aut improbis aduerſæ acciderunt, aut probis ſecundæ, vt quoniam (eo enim redibo, vnde diſceſsi) idẽ vtraque ars præſtat & canendi & pangendi: quamquam hæc quoque canendi dicitur: non ſine cauſa factum exiſtimem, vt, quod docet Cicero tertio de oratore, Muſici, olim, iidẽ qui poëtæ dicerentur, ſed iam.

Quo feror? vnde abij? quæ me fuga? quemue reducet? quid rapit orationem meam? quid e medio reuocat curſu, atque, vt hæc quaſi minora relinquam, hortantur? furor ne quidam, an vaticinium, an diuinatio? Videor mihi alienatus quodammodo eſſe a mente, Auditores: ac propterea dicam inconditius & confuſius.

Maior rerum mihi naſcitur ordo.
Maius opus moueo.

Ipſa mihi iniicit Poetica, quamuis oculorum aciem effugiat, præpotentem manum. Poetica videlicet ipſa diuina quædam vis eſt, quæ extollit hominis animum, vt ſuperûm plerumq; choris immiſceat: quod non tantum eorum indicat nomen, qui alumni eius ac ſtudioſi cum ſint, diuini vateſque dicuntur; ſed multo magis res ipſa, & veritas: vt quod legitur in poetarum monumentis, recte plerumque effuſum dicatur impulſu inſtinctuque diuino. Deus, Deus inquam quibuſdam videtur verſuum ſcriptoribus impleſſe pectus rerū magnitudine occultarum, prætuliſſe facem menti, mouiſſe articulos, impuliſſe digitos, moderatus denique, cum ſcriberent, ingenium & manum.

Eſt Deus in nobis, agitante caleſcimus illo,
quidam illorum dixit, & alio loco:
At ſacri vates, & diuum cura vocamur:
Sunt etiam, qui nos numen habere putent.

Vt quædam etiam ab iis ipſis non intellecta, vbi feruor ille cæleſtis ac ſpiritus reſediſſet, non temere rear. Teſtes mihi ſunt virgines illæ, quæ Deo afflatæ multa videntur effatæ verſibus, ac fere omnia myſteria, quæ ad noſtram pertinent religionem comprehendiſſe: ex quo etiam tamquam Dei interpretes Sibyllæ nominabantur. Teſtes diuinorum oraculorum conſcij & internuntij Prophetæ, atque hypophetæ: qui quidem bonam partem res futuras carmine præſignificabant. Teſtes, vt de aliis taceam, illius poetæ, qui coryphæus quidam & præſultor videtur eſſe ceterorum, Virgilij verſus: e quibus, ne dicam duxiſſe ſortes antiquos Romanos, & potiſſimū Cæſares, multa pronūtiata eruuntur, quæ prædicta eſſe de hominum ſalutis

aucto-

auctore Chriſto, deq; eius matre beatiſsima virgine putantur. Quorſum enim illa? quibus perductos aliquos ad veram fidem conſtantiſsime legimus.

Vltima Cumæi venit iam carminis ætas,
Magnus ab integro ſeclorum naſcitur ordo.
Iam redit & virgo, redeunt Saturnia regna,
Iam noua progenies cælo demittitur alto.
Tu modo naſcenti puero, quo ferrea tandem
Deſinet, ac toto ſurget gens aurea mundo,
Caſta faue Lucina: tuus iam regnat Apollo. &c.
Te duce, ſi qua manent ſceleris veſtigia noſtri,
Irrita perpetua ſoluent formidine terras.
Ille Deum vitam accipiet, diuiſq; videbit
Permiſtos heroas, & ipſe videbitur illis,
Pacatumq; reget patriis virtutibus orbem.

Quid illud in eadem Ecloga, ne omnia percurram.

Cara Deum ſoboles magnum Iouis incrementum,
Aſpice venturo lætentur vt omnia ſæclo?

Expectatis ne, dum depromatur admirabile illud & cum Euangelio conſpirans quodammodo & concinnens hemiſtichium, è lib. Æneidos 5.

Vnum pro multis dabitur caput?

Aut illud in atrociſsima & teterrima Chriſti Domini morte, de Sole,

Cum caput obſcura nitidum ferrugine tinxit,
Impiaq; æternam timuerunt ſæcula noctem?

Vox me, litera, diesq; deficerent, Auditores, ſi omnia, quæ apud Virgilium & ceteros etiam poetas fuerunt rerum quaſi oracula & reſponſa futurarũ. perſequi vellẽ. ſed vt ne vobis ſim moleſtior, qui cũ honeſtandi nos cauſa huc hodie conueneritis, diutius tenendi non eſtis, & ad rẽ ipsã veniam, cuius cauſa hæc eſt ſuſcepta diſpu-

diſputatio, concludam breui. nempe, quæ attigi omnia de Poëticæ vi atq; excellentia, deq; tribus illis artibus, quæ coniunctæ ſimul aliquo modo ad eius diuinitatem videntur accedere, ita elucent ac ſpectantur in vno hoc Catulli, ad quod explicandum aggredimur, poëmate, vt dicere audeam, etiam ſi omnia omnium poëmata & carmina deſiderarentur, ex hoc vno tantum Pelei & Thetidos epithalamio coniecturam fieri poſſe de admirabili laude Poëtices, numquam laudatæ ſatis, nec pro dignitate laudandæ. nam ſi antiquitas requiritur, carmen eſt antiquiſſimum, vt multa ex eo non Virgilius modo fulgor ille Poëtarum & Romani magiſter elóquij. ſed & Latini alij, & vero etiam Græci deprompſiſſe videantur. vt quemadmodum M. Tullius vnam ſibi a pueritia quaſi magiſtram fatetur fuiſſe orationem Scæuolæ, quam habuit in legem Cepionis: & Doryphorum Polycleti ſtatuam canona vocabant artifices, quod lineamenta oris ex eo peterent velut a lege quadam: ſic etiam multos habuerit quaſi diſcipulos hoc carmen Catulli: tam multa habet ornamenta artis intimæ, quæ miram afferunt voluptatem legentibus, cum pari vtilitate coniunctam. Hic videtur pictura eminens & expreſſa pulcherrimis imaginibus, quando

Puluinar diuæ geniale locatur
Ædibus in mediis, Indo quod dente politum
Tincta tegit roſeo conchylis purpura fuco.
Hæc veſtis priſcis hominum redimita figuris
Heroum mira virtutes indicat arte.

Hic etiam auditur cum vaticinio cantus, vt vtrumq; coniungam, ita enim legimus,

Hæ tum clariſona pellentes vellera voce

Talia

Talia diuino fuderunt carmine fata,
Carmine, perfidiæ quod poſt nulla arguet ætas.

Addam tamen hoc poſtremo, quod mirum in modum ad pietatem eſt vtile, & ad vitam recte inſtituẽdam. Poëtam admonere, eos qui integram vitam agunt, atque ab omni ſcelere remotam, gratos eſſe & acceptos cæleſtibus, vt ab illis etiam plerumque viſitentur.

Præſentes namq; ante domos inuiſere caſtas
Sæpius, & ſeſe mortali oſtendere cœtu
Cælicolæ non dum ſpreta pietate ſolebant.

Ceterum de huius varietate operis, eruditione, elegantia, copia fabularum, earumque rerum, quæ audientiam faciunt, & ingenerant amorem virtutis, & gloriæ cupiditatem in animis, malo, adoleſcentes, ex ipſo poëta intelligatis, vt tempus feret, quam ex me hodierna luce audiatis. Audietis certe poëtam, qui, quod eſt poëtis commune omnibus, proprium ſibi cognomen ex virtute fecit, vt Doctus diceretur. Doctum ergo audietis poëtam, cultum omnino & elegantem. in quo maxime apparent viſtigia ſinceræ neq; oblitæ vlla peregrinitate, aut Græciæ fuco, linguæ Latinæ. magna erit oblectatio, cum multa de mari, de cœlo, de terra, quæ tria omnia complectũtur quæ ſub oculos cadunt, in hiſce pauculis paginis comprehenſa eſſe ac deſcripta videbitis: vt quod Catullus ipſe ad Cornelium ſcribit Nepotem,

Iam tum cum auſus es vnus Italorum
Omne æuum tribus explicare chartis,
Doctis, Iuppiter, & laborioſis,

conueniat æque in eum, qui omnem fere artem poeticam, eruditionem, ſubtilitatem, & copiam contulit in hoc poematium, breue quidem & paucorum verſuum,

ſuum, ſed quod complura aliorum monumenta, etſi longiſsima, & fuiſſe dicuntur Antimachi, ſua poſsit elegantia luce & ornamentorum ſplendore ſuperare: vt, non dico viſantur, ſed ne appareant quidem: & de eius auctore meritiſsimo illud ac ſine controuerſia dicatur, quod de alio quodam ſcripſit Lucretius, qui fuit fere æqualis Catullo,

Tu pater & rerum inuentor, tu patria nobis
Suppeditas præcepta: tuiſq; ex inclute chartis,
Floriferis vt apes in ſaltibus omnia libant,
Omnia nos itidem depaſcimur aurea dicta,
Aurea perpetua ſemper digniſsima vita.

Cetera, Deo volente, alias perſequemur.

DIXI.

ORATIO NONA.

De vitæ integritate coniungenda cum eloquentia.

A*PERTO tandem ſumma Dei benignitate nouo hoc & nobili Gymnaſio, quod ex obſcuro loco & anguſto in clariorem & auguſtiorem tranſlatum, magna Pontificis maximi Gregorij Tertiidecimi liberalitate conſpicimus: cuius rei gratia, ſunt ipſi dies ſeptem gratiis agendis, & gratulationibus habendis, quaſi feſti ac ſollemnes, multorum lætitia frequentiaq; celebrati: veterum ſcilicet more, atq; inſtituto. qui in*

muneri

muneribus dandis aliâ atq; alia dabant in dies ſingulos paria gladiatorum, vt ex vario certantium periculo varium exiſteret cernentibus ſpectaculum, & noua pugnæ commiſſio noua eſſet promiſsio voluptatis: cum hoc primum biduo ex actionibus publicis itum ſit ad priuatas, & in locum communium ſucceſſerint propriæ: & doctores omnes, & communibus adducti rationibus, & propriis, vel tamquam fluuij creſcentibus aquis diuerſa acti via, non diuerſo ducti itinere vnum in mare, confluant in idem præfationum argumentum, vel tamquam Muſæ in Muſeo oblata noua carminis materia, non ſimilibus vtentes vocibus, nec iiſdem canendi inſtrumentis, ex diſsimili cantione ſimilem cantum efficiant, id eſt, pro ſe quiſque eius artis quamcumque profitetur, laudes verbis extollat ampliſsimis: in tanta vi laudationum, atq; ardore laudantium, cum & facultatem excitet voluntas, & voluntatē declaret facultas, neſcio quomodo factum eſt, mihi vt contra & imminuat voluntatē facultas, & facultatem voluntas impediat. Et quidē, vt hinc incipiam, facultati obeſt voluntas: quæ tam acris eſt ac vehemens, vt quemadmodum aquula quæ anguſtam per fiſtulam ducitur, ſi augeatur forte, interclusa, ore obſtructo, nequit effluere, ſic ipſa, vt fit ſæpe, cum præter modum efferueſcit animus, præcipitans, atq; incitata facultatem obſideat, vt omni conatu atque exitu prohibeatur: Voluntati porro aduerſatur illa cogitatio, quod vereor, ne vt ſum voce abſonus, nouo illi ac ſuaui Muſarum concentui obſtrepam: ne ve, ſi abſurde canens dulciorem illarum harmoniam obturbem, delicatiores aures veſtras offendam. Ita, quoniā in Muſicorum cœtu, vt audio,

eſt etiam ſuus tacentibus locus, quandoquidem contigit, vt ex hoc choro non excluderer, ſumebam mihi partes taciturnitatis: neque tamen hac in re ab religione officij declinaſſem. ſiquidem, vt in oratione conſonantes literæ, quarum per ſe nullus eſt ſonus, faciunt vt vocales melius accidant ad aures: ſic etiam in ſymphonia, interdum interſpirationes, & opportuna tacentium interualla efficiunt, vt concinentium voces iucundius exaudiãtur. Huc accedebat, quod cum in poſteriorem diem, & in poſtremam fere coniectus eſſem horam, & quaſi relictus in fundo, vbi & exiguum quoddam reſidere ſolet, & deterius, non deberi mihi tantum veniam, ſed propemodum gratiam arbitrabar, ſi in huius Gymnaſij quaſi natali die, cum dantur natalitia, & exquiſitarum copia epularum non tantum proponitur domi ſuæ, ſed etiam in publico exponitur ab omnibus, meæ conſcius tenuitatis, neminem inuitarem potius, quam ſi inuitatos nec liberaliter exciperem, & ſordide tractarem: ſatis enim futurum, ſi meæ familiæ, domi meæ tantum apponerem, vt in ſobrio quodam & moderato conuiuio elegans magis quam parcus haberi poſſem. ſed quoniam ex altera parte prouidebam fore, vt nonnulli ſponte ſe offerrent cœnæ aliis præparatæ, quod Homerus ne in fratre quidem ferendum eſſe dicebat: quaſi qui exiſtiment ab hodiernis epulis excludi neminem oportere: quin etiam poſtulent obiici ſibi pro corollario ſpeciem quamdam, & quaſi pompam ad oblectandum: & videbam eſſe admittendos multos, quorum turpis eſſet eiectio: etſi numquã omnino diuinaſſem fore, vt propter frequẽtiam cõuiuarum amplius conclaue quæreretur:

retur: nō moleſte, opinor, feretis, ſi vt beneuolus potius hoſpes, quam ſplendidus, occurrens veſtræ ſatietati, & conſulens valetudini; quod etiam fert ratio mearum opum, non magnificum ac ſumptuoſum, quod opipare fecerunt alij. ſed ne veſter ſcilicet ſtomachus cruditate langueſcat, tenue ac ſalubre inſtruam conuiuiū: cuius leuitate releuētur etiam animi, qui nimia lautiſsimorum aſsiduitate obruerentur. Nam quod ad corollarium attinet, vere atq; ex animo præmoneo, prædico, atq; ante denuntio, non futuram meam pōpam apparatam & pulchram, qualis fuit aliorum, ſed pro mea inopia talem, vt ex eius comparatione, illorum illuſtriorem & ornatiorem fuiſſe intelligatis: ſic vt, quemadmodum cum in ferculis triumphorum tranſtuliſſet olim Cæſar ſimulacra oppidorum ex ebore, & paucis poſt diebus Fabius Maximus e ligno, hæc illorum thecas eſſe facete dixit Chryſippus, futurum ſit, vt in mea oratione agnoſcatur adumbratio quædam eius rei, cuius in ipſis laudata eſt perfectio: & quod ego tantum volui, illi etiam potuiſſe videantur. Quoniam igitur (dicam enim planius Auditores in veſtro hoc conuentu, meoq; huc aduentu, ſic enim factum eſt hodie, vt qui vos recipere debeam, reciperer a vobis) quoniam igitur, perpetuam vt effugiam reprehenſionem, hodiernam proluſionem effugere non poſſum, vt ne ita proludam, vt videar colludere, ſumpſi mihi non ſane ſpecioſam ad oblectādum, ſed aptam ad docendum, non ex intima hauſtam ſapientia, ſed e communi vita breuem quamdam & iucundam diſputationem, vtilem etiam, vt ſpero, iuuētuti, atq; iis præcipue, qui dicendi ſtudio tenentur. Docebo ſcilicet, quantum poſſum (quid enim potius

homo

homo hac ætate & vita, pio hoc & nobili conſeſſu audiente, & ſpectante?) faciendum eſſe iis, ſi qui ſunt, qui vere eloquentes & eſſe & haberi velint, vt non vni tantum bene dicendi, ſed recte etiam viuendi arti dent operam, & eloquentiæ laudem cum vitæ integritate coniungant: quod illa ſine hac non modo pulchra, ſed ne vtilis quidem eſſe poſsit. Quid enim faciat, aut quid omnino ſe perſuaſurum arbitretur is, cuius ab lingua animus, ab oratione vita diſſentiat? quem, cum eius dictionem audias, probes: cum dicentem conſideres, contemnas? Quid fiet vmquam, vt placeat orator, cuius vita & mores omnem commendationẽ orationis euertant? τρόπος ἐσθ' ὁ πείθων τοῦ λέγοντος οὐ λόγος, dixit Menãder: nimiũ fortaſſe tribuens alteri parti, cum exiſtimet mores tantum valere dicentis, ad perſuadendum, non etiam orationem: ſed ex quo tamen facilis coniectura eſt, ſi alterutra ſit carendum, aut recta vita, aut commoda oratione, vtra magis carendum eſſe vir ſapientiſsimus iudicarit. Nimirum, vt aquam a corrupto fonte & capite ſecurus non bibas, etiam ſi dulcis & clara videatur: ita, quo elegantior & ornatior eſt ſermo, cauendum eſt ne decipiat atq; inducat magis, ſi ab eo fluat, quem inquinatum eſſe cognoſcas. Qualis eſt cuiuſque animus, talem habere fidem debet oratio. etſi enim animi peruerſitas tegi fortaſſe aliquo tempore, longo latere non poteſt. Cor veneno illitum, igne, vt aiunt, non conficitur: idem malignis ſuffuſum moribus, non coquet nec verba, nec conſilia, quæ ſint aliis profutura. At fundet interdum pulchra turpis, & dicere etiam bona, quæ ſint vtilia audientibus, videbitur malus: ſed adulterat ſimulatio iuuandi ſpecie ſtudium nocendi, quæ tandem tamen erumpit, atque emittitur:

neq; enim occultatur diutius vitæ ſcena poſt ſiparium orationis. Mihi quidem, vt ad me ipſe referam animum, & ex meo ſpectem veſtrum, ſi forte de re aliqua grauiore deliberanti, duo darentur a duobus diuerſa conſilia: quorum alter perſpecta probitate, & prudentia, ſermonem afferret incomptum ac rudem: alter ſuſpecta fide, ac flagitioſis moribus, explicaret, quaſi in ſcena ac theatro, orationem nitidam, pictam, conſperſam verborum floribus, ac luminibus ſententiarum: laudarem ſane præclaram huius orationem, ſed ſequerer rationem alterius. neq; enim futurum arbitror quemquam ita delicatum & vanum, vt ſi ei ſitienti in auro offeratur vinum, in quo ſit aliqua veneni ſuſpicio, in vitro aqua pura ac ſimplex, ex auro hauriat potius, quod fortaſſe vitam, quam ex vitro, quad ſitim ſine dubio extinguat. Recte Lacedæmonij: apud quos cum quidam improbi vir animi, prauiq; conſilij, ſententiam aliquando exprompſiſſet vtilem, vt videbatur, & commodam, cum orationis cõmoditas preponderaretur oratoris infamia, quaſi ſalubrem potionem in ſincerum vas ex ſordido defundentes, ſtatuerunt, vt eadem ſententia, auctore eiecto, ab altero quodam e populo diceretur. Enimuero ſuſpenſo animo, ac ſolicito audiri debet mali viri oratio, etiam optima, vt cantio Sirenum: ne capiat, fallat, irretiat, in cæcum aliquem ſcopulum gurgitemq; deducat. Ita, vti dicebam videndum eſt homini, qui appetit eloquentiam, qui attente audiri, & cum approbatione audientium, magnum quiddam & expetendũ arbitratur, ne alterum tantum ſui partem perpoliat atque excolat, linguam: ſed alteram prius ac potius inſtruat, atq; ornet, animum, ſine quo linguæ volubilita-

bilitatem, cum inuiſam aliis, tum ſibi incommodam, à turpem eſſe intelligit. Qui enim aut vitam ſolam, aut ſolàm exornant orationem, neglecta altera, ſimiles ſunt iis hominibus; quos, quia altero carent oculo, ἑτεροφθάλμους Græci, Latini luſcos nominamus: qui duplici ex ea re afficiuntur incommodo, cum ad graue illud vitium corporis accedat haud paulo grauius malum, pudor, & dolor animi, cum videt alios, & viciſsim ab aliis videri ſe, nec ſine irriſione aliqua, ſuſpicantur. Et ſane ridebat Diogenes, cum videret oratores dare operam, vt leges dicendi magis, quam viuendi præcepta ſequerentur. quamquam ego quidem illos non ridendos, ſed miſeros ac miſerandos dixerim, qui eo mentis afficiuntur errore, vt ſe ipſi negligentes (ſe enim negligunt, qui animi ornamenta contemnunt) curam omnem ac diligentiam in rem inanem ac leuiſsimam conferant, nulla honeſtatis propoſita dignitate, aut gloriæ. Quod ſi ille idem, de quo paulo ante, Diogenes, in iocis loquens de rebus ſeriis, dictitabat, malle ſe arietem eſſe hominis Megarenſis, quam filium: quod ſcilicet Megaræ maiori eſſet curæ propagatio arietum, quam diſciplina liberorum: quo dicto ſapienter ſtultitiam Megarenſium notabat: quid tandem illorum de amentia diceret, qui quaſi a beſtiis oratione tantum differant, non etiam ratione, in vnam eloquentiam, ſecluſa vitæ probitate, incumbunt: vt non verbo quidem clament, ſed rebus tamen oſtendant contemnendam eſſe præ dicendi ſcientia conſcientiam factorum, & nihil eſſe ſi ſint mali, dum habeantur diſerti. Nolim ego vos eſſe, adoleſcentes optimi, qui eloquentiæ operam hoc anno me ductore ac doctore daturi eſtis: vos enim proprie ac

propius

propius mea ſpectat oratio:vos quæſo diligenter attendite:quando enim hodie in alieno quaſi hoſpites & peregrini verſamur Gymnaſio, quippe maiore, quaſi inter duas perſonas hæc fabula agatur, qui nos omnes circumſiſtunt, & ornant hunc locum viri ornatiſsimi, non ſolum quid ego dicam, ſed quomodo etiam vos ea quæ dicam accipiatis, obſeruant. Ego quidem ſi de magnificentiore cogitaſſem ſuggeſto, magnificentius fortaſſe attuliſſem dicendi genus: nunc quodcumque paraueramus, eo nimirum vtendum eſt. Nolim, inquam, vos adoleſcentes optimi eſſe ex hoc hominum genere aut ordine: ſed potius opto, ac ſpero eo eſſe animo, & conſilio, vt eloquentiæ innocentiam, nō ſolum velitis eſſe comitem, ſed etiam ducem: cuius vos ſententiæ, mihi credite, numquam pœnitebit. Nam ſi e pulchro venientem corpore virtutem gratiorem eſſe princeps Latinorum dixit poetarum, & Bacchylides pulchram hominis faciem ab egregio pictore effingi pulchriorem: multo præſtabiliorem profecto credendum eſt a præſtanti profectam animo eloquentiam videri. Viderunt hoc eadem acie mentis, qua aſpexerunt cetera homines antiquiſsimi, apud quos vetus doctrina eadem videtur fuiſſe, & recte faciendi, & bene dicendi magiſtra: &, quod magis mirere, iidem viuendi præceptores, atque dicendi. Sic apud Homerum Phœnix Achilli ſe a patre Peleo datū eſſe dicit, qui cū doceret μύθων τε ῥητῆρ᾽ ἔμεναι πρηκτῆρά τε ἔργων, *oratorem eſſe verborum, actoremque rerum: & rex ille ſapientiſsimus Philippus magnum noſtrum Ariſtotelem Alexandro filio doctorem acciuit, a quo eodem ille & agendi acciperet præcepta, & eloquendi: nec defuerunt deinceps plurimi, qui cum in ſimili eſſent*

ſent ſententia, ad eamdem etiam alios adducere conarentur: et quibus in vnius epiſtola, quam ad amicum ſcribit, hominis pereloquentis, hæc legimus: Trade filiũ præceptori, a quo mores primum, mox eloquentiam diſcat, quæ male ſine moribus diſcitur. O Ignati pater, & qui ab Ignatio eſtis patres religioſiſſimi, numquã vobis referam gratiam, cum me ex veſtro numero eſſe volueritis: ex illis vid. licet, qui, cum cetera inter munera, quæ ſuo vt labore aliorum vtilitati ſeruiãt, ſuſcipiunt ac profitentur, doceant etiam literas, nihil docere ſe putant, niſi perſuadeant auditoribus, vt ita diſcant, vt maiorem curam intelligant in animis pietate ac vera religione excolendis collocari oportere: quod, vt Ageſilaus dicebat iuſtitiam ſine fortitudine plurimum, fortitudinem ſine iuſtitia nihil valere, ita etiam perſuaſum ſit vobis, atq; exploratum, morum integritatem ſine ſcientia rerum non nihil poſſe, hanc ſine illa, nihil: quod ipſum, non tantum ratio, & communis ſapientium opinio, ſed etiam res ipſa veritasq; conuincũnt. Eſt enim cognitio literarum ſine probitate morum ſcopuloſum quoddam mare, atq; incertum, vt variarum fluctibus opinionum, ita inanis ſuperbiæ fluctibus agitatum: nimirum hic eſt Scylla nautis infeſtiſſima, hic eſt illa Charybdis. quæ multorum ingenia doctiſſimorum abſorpſit. audiuimus, audiuimus aliorum naufragium: vidimus etiam nõnullos in hoc freto natantes, & fluitantes in alto, amiſſis gubernaculis: quorum periculorum admonitu ſapienter ac ſanctè noſtris præſcriptum eſt legibus, vt quemadmodum ad Eleuſina olim ſacra non admittebatur, niſi qui præclara nixus conſcientia ſe probaret innocentem: & Alexander ille huius vrbis imperator,

rator, haud ſcias an re magis, an nomine Seuerus, edicto cauit ne ab homine improbo ſalutaretur: ita etiam ratum ſit, ac fixum, nemini ſacrum hoc, & moderatorum voluntate, & ſanctiſsimi principis imperio, Gymnaſium patere, niſi qui aut bonis inſtructus ſit moribus: aut cupere ſe oſtēdat, vt inſtruatur. Plato quidem ſuæ aditu Academiæ Geometriæ prohibebat expertes: nos ab noſtro Gymnaſio excluſos eſſe volumus, ſi qui ſunt (nullos autem eſſe ſperamus, cupimus quidem certe) quos ignaua ac turpis vita delectat. At ſunt illi ſummo loco nati, ac genere: ſed eo magis propter nobilitatem expoſiti ad imitandum, vt non minus quam peccato, nocere poſsint exemplo. Valent ingenio: propterea eſt acrius prouidēdum, ne muniatur improbitas ſcientiæ præſidiis, neue eloquentiæ inſtrumenta, quaſi furentibus arma tradantur. Etſi tamen non ignoro factam aliquando mutationem morum admirabilem. Sed ſtultum eſt earum rerum correctionem ſperare in poſterum, quæ in præſentia poſsis ne accidant cauere. Quo magis gratulor, adoleſcentes optimi: vos enim iterum appello: eam vobis mentem a Deo datam, & confirmatam etiam veſtrorum diſciplina, vt recte quidem dicere, ſed magis tamen facere cupiatis: ad quod nonnulla, vt ſpes eſt, noſtrarum frequentatione ſcholarum fiet acceſsio. Cogitate interea hoc mecum, & cum animis veſtris, vt magis veſtris ſtudiis conſiliiſq; lætemini: ſi orationem haberetis concinnam, diſtinctam, ornatam, elegantem: non deeſſent fortaſſe, qui, vt magiſtrum peterent per diſcipuli latus, & vna plaga duas arbores deiicerent, dicerent, quod interdum inſuſurratum eſſe audio, magiſtri vos vſos opera, atq; induſtria: ita vt

vos illius verbis, ille veſtro ore dixiſſe diceretur. Dixit hodie ille, aut ille, grauiter, perpolite, ſuauiter, voce erudita, & Romanis auribus digna. quid mirum? dixit; ſed non ſcripſit: ſcripſit, ſed adiutore vſus eſt, vt de Terentio olim ferebatur, Lelio, aut Scipione: vicit quidem, ſed, vt eſt in veteri prouerbio, Non ſine Theſeo. Ita, ſiue vere, ſiue falſo, nonnihil de veſtra orationis laude, vituperatorum ſermo decerperet. At ſi iuſte aliquid ac moderate feceritis. ſi ita vixeritis, vt in veſtris tum dictis tum factis. non turpitudo vlla, ſed ne ſuſpicio quidem appareat: in illa vero tam præclara & rara laude nemo ſe vobis comitem aut ſocium offeret, nemo audebit illam communicare cum alio: totum illud decus, Dei conceſſu ac munere, etiam inimici, atque inuidi, veſtrum eſſe fatebuntur. Late enim patet inuidorum vitium hoc tempore, & eſt in multis: quorum vos ſermunculos minime extimeſcetis. ſi ita viuetis, vt vbi vos viderint, obmuteſcere cogantur: &, quod faciunt canes ad Nilum, viſo quodam lapillo, quem fabæ perſimilem eſſe dicunt, latrare deſiſtant. Eſſet profecto vobis turpe, atq; indecorum ſi cum datis operam religioſis hominibus, in vobis illi erudiendis. vt in Æthiope dealbando, operam perderent: & vt Æthiopes, qui primi vident orientem diem, ſed colorem accipiunt noctis, vos etiam ipſi in hac virtutum officina, alio quodam, quam virtutis colore imbuti videremini. In ea vos quidem eſtis ætate, ex cuius quaſi lineamentis conici poteſt, quæ firmata ſit ſpecies futura. nam & ex ſegetis viriditate meſſem, & ex flore oleæ baccam quoq; ſe videre putat agricola. Agite ingenioſi iuuenes, ac nobiles, eo animo celebrate hoc Gymnaſium, vt veſtro exemplo meliores alij efficiantur. Et

tur. Et

tur. Et quoniam contigit, vt vobis primis aperirentur ſcholæ Gregorianæ amplæ, ac magnificæ, vigilate quã-tum fieri poteſt, vt qui conſequentibus annis ordine conſequentur adoleſcentes, veſtrarum virtutum exempla propoſita habeant ad imitandum: ita denique in his diſcite, ac viuite, vt veſtra doctrina, ac moribus, eam diſciplinam ſecuti videamini, quæ non minus recte factorum fuerit, quam bene dictorum moderatrix, ac magiſtra. Sed ne ego actum ago, qui illos cohorter, qui collaudandi magis videntur. Quin potius pulcherrimam illam eloquentiæ formam, quæ animo cerni, oculis videri non poteſt, propono aliquo modo ſpectandam & contemplandam auditoribus meis, vt ex eius aſpectu maiores illius amores excitentur: & quod his diebus anniuerſaria quadam conſuetudine faciunt vniuerſi, mei muneris rationem, cum eius quam veſtro iuſſu, patres religioſiſsimi, tradendam iuuentuti ſuſcipimus, diſciplinæ laude coniungo? Sed faciant hoc alij, quibus aut ſunt auditores fortaſſe non ſatis cupidi eius ſcientiæ; cui dant operam, aut eius contigit artis explicatio, cuius vel deformitas, vel ſeueritas adoleſcentes auertit ab amore. Faciant hoc, inquam, & faciant omnes certatim: laudẽt ſinguli artes ſuas. Nam hi noſtri iuuenes ita flagrant cupiditate eloquentiæ, vt hæc ipſa proluſio, quam perbreuem eſſe voluimus, officio magis docendi, quam ſtudio dicendi, nimium longa fuiſſe videatur. Et ipſius quidem loquendi ſapientiæ ſpecies talis eſt, vt eius vel imago concepta animo, vel nomen etiam auditum, omnium ſtudia ad ſe alliciat, rapiat, inflammet. Non ſunt porro inuitandi homines in cœna, qui eam ob cauſam, eoque animo vt cœnent, iam lauerunt ma-

nus, & conſederunt ad menſam. Laudare cibos ſuaues, nec ita ſalubres, helluonum eſt: ſalubres, nec tamen dulces, medicorum potius videtur. Verum illa diuinæ eloquentiæ ambroſia vtrumque habet: nihil eſt illa ſuauius, nihil ſalubrius: ſed ita, vt nihil nec de ſalubritate detrahat ſuauitas, nec ſalubritas de ſuauitate delibet. neq; vero verendum eſt, ne quemadmodum infantes pueri, manſa, quæ in os ingerit nutrix, plorantes deuorant, veſtrum aliqui faſtidioſe veſcentes nauſeent, ac non potius incredibili cum voluptate ac lætitia appetant magnum illud ingenioru̅ pabulum eloquentiam. Hoc igitur erit nobis annuum conuiuium, adoleſcentes, & ſtructore, vt ita dicam, Ariſtotele. Accipiam vos quotidie bene cocto condito, vt ille dicebat, & ſermone etiam bono. veſtris enim ſtudiis excitatus, atq; Ariſtotelis ſecutus veſtigia, quo duce ſum iterum quinquennio ante expertus errari non poſſe, tradam ea dicendi præcepta, & vias, quæ ad eloquentiam ferunt: vt quamplurimum veſtris rationibus prodeſſe poſſimus. Omnes qui de dicendi arte ſcripſerunt, ipſe etiam oratorum princeps M. Cicero, ex hoc fonte ſumpſerunt: nos fontes ipſos & capita videbimus, & quaſi ex alto videbimus interdum exiles & turbidas riuorum deductiones. Et quoniam quantum in me erit nihil tacebo, quod dixiſſe: nihil dicam, quod tacuiſſe oportuerit: præcipite iam illam animo lætitiam, & cogitate futurum, vt nihil vmquam audiatis, niſi profuturum, nihil diſcatis, quod neſciſſe rectius fuerit. adiuuate vos veſtra diligentia, atq; aſſiduitate, induſtriam, & voluntatem meam. Ego quidem, quemadmodum Æmilius Paulus, is qui eiuſdem eſſe dicebat imperatoris, &

con-

conuiuium ſcire inſtruere, & bello vincere, ſuis edicebat militibus ad pugnam paratis, cupidis victoriæ, vt manum afferrent alacrem & gladium acutum, cetera enim ſibi curæ fore: ita etiam hoc vobis pro meo iure præcipere, ac recipere, Deo fretus, poſſe videor. afferte ſitientes aures, & famem integram: ita vos recipiã ad has diſcendi epulas, vt quoniam aliquamdiu condidi & compoſui multa, quæ aliquando proferrem ac depromerem, reliquiarum ſit potius futurum aliquid, quam vt patiar conuiuas meos e conuiuio non ſatiatos diſcedere.

DIXI.

ORATIO DECIMA.

Eiuſdem argumenti cum ſuperiore.

MAGNA hæc veſtrum frequentia, conſpectuſq; mihi longe iucundiſſimus, Auditores, etſi ſummam mihi deberet alacritatem afferre dicendi, duplicem tamen affert curã, materiamq; cogitandi. nam ſi ea vos cauſa huc adduxit, vt veſtra hoc Gymnaſium noſtrumque docendi initium præſentia honeſtaretis, magnum mihi onus impoſitum arbitrabar, omni ſtudio atque opere conandi, vt vos veſtræ humanitatis minime pœniteret: ſin autem vt me vnum audiretis, ea fuit cauſa veniendi, quod aliquam ſcilicet apud vos commouerit expectationem noſtra illa per tot iã annos numquam fere intermiſſa, vel docendi, vel pre-

fandi conſuetudo, tum vero maiorem mihi intellige-bam adhibendam & animi & corporis contentionē, vobis vt ſatisfacerem, nec turpe mihi eſſet, ſi quam concitare potui fortaſſe expectationem, eam ſuſtinere non poſſem, & Tarentini cuiuſdam citharœdi, cui Euangelo nomen, renouarem vetus exemplum. Narrabo illud videlicet, cum veſtra bona venia, hoc initio: vt quoniam graue procœmium, & ſeuerum, quod faciat admirationem, noſtris rebus ſeriis proferendis, nō poſſum, at certe ſuaue & iucundum, quod pariat hilaritatem, alienis afferendis ineptiis, adhibuiſſe videar. Vos quæſo, cum hoc narro: illud vobiſcum cogitati, me, vel vt vos a principio delectarem, dicere voluiſſe, vel vt me ipſe admonerem, tacere non potuiſſe. Celebrabantur aliquando ex veteri conſuetudine in Græcia apud Delphos, in honorem Apollinis, Pythia, in quibus permulta inſtituta erant illuſtrium virorum certamina, ad eorum virtutem & excellentiam tamquam in clariſſima luce collocandam: cum & honeſtiſſimæ coronæ imponerentur victoribus, & eorum laudes ſumma omnium gratulatione canerentur. confluebant eo ex vniuerſa Græcia multi, vt ſpectarent, nonnulli etiam vt ſpectarentur: & illi quidem voluptatem ſequebantur, hi vero gloriam. commouit hæc poſterior, quis enim non gloriæ cupiditate ducatur? hunc quem dicimus Euangelum, hominem Tarenti pecunioſum, nec de vulgo. Voluit enim, quoniam neſcio quid ſpei aſſentatoribus afflauerat, cum in gymnicis ludis nihil auderet, quod eſſet opus virorum valentium, non delicatorum, in Muſicis tamen quod ſibi videbatur magis conſonum, ecquid poſſet, experiri. Venit igitur ingenti expectatione elatus, homo fla-

mo flagrans cupiditate gloriæ Delphos. Hic vero, quaſi res agenda eſſet auro, non arte, totumq; illud eſſet oculorum tantum, non etiam aurium iudicium, omnem curam atq; operã ad corporis ornatum & citharæ contulit. Procedit homo vnguentis delibutus, molliſſimo cultu, ac veſtitu pulcherrimo, pallam ferens ingentis pretij, & auream coronam, quæ laureã imitaretur: eius enim folia ex auro erant, pro baccis ſmaragdi fluebant. citharam habebat ſimili materia, maiore artificio, illuminatam margaritis gemmiſq; diſtinctam: quam ſuis etiam ac diſpoſitis in locis, quà Apollinis, quà Orphei, quà Muſarum imago adornabat. omnia primo motu, ac ſpiritu ſuo, admirabili ſpe atq; expectatione complebat: conuerterat enim omnium oculos, atq; ora, tam magnificus hominis apparatus, & luxus. Conueniunt audiendi cauſa frequentes, populus conuolat, tumultuantur, clamant, pugnant de loco. Quid plura? cum tandem ſignificato ſilentio, & coniectis omnium in vnum oculis, corona eſſet multiplex, auditor erectus, ſurgit pulchellus, cum illo inſigni ornatu, auro fulgens ac purpura. Et primo quidem cum ipſe ſe ambitioſe pauoni ſimilis circumſpiceret, deinde vero oculos circũferret, atq; omnibus lumen illud egregium & citharæ & veſtis porrigeret ac tenderet, ad extremum digitis neruos impellere, aut infringere potius ac ſimul vocem explicare cœpiſſet (auem diceres Apollini conſecratam, non quidem cycnum, ſed coruum) repente ita apparuit abſurdus atq; abſonus, vt omnium non modo obrueretur riſu, ſed ſibilis & conuiciis exploderetur: multis etiam, vt imperitus & rudis, qui populo imponere eſſet auſus, verberibus cæderetur: eo

F 4 *magis*

magis contemptus ac deriſus, quo expectatus magis fuerat & ſplendidus. ita enim ſe res habet: quo quiſque eſt in opinione atque expectatione maiore, hoc magis omnium irriſione luditur, niſi re ipſa expectationi reſpondeat. Vt illuc igitur redeam, unde diſceſſimus: ſi iſtam mihi operam ad audiendum datis, quod aliqua mea vel dicendi exercitatio, vel diuturna profeſsio docendi, nonnullam apud vos mihi fecerit audientiam, ne vos magnum mihi onus imponitis, vt neq; huic veſtro tanto ſtudio, neq; hodiernæ multitudini videar defuiſſe. quamquam ita mecum ratiocinabar: ſi quidem ad permulcendas tantum aures, animoſq; vobis deleniendos, qui ad me hodie conueniſtis, viri doctiſsimi, accommodanda eſſet oratio, tum vero Euangeli mihi caſum fuiſſe pertimeſcendum: nunc autem contra euenire. ad hos enim adoleſcentes, qui meæ fidei & curæ commiſsi ſunt & traditi, eſt oratio habenda: neq; vero vtendum eo principio, quod tamquam citharœdi procemium affictum aliquod nihil habeat præter delectationem, ſed ea nimirum proluſione, quæ vtilis etiam audientibus eſſe poſsit. vt quoniam ſuperiore anno, cum Ariſtotelis Rhetoricen ſecundo exponere incepi, ea ſum præfatus, quæ ad officium meum pertinere videbantur, nempe vtilia iuuentuti: hoc ſimiliter anno, cum eamdem explicare pergimus, ea dicam initio, quæ ab illis non diſcrepent: vt & cum explicatione explicatio, & cum proluſione proluſio connexa & conſequens eſſe videatur. Hoc videlicet agam: conuertam ſermonem ad vos adoleſcentes: quod etiam libentius facio, tot ſummis viris præſentibus: vt ſi quem fortaſſe non mouebit oratio, qua ad vos vtar exhortandos & commonendos, eum certe, ho-

te. horum qui non tantum meæ erunt arbitri, ſed etiam, ut ſpero, approbatores ſententiæ, vel tacitorum moueat auctoritas: eoq; magis ad recta atque honeſta facienda omnes incitemini, quo magis veſtrum officium ac munus, horum omnium qui me audiunt & vos intuentur, quaſi conſcientia conſtrictum eſſe intelligetis. Neq; vero vereor, ne exiſtimet quiſpiam, me migrare fines officij mei, cum vos ad recte faciendum velim impellere, quos ad bene dicendum inſtruere debeo: ſi modo meminerit, quod effectum puto ſuperioris anni diſputatione, plus momenti ineſſe in dicentis moribus ad perſuadendum, quam in ipſa oratione: ipſamq; artem Rhetoricam, ſi plena & perfecta eſſe velit, non magis eſſe recte dicendi, quam bene viuendi magiſtram. Quod ſi tum deniq; habemus oratori fidem, cum probos dicentis mores effingit oratio: ſi Marcus etiam Cicero, cum eſſet a patre edoctus, quæ eſſet ratio alterius laudandi, Accepi, inquit, iſta, didiciq; breuiter, non ſolum quemadmodum laudarem alterum, ſed etiam quemadmodum eniterer, vt poſſem ipſe iure laudari: ſic enim cum pater facit in partitionibus loquentem: quis mihi tandem iure ſuccenſeat, ſi meis auditoribus, etiam ſi habear dicendi magiſter, recte quoque viuendi commonſtrem viam? cum præſertim hoc ipſum, in quo verſor, ſummo Dei beneficio, vitæ conſilium, nec Rhetoricæ tantum, ſed etiam religionis profeſsio, idem polliceri ac ſuſcipere videatur? ego vero, vt me vobis indicem, meo propemodum iure prædico atq; præmoneo, adoleſcentes, me non ſolum hodierno die, ſed, quoties ſeſe tulerit occaſio, laboraturum, vt mea opera non doctiores modo. verum etiam meliores eſſe poſsitis. cuius rei erunt, vt opinor,

pinor, hæc ipſa, quæ breuiter ſubiicientur, exemplo: proponam ſcilicet docendi cauſa nonnulla, vt iis deguſtatis coniectura fiat, quæ ſit forma totius diſciplinæ annuæ futura. Agite vos adoleſcentes nobiliſsimi, excitate animos veſtros ad pulcherrimam cognitionem rerum, ad eamq; artem oratoriam, quæ vos bonos viros efficiat, non tantum dicendi peritos. nihil erit, quod ſi ſciatur, magis profit, nihil quod magis poſsit obeſſe, neglectum. ego quidem, quantum in me erit, efficiam, vt nec longa breuitatem cupientibus diſputatio, nec vtilitatem quærentibus inanis hæc proluſio fuiſſe videatur. Hinc igitur quaſi alterum naſcetur exordium. Duo ſunt, quæ oratori, vt maxime in mẽtes influat hominum, maxime omnium cognita & pertractata eſſe debent: alterum, quo perturbantur animi & concitantur: alterum, quod eſt ad naturam & mores, & ad omnem vitæ conſuetudinem accommodatum. atq; hoc quidem orationem facit ſummiſſam, placidam, moderatam, iucundam: illud ſuperius vehementem, incitatam, incenſam, fortem. alterum natum eſt ad vim faciendam auditoribus, alterum ad conciliandam beneuolentiam: vtrumque autem tale eſt, vt perfecte teneri non poſsit, niſi de variis perturbationibus animi, atque ætatum moribus agatur. teneat enim oportet, is qui dicit, venas cuiuſcumque ordinis, ætatis, ingenij, eas vt excitare ſuo arbitratu ac reprimere poſſit. eſt enim animus noſter, ſicut neruis cithara, ſic ipſe moribus inſtructus. ij porro ſunt hoc aut illo modo intendendi, aut remittendi, prout hanc aut illam harmoniam efficere debent. & de perturbationibus quidem animi ſecundo hoc libro ſuperius dictum eſt: nunc enim ſequitur, vt de ætatum moribus ordi-

ordinumque dicatur : qua in re ſollemne illud noſtrum ſeruabimus, vt ſi qua erunt bona ſuapte natura, excitemus & augeamus : ſi qua vero propter prauitatem hominum conuerſa atq; peruerſa, quacumq; fieri poſsit ratione, corrigamus. Non longe abierimus. agitur primo de moribus adoleſcentiæ, id eſt eius ætatis, in qua vos eſtis: adoleſcentes ait cupidos eſſe, iracundos, leues, alacres, confidentes. atque in his quidem omnibus ſunt ſemina quædam rerum honeſtarum, ſunt etiam quædam, vt vera fateamur, turpium. etſi enim natura hominis in optimo ſane ſtatu procreata eſt ab optimo rerum omnium effectore ac parente Deo, qui omnia fecit bona, atque adeo mirabilem in modum : primogenia tamen illa macula, quæ fere a primo ſatu in ipſo ſemine penitus inſedit, per tot ſtirpium traduces propagata infecit infelices natos, vt multum ſit operæ ponendum ac laboris in ea eluenda. Videor mihi, auditores, quotieſcumque de hominum vita cogito, quot homines video, totidem equites videre. animus enim ipſe, is eſt, qui equo vehitur: eius porro fons & origo perturbationum, equus : qui eo difficilius ſuſtinetur ac regitur in adoleſcentia, quo eſt magis intractatus & nouus. eſt coërcendus his vobis equus diligenter, adoleſcentes : & cum ſit tam præfidens, atq; exultans, in loco præſertim tam præcipiti, ne vos det ad caſum, atq; eiiciat, in rectam rationis viam compellendus. & aliquis fortaſſe videbitur in eo ſubigendo ac moderando labor: ſed eum tamen non in curſu medio, cum eſt incitatus, ſed antequam admittas quaſi in planiciem infrenari, & officiorum, vt ita dicam, habenis conſtringi oportet. quo facto, vt Socrates dicebat, facillimus eſt futurus reliqua totius

tius curſus ætatis. Et in aliis quidem vitæ muneribus, non deerunt fortaſſe, qui vt vobis obſequantur, & ementitis aſſentationibus blandiantur, vos dicent diuites, nobiles, ingenio præſtantes, eruditos, eloquentes: virtutum certe ac vitiorum ea natura eſt, vt ea nec diutius aſſingi poſſint non habenti, nec habenti detrahi. Vt, quemadmodum admonebat olim Ariſtippus principes viros, ſi vellent ſcire, quanti eſſent, equitare vt diſcerent: quod ſolus equus neſciat adulari: cum & ferat callidum agitatorem, & imperitum excutiat: ſic admonendi mihi videantur adoleſcentes, qui ſunt iuſtæ appetentes gloriæ, vt eam non in vanis & fallacibus ſermonibus hominum, qui multa vel propter inuidiam detrahunt, vel propter beneuolentiam affingunt, ſed in veris ac ſolidis animi ornamentis repoſitam & collocatam putent: quæ nec adulterari poſſunt fingendo, nec diſſimulari tacendo. Sed hæc vereor ne longius vagari videatur oratio: itaque propius adducam, vt quæ per ſe obſcuriora videntur, cum ſine appoſitione præceptorum lentius diſputantur, certa factorum forma, & conſiliorum, clarius illuſtrentur: cum ego vobis, vt præmonui, adoleſcentes, tradere velim, hac quidem diſputatione, non dicendi præcepta, ſed viuendi: quod profecto magis fit in iis rebus, quæ cum flexibiles ſint ac molles, modico negotio, vt habenis equi, vtramq; in partem detorqueri & conuerti queunt. Vt ecce. Iracundam ac feruidam dicit eſſe adoleſcentiam. iracundia porro, qui eſt feruor ætatis, non tantum ſanguinis, ea eſt, vt quoniam non ſine cauſa eſt hominibus data, qui ea recte vtantur, iis magnam afferat vtilitatem, calamitatem iis, qui abutantur. etenim ſi via ac ratione ſuſcipitur, cotem

quam-

quamdam videmus eſſe fortitudinis: ſi præter modum atque ordinem, non multum differre ab inſania. ita inſtituet ſe, atque in animum inducet adoleſcens, ſi me audiet, aut ſi potius ſe videbit, vt quandoquidem in vtramq; partem vti poteſt iracundia, ea ſic vtatur, vt cum iraſcatur, quibus, & quando oportet, & ea ratione qua oportet, oſtendat ſe in ea, non deuium & præcipitem ferri, ſed nimirum parere ſapiētiæ: proponet ſibi exempla hominum adoleſcentium, quorum ſplendorem laudum, quæ lucem eripit rationi, obſcurauit ira: vt Achillis, vt Alexandri, vt aliorum, quos ita impotenti ſcimus fuiſſe animo, vt, cum fortes fuerint in vincendis hoſtibus, quoniam ſe ipſi vincere non potuerunt, non integram videantur adepti victoriam. Atq; hæc quidem breuiter de ira compeſcenda. Eſt alterum huic noſtro equiti, quaſi Bellerophonti, domandum monſtrum, nec fortaſſe minus importunum, cupiditas, qua interdum vſq; eo rapiuntur, vſq; eo feruntur & feruent adoleſcentes, vt eam non metus, non religio, non hominum exiſtimatio contineat. hæc vero ita moderanda eſt, vt ea tantum cogitet vnuſquiſq; veſtrum pulchrum eſſe concupiſcere, quæ ſit conſequi glorioſum: ſibique dictum exiſtimet, quod Sophocli dixiſſe olim Pericles perhibetur, virum bonum decere, non ſolum manus, ſed etiam oculos habere continentes. magnus videlicet moderator eſt cupiditatis pudor: is autem proprius eſt adoleſcentiæ. vtatur igitur hæc ætas ſuo bono, vt ab omni re fugiat, quæ abhorreat ab ipſa oculorum auriumque approbatione: meminerit oportet adoleſcens, vt a vere æſtas coniicitur, a veſtibulo atq; aditu domus & templa, ſic etiam ab adoleſcentia duci commen-

mendationem conſequentis ætatis. plerumque enim vſu venit, vt fundamentis faſtigia, & principiis exitus conſentiant. Magna fit interdum morum mutatio: non nego: in optimis tamen, ni fallor, deliberationibus, illud potius, quod euenit plurimum, quam quod per raro, conſtitui decet: neque permittendum, vt ad leuitatem adoleſcentiæ addatur leuitas fortunæ. Inconſtãs eſt enim iſta ætas, & improuida, adoleſcentes, quam aliorum ſæpe aſtutia ludificatur, aſſentatio infatuat, expectatio extollit, ſpes inflat, & vt repentinos habet primos impetus, parua nonnumquam commutat totam aura rumoris: quo magis adſciſcendum eſt externæ aliquid grauitatis, & conſilij, & ſequendum exemplum apum Cretenſium. quæ certos transmiſſuræ locos, qui incerta agitantur motione ventorum, exiguos quoſdam lapillos ore apprehendunt, quos mordicus tenent, ne diſiiciantur atque iactentur, ſed eorum quaſi pondere libratæ fulciantur. Ventoſus eſt locus iſte, quem traiicitis: videndum eſt, ne perleui momento, pluma leuiores aut folio, in hanc atque illam ſententiam quaſi regionem impellamini. ſuſcipite rectum aliquem curſum virtutis & gloriæ: a quo, etiam atque etiam videte, ne qua vos poſſit, aut difficultatis tempeſtas, aut voluptatis aura dimouere. omnino nulla eſt vobis inconſtantiæ fama ſubeunda: vt quod agitis, non vi, aut moderatorum metu, ſed veſtra ſponte & conſilio agere videamini. accedet quidem vobis cum annis grauitas, cum ætate ſeueritas: ſed meo iudicio, laudandum magis erit, ſi quod dies allatura eſt, ratio occupet: ac detur opera, vt ſi qua ſunt vitia naturæ, arte corrigantur: pulchrum ſane erit & iucundum, videre ſenilem prudentiam in iuueni-

uenili ætate, in qua nulla ſuſcipiatur iracundia ſine ratione, nulla cupiditas ſine delectu: vt & ſapienter excogitet adoleſcens quod faciat, & audacter perficiat, quod excogitarit: & conſequatur illam, quæ longe eſt difficillima, audaciæ cum prudentia ſocietatem. O felices reſpublicæ, ſi quidem his viris abundarent, in quibus nec robur requirerent Achillis, nec conſilium Neſtoris. verum non vni conceduntur omnia: ſed veſtrum tamen eſt, vt quæ concedi poſſunt, concedantur quamplurima, prouidere. plena eſt enim ſpei maxime adoleſcentia, nec quicquam eſt, quod conſequi alius poſſit, quod non quilibet adoleſcens magni animi, conſtantia & labore, ſe conſequi poſſe confidat. eſt enim hoc etiam bonum iſtius ætatis, vt quibus in rebus affulſerit ſplendor honoris, ſpe deducatur ad earum rerum adeptionem, quamuis difficilium. Vtinam hæc cogitarent adoleſcẽtes, & quos a natura habent igniculos honeſtatis, eos virtutibus excitarent, nõ voluptatibus extinguerent. eſt enim iſta ætas tam lubrica & prona ad voluptates, a libidinibus maxime arcenda, exercendaq; in laboribus, & patientia animi & corporis. Quod ſiqua turpis cupiditas ſeſe aut leniter inſinuarit, aut violenter intruſerit, primo quoq; tempore eiicienda atq; exterminanda eſt. vt enim telo ſi primam aciem perfregeris, reliquo ferro vim nocendi ſuſtuleris, ſic etiam ſi naſcentis cupiditatis primos retuderis impetus, facillime reliquos ſedaris. Nimirum, vt mare oleo, cupiditas ratione trãquillatur. Hæc ego vellem vos meditaremini, adoleſcentes, qui laudi ſeruitis & gloriæ, atq; vtiliſsimis hiſce vocibus veſtræ aures perſonarent. quid enim honeſtius, quam recte inſtitui eam ætatem, quæ eſt forma quæ

ma quædam ac deſignatio totius vitæ? quid porrò præclarius, quam annos anteire ſapientia, imbecillitatem conſilio, eaq; iacere fundamenta, vnde ſpes exiſtat celſiſſimæ dignitatis? quid deniq; laudatius aut pulchrius, quam in vultu ipſo eminere ſigna virtutum? ego vero veram hanc putem eſſe eloquentiam, quæ cum tacet clamat, cum ſilet monet, & tacitos quoſdam motus affert animis: talem vt cum hominem videas, cupias tibi aliquid ab eo perſuaderi: non inflatam illam & ineptam loquacitatem, in qua nihil ſit præter inanem quemdam ſonum ſtrepitumq; verborum. Hanc vos Chriſtiani adoleſcentes toto pectore complectimini, huius ſpeciem ſplendoremq; contuemini: nihil eſt, quod iſtam magis deceat ætatem. Mihi credite: ſi illud omnino conſtitueritis, nihil vt malitis aliud, quam vt ſitis optimi, illud etiam facile conſequemini, vt ſitis eloquentiſſimi. adiuuabit enim & ornabit probitas ingenium, mos linguam, & recta ipſa ratio, id eſt virtus, orationem. Nempe, quemadmodum ſi naturæ ordinem ſpectemus, facta fuerunt verbis priora: ante enim res ipſas, quæ dicerentur, fuiſſe oportet, quam voces, quibus eæ dicerentur: ſic etiam is qui cupit bene dicere, debet ſe prius ad recte faciendũ exercere. Quæ diſciplinæ ratio, ſi omnibus in gymnaſiis eſt opportuna, in hoc certe noſtro videtur eſſe neceſſaria. neq; enim docemus, quicquid docemus, vt in eo deſinat & conquieſcat iuuentus, ſed vt pietatem colat, & integra quadam vita, incorruptiſque moribus, ex iis quæ diſcit, quaſi per gradus, ad ſummũ rerum omnium parentem atq; effectorẽ euehatur Deũ. Quod etſi præſtatur a vobis, qui iã diu nobis operam datis, adoleſcẽtes optimi: erit tamen, vt opinor meum,

cum

cum res feret, in ſcholis quotidianis, quod etiam hodie facere inſtitui, iacere interdum nonnulla, vt magis in propoſito ſuſceptoq; conſilio confirmemini : vt videlicet vobis non otioſam & inanem compareris eloquentiam, ſed actuoſam, &, vt ita dicam, efficacem, quæ ſit quaſi prærogatiua illius, qua præditus animus, cum e corpore exceſſerit, in cæleſti domicilio, perpetua quadã & ornatiſsima oratione, in eius laude verſabitur, de quo non deeſt vnquam quod dicatur, cum ſatis eſſe non poſſit quod dicitur.

DIXI.

ORATIO VNDECIMA.

Cur adoleſcentes aliquot in dicendi ſtudio minus proficiant.

QVOD apud M. Ciceronem L. Craſſus, præſtãti vir ingenio, ſummaq; eloquentia, accidere ſibi teſtatus eſt, vt exalbeſceret in principiis dicendi, & tota mente atque omnibus artubus contremiſceret, idẽ mihi haud paulo minori oratori, ſingulis annis initio docendi, vſu venire haud paulo maiore de cauſa intelligo. neque vero tantum meus illinc exiſtit timor, quod qui has artes profitentur, in quibus vos me Patres religioſiſsimi iam dudum eſſe voluiſtis, fere omniũ maxime ſubeunt dimicationem doctrinæ atq; ingenij, niſi ſatisfaciant ſtatim animis audientium:

cum

cum ceteri paratam habeant & quaſi legitimam excuſationem: ſed multo magis, quod propter ſollemnes ferias, quibus intermiſſæ ſunt quotidianæ diſputationes, ſiqua in me fuit vmquam facultas orationis, quæ ſcio quam fuerit ſemper exigua, eam ita ſentio exaruiſſe, vt cum effluxiſſe verba, excidiſſe ſententias, memoriam defeciſſe animaduertam, vix breuem quemdam & ſimplicem a me pertexi poſſe ſermonem, & experiar, & ingemiſcam: ſic vt quemadmodum fiſtulæ, quæ diu interclusæ fuerunt aut interceptæ, cum primum liberum nactæ ſunt exitum, ac late patentem, turbidiores aquas emittunt, ſic etiam ex eo qui diu intermiſerit vſum dicendi, non ita pura & liquida, ſed inquinatior quodammodo ac corruptior fluere videatur oratio. Pericles quidem ille, præclaram cuius eloquentiam, eloquentium illa parens & nutrix vrbs Athenarum præ ceteris admirata eſſe dicitur, antequam quicquam ageret cum populo, comprecabatur deos, vt ne verbum vllum, quod ad rem accommodatum non videretur, ex ore excidere paterentur; vſque eo coronæ iudicium reformidabat. quo maior ac diligentior eſſe debet eorum cautio, qui docent artem dicendi, vt ne in eo ipſo peccent, cuius ſcientiam ſe tradituros aliis pollicentur. Sunt iſta, cum in me ipſe intueor, auditores: ſed tamen cum de vobis cogito, adoleſcentes optimi, quos arbitror ex ſuperiore ſcholarum vacatione, ad earum inſtaurationem exarſiſſe vehementius, facile mihi perſuadeo futurum, vt quemadmodum fames, vt eſt in veteri prouerbio, commendat opſonium, ita etiam veſtra audiendi auiditas, diuturna quaſi inedia collecta, meam qualemcumque abſorbeat ac deuoret orationem. Miſit ad

Ale-

Alexandrum Ada Cariæ regina varij generis epulas exquiſite conditas, vna cum coquis, taliumq́; condimentorum artificibus: cui tamen ipſe multo ſibi meliores coquos eſſe reſpondit: ad prandium quidem nocturnum iter, ad cœnam prandij tenuitatem. homini nempe eſurienti ac ſitienti, etiam quæ ſubamara ſunt & auſtera, grata eſſe & dulcia videntur. Audite vos igitur, qui huc auidi hodie veniſtis, audite inquam me, vtilia quædam potius ac ſalutaria, quam iucunda & ſuauia, fundentem: malo enim inhærere in animis veſtris res quæ dicuntur, cum honeſta recordatione, quam præterfluere aures, cum inani ſtrepitu ſonoq́; verborum. Reſpondebo videlicet, vt ne in vllum incidam ſuperiorum præfationum argumentum, veteri multorum expoſtulationi, quærentium, quid cauſa ſit, cur cum aliquot adoleſcentes, qui ingeniis pollent, &, vt ipſi dictitant, flagrant ſtudio dicendi, Rhetoricæ ſtudeant, pauci tamen ex iis exoriantur, qui orationem explicent paulo tolerabiliorem. nullam repetam ex iis cauſis, quæ ab aliis afferuntur: ne videar aut nihil habuiſſe quod dicerem, aut ſtatuiſſe, nihil excogitari poſſe quod præterea diceretur. duas ſolum proferam, eaſque non tam ex ingenio, aut ex coniectura, quam ex longo quodam vſu & quotidiana multorum annorum animaduerſione depromptas: quas ſi alicui commenticiæ fortaſſe aut leues videbuntur, nihil repugno, quo minus vanus ego ipſe & falſus appeller: ſin veræ eſſe & graues, vti ſunt, reperientur, veſtrum erit, quod reprehendetis in aliis, illud ipſum in vobis iure ne reprehendi poſſit, prouidere. Duas igitur, vt nunc eſt, reperiebam cauſas, cur cum aliquot præclari adoleſcentes ſequi ſe dicant laudem dicend

pauci

pauci tamen quod volunt aſſequantur: vnam quidem, quod non propoſitam in animo ſuo habent perfectam quandam ſpeciem formamq; oratoris, minime inuidenda, vt ipſi loquuntur, & ea quæ ſatis eſſe poſſit, mediocritate contenti: alteram vero, quod non totos ſe dedunt Rhetorices exercitationi, ſed eam quoq; exiſtimant facile cum alijs diſciplinis & artibus poſſe coniungi. ex quo fit, vt & illi excellentes eſſe nolint, & iſti non poſſint. Nolite quæſo auditores, cum hæc a me diſputabuntur, ſubijcere cogitationi veſtræ aliquem, cui vel ob hanc vel ob illam cauſam non contigerit eloquentia: ne quem videamur oratione noſtra perſtrinxiſſe. ego enim neminem notabo, afferam tantum rationes nonnullas, ex quibus vos pro veſtra ſapientia vtramq; rem exiſtimare, momentoq; ſuo ponderare poſſitis. Dicamus ſi placet, de iis primum, qui aut humilitate animi, aut, vt vobis videri poſſet, laboris fuga, nihil amplum in arte eloquendi propoſitum habent, nihil magnificum intuentur. Satis, inquiunt, nobis eſt leuis quædam exercitatio: ſplendidam iſtam ac ſpecioſam, & quæ vix paucis magno labore contingat, dicendi gloriam nihil moramur. Si indiſerti nos cum loquimur admirantur, ſapientes intelligunt, quid opus eſt iſta nimium exquiſita accuratio? Recte tu quidem amice, quiſquis es: recte inquam, ſi tantum vis eſſe vnus de populo, ſi nullum appetis ſplendorem vitæ, nullam famæ commendationem: recte inertiam tuam prætexis deſpicientia huiuſmodi gloriæ: ſin autem id ſapientius eſſe iudicas, magiſq; ad dignitatẽ tuam pertinere, vide ne tibi ipſe blandiaris, & in iudicando non ſequaris rationum pondera, ſed propenſionem mollis animi tui. Orationi

faci-

faciēda das operam? ita eſt. vis haberi diſertus? etiam. pulchrum eſſe ac præclarum putas, quicquid velis, perſuadere dicendo? maxime. at quæ iſta ſapientia eſt, velle aliquod maximum, & aliquem ſibi ſtatuere in eius magnitudine modum? vt non nolle quidem ex vna parte, ex altera autem nolle videaris, & res ipſa ab oratione diſcordet? Statuendum tibi eſt ſemel, ſi eloquentiam diligis, quæ eſt vnum quiddam optimum atque integrum, vt ne eam in partes ac fruſta diſcerpas: propone eius tibi laudem ante oculos, quo cogitationes omnes tuæ curæque conferantur. nulli me recte ſapere, nec ſapienter eloqui obtigit caſu. alacri quadam voluntate opus eſt, & quæ ſtatim ex ea ſequitur diligentia. Neque enim tantum vere ac ſapienter dictum eſt a Seneca, homine plane perfecto in Stoicis, ac litteris expolito, partem magnam eſſe bonitatis, velle fieri bonum: ſed etiam illud, magnam partem eſſe profectus, velle proficere. quod qui facit, expetit vltro laborem: tantum abeſt vt ſequatur inertiam: induſtria vtitur, non deſidia: non languoris iucunditate ducitur, ſed cupiditate diſcendi. cogitat enim cum animo ſuo, ſine acri ſtudio & ardore quodā amoris, nihil tentari egregium, quid enim dicam perfici, poſſe? Sed tamen ſunt lauti quidam iuuenes ac delicati, quos vt pueros πανικὰ quedā & vana perturbant: fingunt enim inanes ſibi nonnullos & terrificos metus. nam cum & delectentur otio, & abhorreant ab omni genere laborioſæ occupationis, præcipiunt animo durum quiddā & difficile, quod videlicet metuentes. negligi a ſe dicunt ſummam illam gloriam eloquendi, quā etiā, ſi ſuperis placet, videri volunt nō deſperatione formidaſſe, ſed iudicio refugiſſe. Sed apparet profe-

profectò, vidiſſe quidem illos, & comprehenſam habuiſſe mente excellentem eloquentiæ venuſtatem, atque elegantiam, ſed quoniam intellexerunt eſſe in ea conandum, vigilandum, ſudandum, laborandum, & inerti capiuntur otio atque ceſſatione, ceſsiſſe retardatos metu. leues ne dicam homines, an ignauos, an miſeros, quos quædam magis terrent, quam debeant, quædam ante terrent, quam debeant, quædam deniq; terrent, cum omnino non debeant? ita aut augent timorem ſibi ipſi, aut præcipiunt, aut fingunt: & ſciunt tamen ab immortalibus labore vendi omnia mortalibus: eundemque fieri aſſuetudine leuiorem, nec compenſari tantum boni adeptione, ſed etiam ſpe adipiſcendi: vt qui eum recuſat, ſe ipſum ſtultitiæ nequitiæque condemnet: tamquam ſit bonis omnibus indignus: cum quicquid eſt vbiq; boni, non niſi hac mercede comparetur. Quid vtilius Sole, aut etiam quid eius aſpectu iucundius? quis non mirifice ipſius recreetur luce, eamque ob cauſam ingentes ei, licet non ſentienti, gratias agat? & tamen eſſe legimus populos in Libya, nomine Atlantes, qui vt ille exortus eſt, exſecrantur, precantur male, nouiſsimam ei illam eſſe cœli peragrationem, eamdemque breuiſsimam volunt. æque peruerſum ac præpoſterum horum hominum genus, qui Solem illum diſciplinarum atque artium: cum & lumen præferat mentibus, auferatque tenebras, omnemq; rerum ignorationem quaſi noctem pellat e pectoribus, omnia denique clariſsima luce colluſtret: laborem inquam, ſine quo magnus nemo vmquam fuit, propterea conuicio vrgent, & maledictis inſectantur, quod eum veluti aduerſum ferre non poſsint: quem haud ſcio, vt etiam Solem, an orientem vm-

vmquam viderint, & occidentem: hoc magis reprehendendi, digniq́; magis quam Atlantes, quibus ſingulis nullum ſit nomen proprium, quo vocentur, niſi forte communi deſidioſorum : quod Atlantes Solem oderunt, cuius nimium videlicet propinqui ardore torrentur, iſti autem non amant laborem, qui eos illuſtres in clariſsima luce poneret honorum. Mihi credite adoleſcentes: nullus eſſe locus inertiæ debet, aut ſocordiæ, apud eos, qui res magnas & magnopere expetendas concupiuere. quid enim pulchrum vmquam fuit, quod idem eſſet facile? quis dormiens ſibi trophæa conſtituit, quorum cogitatio faciebat, vt ne noctu quidem & in cubili Themiſtocles ſomnum capere poſſet? quis mollis & voluptarius coronam meruit in theatro? Non currenti præmium non datur. labores honorem pariunt : curriculum porro contentionem curſus deſiderat, curſus ſudorem excitat, ſudore peruenitur ad palmam. proinde deſinant iſti, aut eloquentiæ ſe amatores eſſe profiteri, aut labori maledicere: niſi vobis iudicibus, Patres religioſiſsimi, condemnari volunt, aut ſtultitiæ, aut vanitatis, aut impudentiæ. Vos autem contendite adoleſcentes, qui eſtis in curſu, ad ſummum eloquentiæ faſtigium: intendite huc neruos omnes, vires, induſtriam : erit vobis vel fortunatus euentus, vel conatus ipſe glorioſus : quin potius fortunatus euentus. cum labori nihil ſit arduum aut difficile. Sed aduerſus hos nimium multa, qui cum licere ſibi dicunt, quod ne licet quidem poëtis, mediocribus eſſe oratoribus, illud aſſequuntur, vt neque in vllum poſsint oratorum numerum peruenire. haud paulo difficilior pugna cum iis eſt, quibus inſidet quidem in mente ſpecies quædam ſingularis eloquen-

eloquentiæ, quam perpetuo admirantes intuentur, eam tamen ita comem eſſe ac benignam putant, vt non ægre ferat ſi quis eam eximiam non habeat, ſed vna etiam plurium diſciplinarum amore capiatur. qua ipſi in re magnopere falluntur. deſiderat ſane illa, vt ſit vel locupletior, vel firmior, aliarum & inſtrumentum, & adminiculum: ſed tamen ſiue eam inſpicias, ſiue animum noſtrum, illud eſſe vtriuſque ingenium intelliges, vt & illa totum requirat hominem, & hic plura in ſtudia diſtrahi vtiliter non poſſit: illa quidem vt ſit omni ex parte perfecta, omnibuſq; abſoluta numeris, tam aſsiduum vſum ſibiq; deditum poſtulat, vt quantum imminuatur ex illo, tantum ex ipſius eloquentiæ laude & perfectione detrahatur. quære qui ipſius ſtudio fuerunt, & cum laude, nec ſine induſtria delectati: quære qui ita in ea excelluerunt, vt ſummam eorum ac prope diuinam orationis copiam admirere, Demoſthenem, Iſocratem, Ciceronem, Hortenſium, alios: hos vero, relictis omnibus, ita ſeſe abdidiſſe inuenies in ſtudium eloquendi, itaque in eo deſudaſſe atq; elaboraſſe, vt vehementiſſima contentione animi, ingenij, virium, in omni vita nihil aliud egiſſe videantur. quod ſi interdum migrabant in caſtra, nauigabant in oras philoſophorum: exploratores erant, non transfugæ: aut mercatores potius, vt ornatum pararent & ſupellectilem, quo ſuam pulcherrimam illam ſponſam ac reginam, quam vnam in omnibus expetierunt, donarent eloquentiam. animus deinde noſter vnus cum ſit, duarum rerum, ſi ſint paulo grauiores, vno tempore, non dico actionem, ſed ne ſuſcipere quidem cogitationem poteſt. addam vnum, quod etſi primo aſpectu e nimio quodam

amo-

amore profectum videbitur, apparebit tamen attentius conſideranti veriſsimum: etiam ſi plures animos haberet vnuſquiſque, iij eſſent omnes ad Rhetoricam intendendi: quod quoniam non accidit, cum vnum quem habemus, quamuis haberemus acerrimum, non ad aliam vlla ex parte curam transferre debemus. Neq; vero ita ſum durus aut pertinax, vt oratorem noſtrum prohibeam ceterarum cognitione litterarum: ſed eas omnes ad rhetoricarum ornamentum ac præſidium referri volo: vt in illis ſibi putet eſſe diuerſorium, in his ſtatuat vitæ ſuæ quaſi tabernaculum. quod niſi faciat, erit is fortaſſe πολυλόγος: φιλολέγος *certe, mea quidem ſententia, non habebitur. Non qui multis dapibus veſcitur, cum ſuæ valetudini conſulere medici arbitrantur: ſed qui ſimplici tantum cibo ſalubriq; contentus, eum ſtomachi calore concoquit, & in ſuccum ſanguinemq; cõuertit.* πολυφαγία *nonnullis opinor ganeonibus & gurgitibus dulcis & ſuauis eſſe videatur: ſed niſi ſit Milo aliquis, aut P. Gallonius, cruditatem parit, &, vt affirmabat Antiphanes Delius medicus non ignobilis, morbum, aut interitum potius, Socratis, eius ſcilicet qui habitus eſt ſapientiſsimus mortalium, teſtimonio, qui plures cruditate interfici dicebat, quam aut gladio, aut fame. idem de iſtis, qui ſe Catones eſſe iactant & Varrones, helluones nempe librorum, iudicium eſſe debet. multa quidem legunt in multiplici genere artium, ſed nihil fere addiſcunt: multa percurrunt, ſed pauca firmiter apprehendunt, cum enim maiorem habeant famem, quam ventrem: nullaque certa in re, quam vnam eſſe oportebat, diutius inſiſtant: nihil recipiunt aut trahunt, quod inſideat fideliter in animo: non acuunt in-*

genium, ſed hebetant: non implent pectus, ſed obruunt: inquinant mentem, non alunt: faſtidioſo homines ſtomacho & ægro, cùm incondita varietate delectentur: quem tamen cum inferciunt, nec lenire poſſunt latrãtem, tam multa ingeſta, nec ſanare languentem: cum & ipſa remedia non proſint, niſi immorentur, nec medicus ægrotos in tranſitu curet. At dicet aliquis: ſicut enim ſunt quædam animalia, quæ, ne inueniri poſſint, veſtigia ſua circum ipſum cubile confundunt, id quod de latronum nobiliſsimo nobiliſsimus ſcripſit poëtarum: ſic etiam ſunt nonnulli, qui omni ratione occultant, nec agnoſci volunt errorem ſuum. Dicet igitur aliquis, qua in re vos quoque veſtram ad illius adſcribetis ſententiam: dicendi artem, non nudam aut ſolam, ſed aliarum ſimiliter doctrinarum cœtu, &, vt ita dicam, mundo muliebri ſeptam & ornatam eſſe debere. certe, ſi veſtitus ille, ornet, non oneret, niſi comitatus ſolitudo quædam videatur magis, aut cuſtodiæ. poteſt enim & veſtis quædam eſſe dedecori, & comitum multitudo carceris loco. Quod ſi diſciplinas etiam alias adiunxeris, hoc vero me libente atque adeo hortante feceris: dummodo emineat illa, & dux ſit ceterarum, ad eamque excolendam vnam, ac deducendam, conuocatæ reliquæ & excultæ eſſe videantur. Neque vero exiſtimandum eſt imminutum iri aliquid de exiſtimatione ſociarum, cum ad illam ſeſe applicuerint, vt videatur eſſe opulentior atque illuſtrior. neque enim eſt aut comes maleuola, vt aliarum opprimat ſplendorem: aut ſuperba, vt videri cupiat ſingularis. Quippe nullam ex humanarum artium diſciplinis veretur æmulam, quarum ſua ipſa vi & progreſsione non facultatem modo & ſtudia, ſed inuidiam

uidiam etiam ac vota ſuperauit. cuius rei, tum alia multa, tum illud maxime poteſt eſſe argumento, quod ille vnus, qui humana prope omnia non modo videtur ſciſſe & indagaſſe, ſed via etiam & ratione docuiſſe Ariſtoteles, extrema pene ætate ita diligenter & abſolute ſcripſit de arte Rhetorica, vt ceteris in libris alios qui ſcripſere omnes, in his vero ipſe ſe propemodum viciſſe dicatur. quod cum dicitur, cauete adoleſcentes, ne ſole mniquadam formula potius, ac loquendi conſuetudine, quam quod res ipſa veritaſq; patiatur, dictum exiſtimetis. aio enim vobis, atq; omni aſſeueratione confirmo, nihil potuiſſe fieri hoc quidem in genere perfectius. certe omnes, qui poſtea ſcripſerunt, & commentati ſunt de arte dicendi, ad huius vnius normam formamque direxere ſcriptionem: nec quiſquam eſt, qui excelluerit in eloquentia, qui non hunc ipſum librum magiſtrum ſibi in ea re fuiſſe ducemq; fateatur. quem cum ſuperioribus annis ſemel atq; iterum, vt potui, explicauerim, ita auditores meos eius lectione excitari, ita frequentes conuenire, ita ſtudioſe ac diligenter excipere ea quæ dicerentur animaduerti, vt quæ illis iucunda fuerunt & vtilia, eadem quoque vobis adoleſcentes, qui non minori mentis impetu ferimini ad dicendi gloriam, & voluptati ſperem & vtilitati futura. habetis ducem, vt ne quid dicam inſolentius, ſcientem viæ, ac peritum itineris, qui vos, quantum in ipſo erit, errare non ſinet. Quod ſi poſteriores cogitationes, vt eſt apud Euripidem, ſolent eſſe ſapientiores: quid ſentiendum eſt de tertia eorum librorum, qui ſemper accurate expoſiti videntur, interpretatione? mihi quidem de hoc quaſi lumine aut Sole potius rhetorici, vt ita dicam, cœli, meæque mentis qua

tis quaſi oculorum infirmitate multum ac ſæpe cogitanti, hæc ferme veniebant in mentem. quemadmodum qui ex clauſo obſcuroq; loco, in quo delituit diu, tandem aliquando progreditur, non poteſt continuo imbecillam aciem inſolenti lumini committere, ſed a tenebris primo ad opaca procedit deinde plus audet, & paulatim claram lucem pati conſueſcit: ſic etiam magna me ſpes tenet, fore, vt qui principio egreſſus veluti e tenebris imaginem quamdam videram horum librorum. ſed quaſi per vmbram & caliginem, deinde audacior factus, admiratus ſum clariſsimum illum Solem, ſed præſtinctos luce oculos non potui longius intendere, nunc tandem defigere poſsim obtutum incolumi acie: ex quo ita admirabiles amores excitabuntur eloquentiæ, vt meo vt opinor præconio effecturus ſim, eam vt cupiant omnes, ament adoleſcentes magna indole virtutis ingeniiq; præſtantes. quales quoniam vos eſſe, ſi quam coniecturam affert hominibus vultus & coniectus oculorum, omnes intelligo: & mihi ipſi, & vobis & hiſce clariſſimis viris, qui initium noſtrarum ſcholarum honeſtare voluerunt, quam maxime gratulor: mihi quidem, quod ea inſtituenda, atque ad eloquentiam informanda obtigerit adoleſcentia, ea nobilitate, atq; ingenii felicitate, & quæ pluris facienda eſt, diſcendi cupiditate, ac diligentia, vt haud ſciam an meliores auditores fingere quiſquam animo & cogitatione potuiſſet. vobis enim, adoleſcentes, quidni gratuler plurimum, quibus bonorum auctor Deus eam iniecit mentem. eam inſeruit in ingenio ſollertiam, vt cum eſſe nihil dulcius putetis, tum nihil etiam facilius faciatis, quam diſcere? fruimini vos iſto mentis atque ingenii bono: & quoniam

niam copioſe loquendi ſapientiam, præclara eius inflammati ſpecie ac pulcritudine, adamare cœpiſtis, non niſi re perfecta conquieſcite. hoc agite vnum, vt nec paruis quibuſdam pectoris anguſtiis mediocre quiddam atq; humile conſectati, nec leuitate ingenij, nunc in hanc nunc in illam ſcientiam delati eſſe videamini. ſed nolo in hanc ſententiam plura dicere, ne illos excitare videar cohortatione mea, ad quos paulo ante affirmabam gratulationem magis eſſe neceſſariam. Vobis deniq; viri ampliſsimi & ſapientiſſimi, qui veſtro huc aduentu, & maius noſtrum hoc gymnaſium, & veſtram humanitatem illuſtriorem feciſtis; non gratulor ſolum, vti dicebam, quibus & in hac vrbe, & hoc ipſo in loco, videre contigit adoleſcentes ea ingenij abundantia ac mentis bonitate præditos, vt & maioribus eſſe poſsint ornamento, & poſteris exemplo. ſed tum meo, tum ipſorum etiam nomine, quas poſſum maximas & plurimas gratias ago. magnum eſt quidem quod vobis debemus: magnum: ſed perſoluere conari, tum ſuperbum eſt, tum etiam difficile. faciamus igitur, quod eiuſmodi in rebus, diſſoluendi facultate ſublata, tum modeſtius videtur, tum etiam facilius: in omni noſtra vita pro hodierno iſto beneficio nos plurimum debere vobis confitebimur. interdum enim, cum res eſt cum viris & opum magnitudine & animi præcellentibus, ſolutionis loco eſt ipſa debiti confeſsio.

DIXI.

ORATIO XII.

Cum orationem M. Tullij pro P. Sextio eſſet explicaturus.

EXISTIMARAM, Auditores, me, hoc quidem tempore, ſi ſolemne iam & tritum prætermitterem præfationis officium, apud vos, pro veſtra prudentia, addo etiam, erga me beneuolentia, non probabilem modo excuſationem, ſed iuſtam etiam habiturū: propterea quod ab homine, qui tot iam annos eadem in palæſtra ſpectatus eſſet, nitorem factæ cuiuſdam concinnæque orationis, & ſpeciem ſimillimam pompæ. ſi quidem afferat, non aſperneris: ſi negligat, non magnopere requiras. Nam aut ea, quæ ante hac, cum vigebat ætas, & nonnulla fortaſſe pingendæ & calamiſtris inurēdæ orationis cura, expoſita a me vobis ſunt, vt indicium quoddam eſſent & quaſi ſpecimen ingenij, me vobis quoquo modo probarūt: & hoc ſatis eſt: aut non probarunt: & in hoc quidem ætatis flexu, quo omnem repudiare iuuenilem ornatum, & caneſcere nobiſcū noſtra incepit oratio, ſi quis præterea hanc ad rem ſumeretur, ille tum vobis iniucundus, tum inutilis etiam mihi futurus omnis eſſet labor. At alij faciunt fere omnes: & recte, mea ſententia. Nempe, quam nunc primum, vel de integro ingrediuntur ad tradendum adoleſcentibus ſcientiam, laudant. Natura autem ipſa comparatum eſt, vt vnuſquiſq; ſtudio

ſtudio ducatur ſuo, ſibiq; in eo mirifice blandiatur & plaudat, ipſumq; aliis ut venditet, ſuo quodammodo producere praeconio, & commendare conetur: id quod etiam in rebus leuioribus quotidie intueri licet. Etenim & libarij audimus, ut Seneca verbis utar, varias exclamationes, & botularium, & cruſtularium, & omnes popinarum inſtitores merces ſua quadam & inſignita modulatione vendentes. Quid ni? Et ſcruta quidem ut vendat ſcrutariu' laudat Praefractam ſtrigilem, ſoleam improbu' dimidiatam, (ſapienter dixit Lucilius. Nunc mihi non eadem eſt aetas, non mens. Neque vero turpiculam aut illiberalem venditamus artem, ut artificio quodam impingenda & obtrudenda ſit emptoribus, nec ſine fuco & fallaciis diuendi ac diſtrahi poſſit. Laudat venales qui vult extrudere merces, Horatius ait. Facultas autem oratoria, eruditaq; & ornata ac perpolita ſapientibus ſententiis grauibuſq; verbis, &, quod caput eſt, ad rem accommodata orationis dignitas, quam ars ipſa Rhetorica docet conficere, ea eſt, ut neq; cuiuſquam praeconio indigeat, cũ diuitias ſecum ipſa efferat ſuas, & ſi quis eam ſtatim aſpectam non concupiſcat, non expetat, non omni contentione & labore, illo ſcilicet pretio rerum honeſtiſsimarum, mercandam putet, quid ei cum ratione, quae orationi eſt plane germana ac gemina, eſſe poſſit commercij, non facillime diſpiciam. Ergo ut praefatione uterentur alij, mihi quidem certe non videbam cur eſſet utendum. Quid enim explicem & proferam ſpecioſam illam & ſplendidã, ut ita dicam, pompam, non profuturam forte niſi dum videtur, non placituram niſi dum tranſit? Quid praeſtinguam obtundamq; auditores meos ina-

ni illo fulgore ſententiarum, tonitruque verborum, quæ inter plauſores etiam ſuos, quemadmodum bruta, vt aiunt, fulmina vbi fulgere & tonare deſierint, prætervolant tantum aures admiratione obſtupefactas, & nullum relinquunt ardorē in animis, telumue ſalubrium cogitationum? Et nimirum a nobis, quibus iamdiu & inductione quadam animi, & veſtra Patres religioſiſsimi auctoritate perſuaſum illud eſt, vt pro virili parte prodeſſe iis debeamus qui ad nos ventitant, non ſolum placere, abeſſe omnis debet ſuſpicio fucatæ orationis, & nimium comptæ, in qua nihil pene ſit aliud, niſi vana quædam oſtentatio artis, magnificentiaque verborum. niſi forte tale quippiam ſubiicitur præfationi argumentum, vt quemadmodum gladiatorum olim proluſio, etſi referebatur omnis ad venuſtatem, habebat etiam nonnihil vtile ad pugnam: ſic etiam ipſa in præfatione per ſe compoſita ad delectandum, appareat ſaltem aliquid, quod aliquam vtilitatis ſpeciem habere videatur. Et ſane ita mihi, niſi me valde fallit opinio, faciendum videtur. Etenim ſi celebrata illa ſemper fuit, ſummiſque in cælum elata laudibus, egregia Perſarum regum cōſuetudo, qui ante ſacrificium de pietate, ante conuiuium de temperantia, ante prælium de fortitudine verba faciebant, omnis vt eſſet oratio rei quæ agebatur opportuna: laudandum ſimiliter eſt inſtitutum virorum ſapientium, qui initium docendi capiunt ab ea diſputatione, quæ non iucunda ſolum auditoribus, ſed etiam vtilis ſit futura. Hos igitur hodie imitabimur, auditores, & vobis, opinor, libentibus. Quando enim copioſiſsimam & ornatiſsimam M. Tullij pro P. Sextio orationem ſuſcepimus explicandam, non eius

ius quidem perſtringemus argumentum : hoc enim faciendum videtur ſecundum hunc diem : ſed quas res hoc anno, adoleſcentes, ſi veſtra diſcendi cupiditas cum mea congruet ſententia rationeq; docendi, a me eſtis, vt res feret, ipſaq; opportunitas orationis, audituri, breuiter exponam : vt meam vobis quaſi obligem fidem his præſentibus, ſimulq; vos exacuam, & exuſcitem ad eos ſcrutandos & effodiendos ingentis pretij veluti theſauros, quos hac in oratione abditos penitus & abſtruſos eſſe intelligetis. Neque enim, quod vos non fugit, eadem eſt ratio leuium metallorum viliumque, & eorum, quæ qui habent homines, opulenti ac diuites vocantur. Illa ſcilicet iacent in ſummo, nec peruestiganda curioſius, aut inquirenda ſunt : veniunt prope ſua ſponte in manus quærentium, nec ſe ſolicitari diutius pellicique patiuntur. hæc vero, ſi indaganda atque eruenda ſemel duxeris, vt regias illuſtrent domos, oſtendantque magnificos apparatus cum elegantia & copia, vi manuq; perrumpenda, & penetranda ſunt ipſius terræ, vt ita dicam, viſcera, eiuſq; venæ omnes & fibræ quodammodo perſequendæ. Hoc ergo agamus in præſentia, adoleſcentes. faciamus in hoc aditu ſcholarum, quod in amicitiis ineundis iubebat Theophraſtus, vt ante iudicemus, ſit ne digna res, in qua noſtra collocetur opera, deinde vbi hoc iudicauerimus, toto in illam pectore incumbamus. Quamquam non ignarus ſum, non poſſe a me exprimi atque exprimi hoc tam breui tempore omnia : neque ita facile ſecerni ac ſeligi nonnulla, quæ magis emineant aut extent : nihil cum ſit, quod non excellens atq; eximiũ appelles. Sic enim profecto ſe habet.

Nihil eſt in hac oratione inæquabile, nihil redundans, nihil ab aliis differens, nihil claudicans, nihil eiuſmodi, in quo aliquid non immerito deſideres. Tota ipſa ſolida eſt, ac ſucci plena: tota eloquentiam ſpirat & ſapientiam: tota vno, vt aiunt, tenore fertur, reconditiſque rebus & ingentibus diuitiis abundat: ſic vt quemadmodum in Platonico illo Gnoſiorum cupreſſeto non admirationi erat vna aliqua arbor, aut altera, quod in eamdem proceritatem tota ſilua ſurrexerat, ſic neque ſit hoc aut illud, quod te magis capiat, eo in opere, in quo totius corporis apta quædam & cohærens forma & compoſitio abſtuliſſe videtur ſingularum partium admirationem. Sed quoniam tamen huc ductus eſt ſermo, & pertexendum eſt munus, quod videmur exorſi, ne ſoli hodierna die ſolemnem & quaſi legitimam videamur defugiſſe prouinciam, dicam aperte & ſimpliciter quod ſentio. Cum in ea, Auditores, quæ ornate ac ſapienter a M. Tullio dicuntur hoc libro, oculos animumq; conuerto, ſiue dictionem ipſam conſidero, ſiue res quæ dictione explicantur, ſic ſtatuo, nihil reperiri omnino, quod homini Rhetoricæ antiquitatis, humanitatis ſtudioſo, venire poſsit in mentem, cuius hic non & plurima & præclara maxime veſtigia cernantur. In eodem prato (vt vetus ſententia eſt) bos herbam quærit, canis leporem, ciconia lacertum: in hoc vno eodemque volumine, inueniet, ſumma ſua cum voluptate pari cum vtilitate coniuncta, & orationis illuſtrandæ cupidus lumina, & indagator veteris hiſtoriæ, reique publicæ Romanæ præcipua capita, quæ ad eam pertinent: & earum amator literarum, quæ dicuntur ab homine, politiſſimam quamq; liberalemque doctrinam. Nam ſi

quem recte dicendi laus gloriaque delectat, in quam multa, Deus immortalis, incurret atque incidet paſſim, in quibus agnoſcet artem admirabiliter expreſſam? quam porro magnam & ſinceram voluptatem capiet ex collatione præceptorum cum exemplis? quam vere & ſolide gaudebit, cum ſe breui quodam compendio perueniſſe viderit ad ea cognoſcenda, ad quæ longo illo anfractu, & circuitione, ars ipſa, quæ tanto incedit apparatu, viam muniebat? Recte hoc quoque Seneca, vt alia omnia: Longum iter per præcepta, breue & efficax per exempla. Et Fabius: In omnibus fere minus valent præcepta, quam experimenta. Non dicam hoc loco, auditores, de forma ipſa habituq; orationis, deque eius partium deſcriptione, de ſplendore verborum, pondere ſententiarum, vtrorumque conformationibus & ornamentis, de auctoritate exemplorum, enthymematum efficacitate, de argumentis, ſiue inſita ſint, in eoque ipſo inhæreant, quo de agitur, ſiue diſiuncta & remota, eo quod extrinſecus afferantur. Ea quæ ad mores pertinent commendationemq; dicentis, quibus maxime conciliantur animi, ita elucent, vt non amici cauſam agere M. Tullius, ſed ſuã, non pro alio ſed pro ſe, quamobrem etiam tam multa de ſe, dicere videatur. Quam enim pedetentim & callide inſinuat ſe in iudicum beneuolentiam: quam occultis cuniculis furtim & clanculũ irrepit in præſidia aduerſariorum, inuadit in arcem cauſæ: quas pugnas deinde ſimul conſtitiſſe videtur in ſuo, & quantas ſtrages edit? quos impetus facit? quam violentus irrumpit? quibus denique machinis & tormentis labefactat audacius & euertit propugnaculum accuſationis, quod tam altis defixum radicibus videbatur,

nulla

genium, ſed hebetant: non implent pectus, ſed obruunt: inquinant mentem, non alunt: faſtidioſo homines ſtomacho & ægro, cùm incondita varietate delectentur: quem tamen cum inferciunt, nec lenire poſſunt latrãtem, tam multa ingeſta, nec ſanare languentem: cum & ipſa remedia non proſint, niſi immorentur, nec medicus ægrotos in tranſitu curet. At dicet aliquis: ſicut enim ſunt quædam animalia, quæ, ne inueniri poſſint, veſtigia ſua circum ipſum cubile confundunt, id quod de latronum nobiliſſimo nobiliſſimus ſcripſit poëtarum: ſic etiam ſunt nonnulli, qui omni ratione occultant, nec agnoſci volunt errorem ſuum. Dicet igitur aliquis, qua in re vos quoque veſtram ad illius adſcribetis ſententiam: dicendi artem, non nudam aut ſolam, ſed aliarum ſimiliter doctrinarum cœtu, &, vt ita dicam, mundo muliebri ſeptam & ornatam eſſe debere. certe, ſi veſtitus ille, ornet, non oneret, niſi comitatus ſolitudo quædam videatur magis, aut cuſtodia. poteſt enim & veſtis quædam eſſe dedecori, & comitum multitudo carceris loco. Quod ſi diſciplinas etiam alias adiunxeris, hoc vero me libente atque adeo hortante feceris: dummodo emineat illa, & dux ſit ceterarum, ad eamque excolendam vnam, ac deducendam, conuocatæ reliquæ & excultæ eſſe videantur. Neque vero exiſtimandum eſt imminutum iri aliquid de exiſtimatione ſociarum, cum ad illam ſeſe applicuerint, vt videatur eſſe opulentior atque illuſtrior. neq; enim eſt aut comes maleuola, vt aliarum opprimat ſplendorem: aut ſuperba, vt videri cupiat ſingularis. Quippe nullam ex humanarum artium diſciplinis veretur æmulam, quarum ſua ipſa vi & progreſſione non facultatem modo & ſtudia, ſed inuidiam

uidiam etiam ac vota ſuperauit. cuius rei, tum alia multa, tum illud maxime poteſt eſſe argumento, quod ille vnus, qui humana prope omnia non modo videtur ſciſſe & indagaſſe, ſed via etiam & ratione docuiſſe Ariſtoteles, extrema pæne ætate ita diligenter & abſolute ſcripſit de arte Rhetorica, vt ceteris in libris alios qui ſcripſere omnes, in his vero ipſe ſe propemodum viciſſe dicatur. quod cum dicitur, cauete adoleſcentes, ne ſole mniquadam formula potius, ac loquendi conſuetudine, quam quod res ipſa veritaſq; patiatur, dictum exiſtimetis. aio enim vobis, atq; omni aſſeueratione confirmo, nihil potuiſſe fieri hoc quidem in genere perfectius. certe omnes, qui poſtea ſcripſerunt, & commentati ſunt de arte dicendi, ad huius vnius normam formamque direxere ſcriptionem: nec quiſquam eſt, qui excelluerit in eloquentia, qui non hunc ipſum librum magiſtrum ſibi in ea re fuiſſe ducemq; fateatur. quem cum ſuperioribus annis ſemel atq; iterum, vt potui, explicauerim, ita auditores meos eius lectione excitari, ita frequentes conuenire, ita ſtudioſe ac diligenter excipere ea quæ dicerentur animaduerti, vt quæ illis iucunda fuerunt & vtilia, eadem quoque vobis adoleſcentes, qui non minori mentis impetu ferimini ad dicendi gloriam, & voluptati ſperem & vtilitati futura. habetis ducem, vt ne quid dicam inſolentius, ſcientem viæ, ac peritum itineris. qui vos, quantum in ipſo erit, errare non ſinet. Quod ſi poſteriores cogitationes, vt eſt apud Euripidem, ſolent eſſe ſapientiores: quid ſentiendum eſt de tertia eorum librorum, qui ſemper accurate expoſiti videntur, interpretatione? mihi quidem de hoc quaſi lumine aut Sole potius rhetorici, vt ita dicam, cœli, meæque mentis qua

niam copioſe loquendi ſapientiam, præclara eius inflammati ſpecie ac pulcritudine, adamare cœpiſtis, non niſi re perfecta conquieſcite. hoc agite vnum, vt nec paruis quibuſdam pectoris anguſtiis mediocre quiddam atq; humile conſectati, nec leuitate ingenij, nunc in hanc nunc in illam ſcientiam delati eſſe videamini. ſed nolo in hanc ſententiam plura dicere, ne illos excitare videar cohortatione mea, ad quos paulo ante affirmabam gratulationem magis eſſe neceſſariam. Vobis deniq; viri ampliſsimi & ſapientiſſimi, qui veſtro huc aduentu, & maius noſtrum hoc gymnaſium, & veſtram humanitatem illuſtriorem feciſtis; non gratulor ſolum, vti dicebam, quibus & in hac vrbe, & hoc ipſo in loco, videre contigit adoleſcentes ea ingenij abundantia ac mentis bonitate præditos, vt & maioribus eſſe poſsint ornamento, & poſteris exemplo. ſed tum meo, tum ipſorum etiam nomine, quas poſſum maximas & plurimas gratias ago. magnum eſt quidem quod vobis debemus: magnum: ſed perſoluere conari, tum ſuperbum eſt, tum etiam difficile. faciamus igitur, quod eiuſmodi in rebus, diſſoluendi facultate ſublata, tum modeſtius videtur, tum etiam facilius: in omni noſtra vita pro hodierno iſto beneficio nos plurimum debere vobis confitebimur. interdum enim, cum res eſt cum viris & opum magnitudine & animi præcellentibus, ſolutionis loco eſt ipſa debiti confeſsio.

DIXI.

ORATIO XII.

Cum orationem M. Tullij pro P. Sextio eſſet explicaturus.

EXISTIMARAM, Auditores, me, hoc quidem tempore, ſi ſolemne iam & tritum prætermitterem præfationis officium, apud vos, pro veſtra prudentia, addo etiam, erga me beneuolentia, non probabilem modo excuſationem, ſed iuſtam etiam habiturũ: propterea quod ab homine, qui tot iam annos eadem in paleſtra ſpectatus eſſet, nitorem factæ cuiuſdam concinnæque orationis, & ſpeciem ſimillimam pompæ, ſi quidem afferat, non aſperneris: ſi negligat, non magnopere requiras. Nam aut ea, quæ ante hac, cum vigebat ætas, & nonnulla fortaſſe pingendæ & calamiſtris inurẽdæ orationis cura, expoſita a me vobis ſunt, vt indicium quoddam eſſent & quaſi ſpecimen ingenij, me vobis quoquo modo probarũt: & hoc ſatis eſt: aut non probarunt: & in hoc quidem ætatis flexu, quo omnem repudiare iuuenilem ornatum, & caneſcere nobiſcũ noſtra incepit oratio, ſi quis præterea hanc ad rem ſumeretur, ille tum vobis iniucundus, tum inutilis etiam mihi futurus omnis eſſet labor. At alij faciunt fere omnes: & recte, mea ſententia. Nempe, quam nunc primum, vel de integro ingrediuntur ad tradendum adoleſcentibus ſcientiam, laudant. Natura autem ipſa comparatum eſt, vt vnuſquiſque ſtudio

ſtudio ducatur ſuo, ſibiq; in eo mirifice blandiatur & plaudat, ipſumq; aliis vt venditet, ſuo quodammodo producere præconio, & commendare conetur: id quod etiam in rebus leuioribus quotidie intueri licet. Etenim & libarij audimus, vt Seneca verbis vtar, varias exclamationes, & botularium, & cruſtularium, & omnes popinarum inſtitores merces ſua quadam & inſignita modulatione vendentes. Quid ni? Et ſcruta quidem vt vendat ſcrutariu' laudat Præfractam ſtrigilem, ſoleam improbu' dimidiatam, ſapienter dixit Lucilius. Nunc mihi non eadem eſt ætas, non mens. Neque vero turpiculam aut illiberalem venditamus artem, vt artificio quodam impingenda & obtrudenda ſit emptoribus, nec ſine fuco & fallaciis diuendi ac diſtrahi poſſit. Laudat venales qui vult extrudere merces, Horatius ait. Facultas autem oratoria, eruditaq;, & ornata ac perpolita ſapientibus ſententiis grauibuſq; verbis, &, quod caput eſt, ad rem accommodata orationis dignitas, quam ars ipſa Rhetorica docet conficere, ea eſt, vt neq; cuiuſquam præconio indigeat, cũ diuitias ſecum ipſa efferat ſuas, & ſi quis eam ſtatim aſpectam non concupiſcat, non expetat, non omni contentione & labore, illo ſcilicet pretio rerum honeſtiſsimarum, mercandam putet, quid ei cum ratione, quæ orationi eſt plane germana ac gemina, eſſe poſsit commercij, non facillime diſpiciam. Ergo vt præfatione vterentur alij, mihi quidem certe non videbam cur eſſet vtendum. Quid enim explicem & proferam ſpecioſam illam & ſplendidã, vt ita dicam, pompam, non profuturam forte niſi dum videtur, non placituram niſi dum tranſit? Quid præſtinguam obtundamq; auditores meos inani illo

ni illo fulgore ſententiarum, tonitruque verborum, quæ inter plauſores etiam ſuos, quemadmodum bruta, vt aiunt, fulmina vbi fulgere & tonare deſierint, prætervolant tantum aures admiratione obſtupefactas, & nullum relinquunt ardorẽ in animis, telumue ſalubrium cogitationum? Et nimirum a nobis, quibus iamdiu & inductione quadam animi, & veſtra Patres religioſiſsimi auctoritate perſuaſum illud eſt, vt pro virili parte prodeſſe iis debeamus qui ad nos ventitant, non ſolum placere, abeſſe omnis debet ſuſpicio fucatæ orationis, & nimium comptæ, in qua nihil pene ſit aliud, niſi vana quædam oſtentatio artis, magnificentiaque verborum. niſi forte tale quippiam ſubiicitur præfationi argumentum, vt quemadmodum gladiatorum olim proluſio, etſi referebatur omnis ad venuſtatem, habebat etiam nonnihil vtile ad pugnam: ſic etiam ipſa in præfatione per ſe compoſita ad delectandum, appareat ſaltem aliquid, quod aliquam vtilitatis ſpeciem habere videatur. Et ſane ita mihi, niſi me valde fallit opinio, faciendum videtur. Etenim ſi celebrata illa ſemper fuit, ſummiſque in cælum elata laudibus, egregia Perſarum regum cõſuetudo, qui ante ſacrificium de pietate, ante conuiuium de temperantia, ante prœlium de fortitudine verba faciebant, omnis vt eſſet oratio rei quæ agebatur opportuna: laudandum ſimiliter eſt inſtitutum virorum ſapientium, qui initium docendi capiunt ab ea diſputatione, quæ non iucunda ſolum auditoribus, ſed etiam vtilis ſit futura. Hos igitur hodie imitabimur, auditores, & vobis, opinor, libentibus. Quando enim copioſiſsimam & ornatiſsimam M. Tullij pro P. Sextio orationem ſuſcepimus explicandam, non e-

ius quidem perſtringemus argumentum : hoc enim faciendum videtur ſecundum hunc diem : ſed quas res hoc anno, adoleſcentes, ſi veſtra diſcendi cupiditas cum mea congruet ſententia rationeq; docendi, a me eſtis, vt res feret, ipſaq; opportunitas orationis, audituri, breuiter exponam : vt meam vobis quaſi obligem fidem his præſentibus, ſimulq; vos exacuam, & exuſcitem ad eos ſcrutandos & effodiendos ingentis pretij veluti theſauros, quos hac in oratione abditos penitus & abſtruſos eſſe intelligetis. Neque enim, quod vos non fugit, eadem eſt ratio leuium metallorum viliumque, & eorum, quæ qui habent homines, opulenti ac diuites vocantur. Illa ſcilicet iacent in ſummo, nec peruestiganda curioſius, aut inquirenda ſunt : veniunt prope ſua ſponte in manus quærentium, nec ſe ſolicitari diutius pellicique patiuntur. hæc vero, ſi indaganda atque eruenda ſemel duxeris, vt regias illuſtrent domos, oſtendantque magnificos apparatus cum elegantia & copia, vt manuq; perrumpenda, & penetranda ſunt ipſius terræ, vt ita dicam, viſcera, eiuſq; venæ omnes & fibræ quodammodo perſequendæ. Hoc ergo agamus in præſentia, adoleſcentes. faciamus in hoc aditu ſcholarum, quod in amicitiis ineundis iubebat Theophraſtus, vt ante iudicemus, ſit ne digna res, in qua noſtra collocetur opera, deinde vbi hoc iudicauerimus, toto in illam pectore incumbamus. Quamquam non ignarus ſum, non poſſe a me exprimi atque exprimi hoc tam breui tempore omnia : neque ita facile ſecerni ac ſeligi nonnulla, quæ magis emineant aut extent : nihil cum ſit, quod non excellens atq; eximiũ appelles. Sic enim profecto ſe habet.

Nihil eſt in hac oratione inæquabile, nihil redundans, nihil ab aliis differens, nihil claudicans, nihil eiuſmodi, in quo aliquid non immerito deſideres. Tota ipſa ſolida eſt, ac ſucci plena: tota eloquentiam ſpirat & ſapientiam: tota vno, vt aiunt, tenore fertur, reconditiſque rebus & ingentibus diuitiis abundat: ſic vt quemadmodum in Platonico illo Gnoſiorum cupreſſeto non admirationi erat vna aliqua arbor, aut altera, quod in eamdem proceritatem tota ſilua ſurrexerat, ſic neque ſit hoc aut illud, quod te magis capiat, eo in opere, in quo totius corporis apta quædam & cohærens forma & compoſitio abſtuliſſe videtur ſingularum partium admirationem. Sed quoniam tamen huc ductus eſt ſermo, & pertexendum eſt munus, quod videmur exorſi, ne ſoli hodierna die ſolemnem & quaſi legitimam videamur defugiſſe prouinciam, dicam aperte & ſimpliciter quod ſentio. Cum in ea, Auditores, quæ ornate ac ſapienter a M. Tullio dicuntur hoc libro, oculos animumq; conuerto, ſiue dictionem ipſam conſidero, ſiue res quæ dictione explicantur, ſic ſtatuo, nihil reperiri omnino, quod homini Rhetoricæ antiquitatis, humanitatis ſtudioſo, venire poſſit in mentem, cuius hic non & plurima & præclara maxime veſtigia cernantur. In eodem prato (vt vetus ſententia eſt) bos herbam quærit, canis leporem, ciconia lacertum: in hoc vno eodemque volumine, inueniet, ſumma ſua cum voluptate pari cum vtilitate coniuncta, & orationis illuſtrandæ cupidus lumina, & indagator veteris hiſtoriæ, reique publicæ Romanæ præcipua capita, quæ ad eam pertinent: & earum amator literarum, quæ dicuntur ab homine, politiſſimam quamq; liberalemque doctrinam. Nam ſi

quem recte dicendi laus gloriaque delectat, in quam multa, Deus immortalis, incurret atque incidet paſſim, in quibus agnoſcet artem admirabiliter expreſſam? quam porro magnam & ſinceram voluptatem capiet ex collatione præceptorum cum exemplis? quam vere & ſolide gaudebit, cum ſe breui quodam compendio perueniſſe viderit ad ea cognoſcenda, ad quæ longo illo anfractu, & circuitione, ars ipſa, quæ tanto incedit apparatu, viam muniebat? Recte hoc quoque Seneca, vt alia omnia: Longum iter per præcepta, breue & efficax per exempla. Et Fabius: In omnibus fere minus valent præcepta, quam experimenta. Non dicam hoc loco, auditores, de forma ipſa habituq; orationis, deque eius partium deſcriptione, de ſplendore verborum, pondere ſententiarum, vtrorumque conformationibus & ornamentis, de auctoritate exemplorum, enthymematum efficacitate, de argumentis, ſiue inſita ſint, in eoque ipſo inhæreant, quo de agitur, ſiue diſiuncta & remota, eo quod extrinſecus afferantur. Ea quæ ad mores pertinent commendationemq; dicentis, quibus maxime conciliantur animi, ita elucent, vt non amici cauſam agere M. Tullius, ſed ſuã, non pro alio ſed pro ſe, quamobrem etiam tam multa de ſe, dicere videatur. Quam enim pedetentim & callide inſinuat ſe in iudicum beneuolentiam: quam occultis cuniculis furtim & clanculũ irrepit in præſidia aduerſariorum, inuadit in arcem cauſæ: quas pugnas deinde ſimul conſtitiſſe videtur in ſuo, & quantas ſtrages edit? quos impetus facit? quam violentus irrumpit? quibus denique machinis & tormentis labefactat audacius & euertit propugnaculum accuſationis, quod tam altis defixum radicibus videbatur,

nulla

nulla vt poſſet ratione conuelli? Quid? quod interdum ad iudices traducendos a ſeueritate in hilaritatem admiſtus eſt miro genere facetiarum quidam lepos, quo tamquam ſale perſpergitur oratio? Quam apte interea & luculenter exprimit hominum mores, diuitum, nobilium, obſcurorum, inopum, ciuium, externorum, vrbanorum, ruſticorum, adoleſcentium interdum, & vero etiam ſenum: vt harum omnium perſonarum actiones, mores, cogitationes ipſas penicillo quodam orationis depingere & ponere videatur ante oculos? Et ſunt tamen qui quærant, & querantur fortaſſe, cur prepoſuerim hoc anno Ciceronem Ariſtoteli. quibus vt ſatisfaciam, etſi reſpondere pro meo iure poſſum, ita viſum eſſe iis, qui mea facta, conſilia, ſtudia moderantur, quibus quidquid libet, quacumq; ratione libet, & quam libet diu, id tum rectius iudicare, tum ſine recuſatione vlla & tergiuerſatione facere debeo: quod quidem in omni vita, quantum in me ſitum erit, veſtro fretus auxilio ſanctiſſimi cælites, conſtanter ſeduloq; præſtabo: tamen illud omni aſſeueratione affirmo, hoc eorum conſilium, quod, tempori vt futuro proſpicerent, ex præterito venit, non vtilius modo auditoribus meis, ſed etiam optabilius fuiſſe. Quippe, quarum rerum vmbram modo & ſimulacrum oſtēdiſſet ſe ſequentibus Ariſtoteles, quaſi in tenebris præferens lumen: id quod quibuſdam de auibus, quæ in Hercynio Germaniæ ſaltu, per denſam etiam noctem raro intermicantium ſplendore plumarum monſtrāt iter faciētibus viā, vero ne an ficto ſermone? traditur: earum rerū pulcherrimam omnino ſpeciem & formā Tullianus ille Sol, clariſsima luce diffuſa, ita omnibus ape-

aperiet, vt in Rhetorico hoc, vt ita dicam, orbe, eius ope multo melius, quam Homericæ Palladis, ab ipſis animis, tamquam ab oculis diſpulſa caligine, omnia ſint inſignẽ quemdam viſum & illuſtrem habitura: quæ ſcilicet omnia, ne quid videamur glorioſius elocuti, in progreſsione docendi manifeſtius apparebunt. Iam quod attinet ad illud, quod ſecundo attigeram loco, nimirum ad cognitionem hiſtoriæ Romanæque antiquitatis: quis veſtrum dubitet, ſi adhibeat modo aliquam cogitandi ſollertiam, quin hac oratione definita propemodum ſit omnis ætas huius vrbis, multiplex deſcriptio temporum, ſacrorum iura, ſacerdotum munera, auſpiciorum ordo, auctoritas legum, iudiciorum ratio, bellorum, pacis, magiſtratuum? Nam quorſum illa, quod, cum intuliſſet præclaram diſputationem de popularium diſcrimine & optimatium, eadem opera de concionum vi, de comitiorum conſuetudine, quibus ſiue magiſtratus creabantur, ſiue leges rogabantur: de theatrali, gladiatorioque conſeſſu, id eſt de ludis publicis, qui cauea circoque diuidebantur, tam multa dixit ſubtiliter, & ad docendum accommodate? Quis hæc omnia, quantum ipſius patiebatur dicentis exiſtimatio, locique dignitas, M. Tullio diſtinxit acutius? quis indagauit accuratius? quis conſiderauit attentius? quis melius clariuſque perſcripſit? Neque vero hæc ſunt eo de genere rerum, quæ nec ignoranti nocent, nec iuuant ſcientem. Mihi enim credite adoleſcentes, in eiuſmodi ſtudiis, nec parum diu, nec ſine labore verſato, qui in euoluendis antiquorum libris conſumere vult aliquid induſtriæ ac temporis, eum in magnis tenebris verſari neceſſe eſt,

niſi

niſi veterum hiſtoriarum, ac ceremoniarum, quibus magnam partem hic conſtat liber, quaſi lumen accenderit. quod tum deniq;, cum illo ventum erit, ita demonſtrabo, vt nullus ſit dubitationi futurus aut controuerſiæ locus. Non erimus certe illorum ſimiles, qui cancris veſcuntur, qui quidem propter exiguitatem eorum carnium, in vellicandis cruſtis plurimum occupantur: quod Ariſton de iis dicebat, qui ſtudentes Dialecticæ, multam operam in fallacibus eius concluſiunculis aut detexendis aut retexendis inutiliter ponunt. Hæc videlicet, auditores, recta eſt, hæc militaris via: quam qui acriter & ſtudioſe inſtiterunt, illi verò ad ampliſſimos in literis peruenerunt honoris & dignitatis gradus. Mitto eos quos patrum noſtrorum auorumq; ætas non excurriſſe gloriatur, ſed euolaſſe, vt de Italis noſtris loquar, Politianos, Crinitos, Picos, Pontanos, Beroaldos, eiuſdemque notæ homines, Barbaros, Philelphos, Bembos, Iouios, Sadoletos, iiſque fere ſuppares Luiſinos, Madios, Robortellios, Gyraldos, Faërnos, Maioragios, & qui iiſdem temporibus ſtudiiſque floruerunt, Fracaſtorios, Naugerios, Molſas, Vidas, Caſtiliones, Zanchios, deniq; ne omnes numerando conſecter, Caſas, Flaminios, Sannazarios: qui omnes ita fuerunt abundāti ingenio, exquiſitaq; doctrina, vt etiam ſi ſinguli ætates in ſingulas incidiſſent, ſuam pro ſe quiſq; ætatem exornare maxime & illuſtrare potuiſſet. Vt hos igitur omittamus, & ad eos veniamus qui recentiore memoria fuerunt, quos fere omnes, vno aut altero excepto, nos ipſi vidimus, allocuti etiam ſæpe, & qua erat illorum humanitas, perquam familiariter ſumus, quo verius meum & exploratius futurum eſt teſtimonium: hanc preſſit is,

quem

quem ego adoleſcens: ego vero? immo omnes, qui ali-quem literarum guſtatum habebant, habebant parentis loco: ſic vt communi nomine diceretur ab omnibus pater, re, & cognomēto Pantagathus Octauius: qui ſenex optimus ac ſapientiſſimus, etſi Socratis exemplum ſecutus, nullam ſcripſit litteram, ex quo de eius ingenio & iudicio exiſtimare liceat: quoniam tamen victurus eſt ſemper in memoria, & futurus in ore viuorum, quotquot exiſtent vmquam docti viri, multa ex eruditis ipſius ſermonibus de manu (vt aiunt) in manum accipientes, æterna quædam & ſpirantia ipſius monumenta fore videbuntur. Hanc igitur preſſit, & quaſi anteſignanus, Pantagathus viã. In hac eadem Perpiniani noſtri ſunt impreſſa veſtigia, qui totum ſe ad Ciceronis ſimilitudinem, & fuit illi quidem eloquentia proximus, vt preclare eius orationes teſtantur, effinxit. Has ierunt omni liberali doctrina politiſsimi Sebaſtianus & Marius Corradi; hanc ſtabili & pleno gradu ingreſſus ille, qui Romanam vnus conſenſu omnium in conſcribendis epiſtolis reddidiſſe videtur elegantiam, Paulus Manutius. In hac Sigonius via, qui omne ſtudium atq; ingeniũ contulit ad veteris populi Romani antiquitatem e tenebris eruendam, variæ eruditionis imitanda potius, quam æmulanda poſteris reliquit exempla. Hac etiam (venio enim ad eum, quo, vt ex aſpectu iſto & oculis coniicere videor, tacita me veſtra iamdudum vocat expectatio) hac inquam cucurrit, admirabili celeritate M. Antonius Muretus, meus ne dicam, an veſter, Romani adoleſcentes? meus enim magiſter, veſter ciuis (veſtri enim patres eum virtutis ergo ciuitate donarunt) Muretus fuit: cuius de incredibili ſcientia,

com-

commemorabili ingenij magnitudine, laudeq́; dicendi, tum communis omnium opinio, tum conſtans illa mea ac debita eius celebrandi conſuetudo, tum deniq́; ipſius celebritas nominis, atque ſcriptorum elegantia, quæ etſi carent ſpiritu illo & maieſtate dicentis, omnem tamen præ ſe florem ferunt & ſplendorem eloquentiæ, ne plura repetam, facit. Hac deniq́;, vt finem faciam aliquando, per ipſos fere ſeptem & octoginta annos, tot enim vixit, vir omnī virtute & doctrina ornatiſsimus, Petrus inceſsit Victorius, cuius illuſtrē gloriam, tot diffuſam libris, tot explicatam voluminibus, tot lucubrationum præſtantia & copia commendatam immortalitati, nulla vmquam poſteritatis obſcurabit obliuio. Sed reuoco iam me, auditores, vnde aliud pene agentem æſtus quidam amoris, & feruor orationis abduxit. Plurima igitur, vti dicebam, in hac oratione eminet antiquitatis effigies: neq; tamen deeſt illud tertium, quod etſi vere & proprie copulatum & coniunctum eſt cum ſuperioribus, ſeiunxi tamen ab illis cauſa docendi, & vero aliquanto etiam amplius videtur polliceri, ſtudium humanitatis: quod cum dico, & Grammaticos, & Poëtas, & Philologos, & Philoſophos eos præcipue qui de moribus præcepta, deque rebus publicis tradiderunt, vno verbo elegantem doctrinam omnem, ſiue Romanam & noſtram, ſiue tranſmarinam & aduentitiam, intelligo. Quibus de rebus, vt hoc ipſum agamus quod agimus, neq; deflectamus de via, non ſubtiliter quidem & exquiſite, ſed modice, & ad horum, qui nobis dabunt operam, intelligentiam, accommodate diſputabimus: ſic prorſus, vt Rhetorem me, id eſt non Grammaticum omnino, neque Philoſophum tamen,

ſed in-

ſed inter vtrumque interiectum, neutrius expertem; vtriuſq; quodammodo participem eſſe meminerim. Quæ quidem omnia, quoniam cognitis partibus in cognitionem vniuerſi adducimur, cum admirabili plane modo, & artificio ſingulari, vt ſuis locis docebimus, hoc vno comprehenſa ſint libro, audebo hac ipſa ſchola, non oſtentationis ſtudio, ſed veritatis, polliceri omnibus, ac profiteri, talem eum eſſe, vt ipſe vnus quantus quantus ſit, ſi ſingula excutiantur capita, & ſparſa ſemina excolantur, quamplurima videatur, non aliorum modo, ſed ipſius etiam Ciceronis monumenta, & doctrinæ varietate, & vtilitatis vbertate, ſuperare. Expoſui, Auditores, breuiter, vt me promittere meminiſtis, tria illa capita quæ propoſueram. Et poteram quidem finem hic facere, ne vobis eſſem moleſtior, niſi adhuc hi adoleſcentes, quorum perpoliendorum nobis cura commiſſa eſt, pro mei ratione muneris viderentur admonendi. Bona igitur veſtra cum venia, ſic faciam quam breuiſſime. Quod Ariſtagoras Mileſius fecit Lacedæmone, cum Cleomenem regẽ incitare vellet, vt ab Ionum gente repelleret ſeruitutem, idem mihi hodierno die vobiſcum feciſſe videor, adoleſcentes, cum de Sextiana oratione nonnulla vere magis dicendo, quam magnifice, addidi vobis, quemadmodum quidem volui, diſcendi alacritatem. Tabellam Ariſtagoras ex aëre tuliſſe dicitur, in qua vniuerſus terrarum orbis, ambituſque Oceani, omniũ etiam fluminum curſus, ad naturalem quamdam ſpeciem, via & ratione deſcriptus videbatur. Hortabatur porro Cleomenem ad bellum huic & illi regioni vtiliter inferendum: quam etiam regionem, radio, vbi quæque foret, indicabat in tabella, quo facul-

cult*a-*

cultatem rei oſtenderet, animumq; commoneret oculorum ſenſu, qui eſſe ſolet acerrimus. Ego autem expoſui, non eo modo quo Ariſtagoras, ſed aliquo tamen modo, mundum omnem & ornatum huius orationis: oſtendi ingentes eius theſauros: digitum etiam ad locos, vbi deliteſcerent, & vnde eruerentur, intendi. Quo magis vigilandum vobis, ac laborandum eſt, ne hanc doctrinam tam amplam, tamque vberem contemnatis, ne ve tantam opportunitatem elabi ſinatis e manibus. Date operam ei, ad cuius laudem iamdiu exarſiſtis, eloquẽtiæ. Non deerunt vobis præcepta a nouo collega meo: cui, licet adoleſcenti, nihil tamen omnino, neq; a natura, neq; a doctrina deeſſe ſentio. Nam etſi is, qui iam multis emeritis ſtipendiis, hoc tandem anno miſſionem impetrauit, vir ſingulari humanitate, & magna quadam rerum varietate, & orationis elegantia præſtans, Horatius Turſellinus, quem honoris cauſa nomino, ex hoc gymnaſio decedens, tantum ſecum tulit publici deſiderij, quantum reliquit exempli: non ignoro tamen, futurum, vt hic adoleſcentior, qui magno animo integriſq; viribus in eius nunc ingreditur locum, eum ſuſtinere grauiter & cum dignitate poſſit. faciet enim excellens eius ingenium & ſtudium, quo ſe quotidie fit melior, & doctior, vt quod ei deeſſe videtur ab ætate, compenſetur induſtria. Hic igitur dabit vobis præcepta eloquendi: eadem ego, quantum in me erit, exemplis vel ex hac vna oratione proferendis, efficiam vt expreſſiora multo & illuſtriora cernatis. Veſtrum erit, vt ad noſtrũ vtriuſq; conatum & ſtudium, adoleſcentes, veſtra accedat attentio, & diſcendi diligentia. Hoc erit curriculum, in quo per hunc ipſum annum ſtrenue deſudabitis:

dabitis: hoc theatrum, in quo veſtra ſpectabitur virtus. quod vt contento curſu & ſtudioſe faciatis, vos, meus quantum in vos amor poſtulat, tantum hortor. Neq; enim, vt Cadmi ſatu milites repente extiterunt, quod eſt in fabulis, ita ſtatim boni oratores poëtæ ve naſcuntur. Subigendus eſt ager ingenij & omni vigilantia excolendus, euellendæ etiam ſtirpes inimicæ frugibus. diligendus atque obſeruandus magiſter, quaſi diligens agricola: omnia eius præcepta, conſilia, admonita, non æquo tantum animo, ſed lubenti & bono nacipienda. Scitum eſt enim illud Theodori, cui Athei cognomen ab deorum contemptu fuit, qui cum minus benigne audiretur cum diſputabat, ſuas a ſe dicebat rationes dextera porrigi manu, ſed arripi ab audientibus ſiniſtra. Facite, vt veſtra diſcendi cupiditas & beneuolentia noſtræ reſpondeat voluntati docendi. Et quamquam vobis nihil neq; acrius, neq; incitatius fieri poſſe arbitror, addite etiam ad iſtum vehementem animi impetum, mea cauſa, ſi quid poteſtis. Sic profecto fiet, vt, quando idem & docenti debet eſſe propoſitum & diſcenti, ille vt prodeſſe velit, hic vt proficere, ex veſtro iſto conſilio meoq; admonitu maiores in dies fructus vberioreſque capiatis. Ex quo etiam illud fiet aliquando, quod in omni litterarum vſu eſt pulcherrimum, optimum, glorioſiſſimum, vt non proficere tantum ipſi, ſed & aliis prodeſſe poſsitis.

DIXI.

ORATIO XIII.

Poſt ferias Paſchales, cum eſſet aggreſſurus orationem in L. Piſonem.

EXPECTATIS, Adoleſcentes, niſi me veſter valde fallit aſpectus, dum hodierna die aliquam afferam præfationem, quæ veluti muſica quadam harmonia, veſtras aures demulceam. at ego ne me vobis bonum venditem cantorem, aſpera hæc vox, quam auditis, nec canora, vetat. deinde, vt mea lege vtar, id eſt libertate orationis, nimium lauti eſtis ac delicati, ſi poſt ſextum denique ac decimum diem, quo intermiſimus ſcholas, ad eas eſtis, quaſi poſt faſtidium & nauſeam, aliqua delenitione reuocandi. Ita ne vero? Ceſſaueritis tam multos dies, otioſi fueritis, nihil egeritis: & cum res repetuntur, oſcitantia affertis ora, triſtes vultus, deſides animos atque inertes: vt aliquis ſit ex inferis excitandus Orpheus, qui laurea redimitus vitta, atque in longa veſte, auream oſtentet lyram, eamque nunc eburno pulſans pectine, nunc mobilibus digitis impellens, obloquatur numeris ſeptem vocum diſcrimina: tum vero vbi hoc procemio ſibi fecerit audientiam, ſuauitate cantandi, voculæ etiam flexionibus, ac minuritionibus, miſcens acuta grauibus, vtatur, vt hoc veluti artificio languentes exuſcitet? O irritos conatus meos, o fruſtra ſuſceptos labores, ſi quidem eorum qui me audiunt alacritas, ac ſtudium, ſine cantiun-

tiunculis aut lenocinio aliquo commoueri non poteſt. Adiuuate vos meam cauſam, viri eruditiſſimi atque optimi, atq; hiſce adoleſcentibus, qui, vt leuiſſime dicam, has litteras, quibus dant operam, ita non expetunt, vt cantu ad eas videantur attrahendi, veſtra auctoritate præſentia, & pondere auctoritatis pudorem incutitote. Non erit illis hic turpis pudor, nec vero inutilis, turpitudinem enim præteriti conſcientia leniet: vtilitatem ſpondebit proſpiciens in futurum animus, & mutatio conſilij. pluris profecto apud illos erunt hodie taciti iſti veſtri oculi, quam mea hæc vox, etiam ſi non deſineret ante, quam deficeret. Sed nec agam ego vehementius, & ipſi commoueri videntur. nec temere (volo enim adoleſcentulos excuſare mei amantiſſimos) præfationem requirebant. Docuit hoc illos anniuerſaria mea conſuetudo: cuius quidem non me pœnitet, nec calculum, vt dicitur, reuoco. ſed tamen admonitos vos volo, adoleſcentes optimi, ne videlicet erretis, & ne præſcriptione temporis vtamini: gratuitum hoc eſſe officium, non debitum: ſi vſurpetur, eſſe libenter accipiendum: ſi prætermittatur, nullo modo exigẽdum. Quid enim ſi non liceat? addo etiam, quid ſi non libeat? an propterea ad iudices videor vocandus? non ita de vobis male exiſtimo, vt hoc veniſſe putem in mentem: ſi tamen venit, auctor ſum vobis, vt euellatis, quod ſi ego a vobis minus etiam poſtulo, quam debetis: nolim vos eſſe aduerſum me flagitatores ita moleſtos, vt plus omnino requiratis, quam poſſum. Video quid cogitetis ac ne quid obloquamini occurro: quæritis videlicet, qua in re deſiderem officium veſtrum. quod ſi fidem datis futurum, vt ne fruſtra admonuiſſe videar, admonebo. accipitis condicionem, annui-

annuitis, præſtabo promiſſum : ea lege, vt ne pactum retractetis, ne ve accuſetis ſinceritatem meam . adhuc, quid velim, expectare videmini. aperte rem loquar, ſine vlla circuitione. cuperem poſthac vos eſſe in me audiendo diligentiores. vultis me hæc clarius loqui ? an bene penitus intelligitis? ita exiſtimo. Nam quid mihi animi putatis eſſe adoleſcentes, cum quæ ego magno labore, nec breui tempore, comparaui, vt vobis exponerem, quaſi in flumen, aut in ventos, video effundi? cũ aſpicio e vobis vnum loquentem cum altero, alium oſcitãtem, nonnumquam etiam circulantem, non neminem etiam proſpectantem ianuam, & quaſi explorantem fugam? melius profecto qui dormiunt, modo ne ſtertant . nam quotus quiſq; veſtrum excipit quæ dictamus? excipit dico? quotus quiſq; librum affert, aut ſi affert, ſine vlla hæſitatione demonſtrare poteſt digito locum, quem explico ? Non auderem dicere hoc tam aperte, his tam grauibus præſertim viris audientibus : niſi re ipſa, & ſummo meo cum dolore, & quod acerbius fuit, perſæpe, comperiſſem. I nunc magiſter ſeptemdecim annorum, excute Latinorum Græcorumq; volumina, euolue bibliothecas, confice vigiliis corpus, conſume oculos lectione, ſcriptione digitorum articulos, imple paginas, veni bene preparatus, & meditatus, ad gymnaſium. Apparebunt primum rari nantes in vaſto gurgite: tum vero alij, metu opinor virgæ (nam virga etiam, ſi ſuperis placet, hoc regnum affectat) different aduentum ad illud tempus, quo nos ita docendo proceſsimus , vt parum omnino ſuperſit : eam nimirum ob cauſam, vt ne hic ſint diutius, & profiteri audacter poſsint, ſe veniſſe. at ego remitto illis hoc iter, neq; vllam habeo gratiam : atque

haud

haud ſcio,an veniſſe eos dicam,qui venerunt malo coacti, quos præſentes intueor corpore, ſed animo abſentes.ita paucos habeo auditores, diſcipulos pauciſsimos. Quod niſi veſtra me interdum, viri perfecti in multiplici genere litterarum,recrearet præſentia, atq; honeſtaret, non ad gymnaſium adire viderer quotidie, ſed ad piſtrinum, ad diurnum opus perſoluendum. quamquam altera quoq; haud paulo maior me conſolatur cogitatio, quod ego hoc meo qualicumque labore, Deum tantum immortalem, cui ſeruio, qui omnia videt auditq;,ſpectare debeo, nec vllã gloriolam aucupor humanam. ſunt iſta.ſed tamen homines ſumus, & ſcio dictum ab oratore optimo: quemadmodum tibi en ſine tibiis canere, ſic orator niſi multitudine audiente eloquens eſſe non poteſt. Vinco autem plerumq; animum: atque vel vno e vobis præſente, amici ampliſsimi, qui hos non modo docere omnes, ſed etiam doctorem ipſum poteſtis, repeto illud tibicinis Antigenidæ dictum, qui diſcipulo frigenti ad populum dixit, Mihi cane & Muſis.multoq; ſæpius illud, quod dixiſſe Antimachum Clarium poetam ferunt: qui cum conuocatæ multitudini legeret volumen illud ſuum.quod iam prouerbij locum propter longitudinem obtinet, & deſertus eſſet ab omnibus, præterquam ab vno Platone: Legam tamen, dixiſſe fertur. vnus enim eſt mihi Plato inſtar multorum millium. Sed tamen piget me veſtri & pudet, adoleſcentes,cum veſtram cogito incogitantiam,ne dicam inertiam: ea quæ vobis apparantur, apponuntur, debentur, aut propter animi leuitatem negligi,aut propter negligentiam contemni:non parui fieri ab iis, quibus hæc domi naſcuntur. Quid eſt, quod ad hæc reſpondere aut

hiſcere

hiſcere audeatis? vnum tantum, quo nihil audiam libentius: ſi recipiatis futurum poſthac, vt indiligentiam compenſetis induſtria, & tarditatem curſu corrigatis. audetis, aut auetis potius, hoc promittere, vt, ſi non de geſtu, at certe de ſilentio veſtro intelligo. accipio quod datis, & hos tantos viros quaſi vades ac fideiuſſores, vt magis obligemini. qua ſpe atq; opinione fretus, vt vos alterum quoddam ordiamini initium ſtudiorum, alteram exponere Ciceronis orationem exordior.

Quid me aſpicitis, tamquam metuentes ne me pœniteat dicti? non aliter faciam ac dixi. ſcio placere omnia noua, vetera non aliam ſæpe ſperni ob cauſam, niſi quia vetera: itaque arbitratus ſum vos excitari poſſe noui oſtentatione promiſsi. nec vana fuit opinio. videor enim videre vos lætos, alacres, erectos, totoque pectore paratos ad audiendum. conſeruate mihi quæſo iſtum animum, in reliquum annum: efficite, vt quotieſcumq; illuſtriſsimus hic adoleſcens, & æqualium ſuorum eruditiſsimus, Thomas Aualus, ad nos, quæ eius eſt humanitas, redire voluerit, ita eſſe agnoſcat, vt volumus: id eſt, vt nec me iudicij, nec vos pœniteat conſilij. Cogitate etiam hoc mihi, induſtriam hominum cognoſci penitus non poſſe, niſi præceſſerit inertia. Quippe, vt tenebræ lucem, bellum pacem, ægrotatio corporis valetudinem, labor quietem, ſic etiam conſequentem ardorem ſtudij, diſcendique cupiditatem, languor prior & inertia commendat.

Quod ſi me audieritis, audebo dicere, optandum propemodum fuiſſe tempus illud ſuperius, vt hoc, quod nunc ſequitur, magis appareat. Minus nota & illuſtris fuiſſet Cecropis morum ſuauitas, affabilitaſque

que

que ſermonis, niſi antea durum eum regem atque immitem Athenienſes fuiſſent experti. quam ob rem factum putatur, vt ita eſſet effectus, vt ore quidem & pectore hominem, cruribus vero & pedibus exprimeret draconem. Obſcurus credo flamen fuiſſet, atque vnus e turba L. Flaccus, niſi adoleſcentiam negligentem luxurioſamque vſque adeo correxiſſet, vt inſignia vitia multis obtexiſſet virtutibus: ex quo eueniſſe dicitur, vt qui antea fuerat poſtremus, deinceps totius iuuentutis optimus haberetur. Quis noſtrum Phædonem noſſet vmquam, niſi e fœda iuuenem vita in Academiam tranſtuliſſet Socrates, magnus ille pater ſapientiæ? quis Polemonem, niſi adoleſcentium Xenocrates turpiſſimum in ſapientiſſimum mutaſſet philoſophorum? Quod ſi in his aliiſque permultis tanta morum ac vitæ facta eſt mutatio, quantam ne optare quidem eorum amici auſi eſſent: quis inanem ſpem accuſet meam: dicatq; ſine cauſa ſuſcepiſſe, qui nunc præcipio lætitiam veſtræ emendationis, immo etiam quaſi de victoria triumpho? Dicet aliquis, more a me rhetorum fieri, vt eos laudem, quos admonitos velim. quin fatetur illud potius, me vſum ſeueritate magiſtri, qui illos coram acriter reprehenderim? Meum porro vtrumq; fuit, & commouere languentes, & ſpem rerum concipere meliorum. veſtræ nunc illæ erunt partes adoleſcentes, dare operam, vt nec admonitio perperam ſuſcepta, nec ſpes temere concepta eſſe videatur. Quæritis tamen, etiam nunc, ad quam orationem ſimus hodie explicandam aggreſſuri: ad eam, quæ, vt ſit vobis facilior (veſtris enim conſulimus rationibus) habet prope coniunctū cum ſuperiore argumentum: ita nō modo ſimilia, ſed eadem prope

audire videbimini. Vtraque certe ad exornationem pertinet, ſiue ad illud genus, quod quia ad inſpiciendum, voluptatis modo cauſa proponitur, ἐπιδεικτικὸν nominatur. niſi quod, vt ſit aliquod diſcrimen, illa ad laudem potiſſimum P. Sextij, hæc ad vituperationem confertur L. Piſonis. Piſonianam igitur docebimus, orationem grauem, variam, copioſam, atq; vberem: in quam pater ille eloquentiæ omnia ſententiarum pondera, & verborum ornamenta congeſsit: cum contra eum diceret, quem habebat inimicum, per quem ſe ex hac vrbe meminerat eiectum, & diceret grauiter iratus.

Quod ſi odium atque ira acuit linguam, vt facilius ſit hominibus ita affectis, dicendi initium quam exitum reperire: quod telum, aut quod fulmen hoc erit orationis, quod ignis iuſtiſsimæ informauit iracundiæ, robur præſtantiſsimæ intorſit eloquentiæ? cum præſertim, quod vos his artibus eruditos minime fallit, viri doctiſsimi, M. Cicero in omni genere cæteros omnes, in eo autem, quo ſuos perſequitur inimicos, ſe ipſum, omnium iudicio ſuperarit: quippe qui etiam effuderit verba per iugulum, vt cum Plinio loquar, cuius maxime vtor auctoritate, reditura. Hanc igitur, ſi modo vita & valetudo ſuppetat, Dei beneficio, audituri eſtis reliquo anno orationem. adoleſcentes. excitabit, vt ſpero, attentionem, quod, vt diximus, alia eſt: voluptatem, quod in Piſonem continet conuicia: natura autem comparatum eſt, vt quæ in alios iaciuntur contumeliæ, libentiſsimis & animis & auribus accipiantur. etſi eum vos ad eam animum afferre volo, vt non maledictis aliquem figere, ſed reprehenſionem in laudem conuertere diſcatis: quæ ratio

eſt pul-

eſt pulcherrima imitationis.

Scitum eſt, quod medici faciunt, qui e viperis & cantharidis, venenatis videlicet animantibus, præciſis quibuſdam partibus & amputatis, medicamenta conficiunt ita ſalutaria, vt nullum eis videatur eſſe maioris operæ: vſq; adeo e rebus malis bonum ſapientes excerpere conſuerunt. ad eum vos modum, me auctore aut hortatore, facietis, vt ex iis quæ dicuntur a Tullio contra hominem, quem omnibus fuiſſe confirmat vitiis notatiſsimum, tum illud addiſcatis, eſſe omnino fugienda vitia, quæ tam vberem vituperationis materiam præbent, tum vero percipiatis modum, quoniam contrariorum contraria eſt diſciplina, quo virtutes bene atque ordine laudentur. Adiuuate meam voluntatem ſtudiis veſtris: compenſate ſuperius tempus, quo ſit cumque vocabulo appellandum, poſteriore diligentia: conſeruate rem integram horum virorum omni dignitate præſtantium, ne, quoniam pro vobis ſpoponderunt, vobis non ſoluentibus, pro vobis dependere cogantur.

DIXI.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ORATIO XIV.

Ante ferias Autumnales, cum ſtudia proferrentur, habita.

NARRABO ſomnium, Auditores, neque erit coniectore opus. Videbam ſuperioribus diebus, quanto deſiderio flagraretis anniuerſariarum vacationum, quanto prope conuicio flagitaretis ferias. Cogitabam etiam ipſe mecum, quam non adiuuaret, deprauaret potius adoleſcentiam, ſi non caute ac prudenter ſuſciperetur ceſſatio atque otium. Ita in vtramque partem in mentem multa veniebant: nec vtrum vtilius eſſet, aut melius, conſtituere poteram. Cum hæc igitur ſæpius mecum agitarem, & ea mihi cura, vt fit, proxima nocte ſomnum ademiſſet, vigilaui bonam eius partem: ad lucem denique, cum veriora immittuntur ſomnia, arctior me quam ſolebat ſomnus oppreſſit. Hic mihi (eam credo ob cauſam, quod ea dormientes cernimus, de quibus vigilantes cogitamus, aut loquimur) obiectum eſt ſomnium admirabile, & ad id, quo de agitur, magnopere pertinens. Quod nunc etiam recenti memoria (inſidet enim adhuc in animo quædam viſi ſpecies, nec plane defluxit) ſi non omnino, at certe aliqua ex parte repræſentabo.

Qua tamen in re, ſi non omnia conſtanter ſubtiliterq; dicentur, mementote ſomnium fuiſſe. Videbar mihi videre antiquam huius vrbis formam ac ſpeciem,

ciem, qualem in noſtris animis effingunt potius ſcriptorum litteræ, quam pictorum imagines. Aſpiciebat omnes partes vrbis, & domos, vt cum maxime florebat, pulcherrime deſcriptas, in montibus licet videretur poſita & conuallibus, cœnaculiſque ſuſpenſa. intuebar anguſtiſſimas eius ſemitas: ſed lata vna porrigebatur inter ceteras via, eaq; perpetua, quæ me ad aureum illud Capitolium, & ad illum montem qui a principibus viris celebrabatur frequentiſſime, videlicet Palatium, ferebat. erat hora fere prima. video magnam virorum vim ac multitudinem purpuraq; & auro fulgentium, quorum quidam manu bacillum ſceptri loco ferebant: omnes mulleis ad mediam vſque ſuram calceati, aperto capite, vnum in locum, qui templi referebat ſpeciem, vno tenore confluebant.

Coniicio me in turbam, quid ageretur viſendi cupidus: Æneam diceres, qui opertus nebula circumſpectaret omnia, cum ipſe a nemine cerneretur. Ingreſſi ſumus in templum, quod ex ſimulacro, quod erat in ſummo, Apollinis eſſe cognoui. Animaduerti ſtatim, id quod erat, indictum fuiſſe edicto Auguſti ſenatum. quo ſenatores conueniebant, non multæ quidem metu, aut pignoris, ſed quod conſuli, eidemq; patri patriæ, ſic enim Auguſtum nominabant, edicto audientem non eſſe, videretur nefas. Coibant, vt dixi, ſenatores, quibuſq; in ſenatu ſententiam dicere liceret, quantum vno aſpectu iudicare potui, ab anno fere quinto & quadrageſimo ad annũ circiter ſexageſimũ, frequentes. ad ſingulorum porro pedes & genua (tunc quidem neſciebam quam ob cauſam) multi ex adoleſcentibus ſuperiorum, vt aiunt, ſcholarum

rum huiuſce gymnaſij, in quibus memini me nonnullos e vobis agnoſcere, valde demiſſe ac ſuppliciter accedebant: nec potui exaudire quid poſtularent: niſi quod ſenatores templum ineuntes, quæ veſtra eſſet illa intemperies, & quid ſibi vellet tam acris poſtulatio, mirabantur. Ingrediuntur omnes, paulo minus quadringenti: nec vero quiſquam ante conſedit quam Apollinis ſimulacro, in cuius æde habendus erat ſenatus, ture ac mero ſupplicaſſent. Viſus ſum audire factum hoc noua conſuetudine, ex Auguſti decreto. Ipſe paulo poſt Auguſtus conſul duodecimum, qui etiam eo menſe faſces habebat, cum collega L. Cornelio Sulla, præeuntibus lictoribus, qui placide ſubmouebant turbam, magno ſeptus virorum cœtu ac militum, etſi nemo in ſenatum ingreſſus eſt cum telo, ad ædem acceſſit, ante eam ſacrificauit: & cum manibus teneret exta, aruſpicem vt ſecaret admonuit: qui cum rite litaſſet, læta omnia ac proſpera S.P.Q.R. nuntiauit. Ipſius porro Auguſti habitus hic erat: toga e purpura nec reſtricta nimium nec fuſa, clauus neque latus neque item anguſtus, calcei altiuſculi: eam ferebat ob cauſam, quod proceriorem ſe, quam natura erat, haberi volebat. Nec mora, cum aſſurrectum ei eſſet ab omnibus, & omnes ipſe tum oculis, e quibus quidam quaſi elucebat fulgor, vt diutius in eos intueri non poſſes, tum maxime verbis benigne atque humaniter conſalutaſſet, reſedere ipſius admonitu patres in ſubſelliis, quæ circum erant poſita. aſſedit ipſe celſior cum collega in ſella curuli: e qua deinde cum ſilentium manu popoſciſſet, exurgens eiuſmodi videbatur facere relationem. Quod bonum felix fauſtumq; reip. ſit, de feriis anniuerſariis ſuperiorum ſcholarum, deq; proferen-

ferendis rebus ſcholaſticis P. C. quid fieri placet? & cum hoc tantum dixiſſet, quieuit.

Mirum hic ſilentium fuit omnium, & ſiue quod puderet relationis, ſiue quod rei ipſius difficultas videretur habere deliberationem, defixis oculis terram intuebantur, expectantes dum primus aliquis ſententiam rogaretur. Hic idem Auguſtus, qui habebat ſenatum, Dic C. Caluiſi, inquit. erat C. Caluiſius Sabinus deſignatus conſul in annum ſequentem, itaque more maiorum in ſenatu tenebat ſententiæ principatum. Caluiſius igitur cum ſurrexiſſet, compoſita toga ad ornatum, & vultu ad ſeueritatem ſtans, grauem & vehementem habuit orationem, quam item vt cetera, quæ eo die in ſenatu dicta, acta, decreta ſunt, diligenter excipi a quibuſdam animaduerti, qui conſuetudine ac celeritate ſcribendi, facillime omnia perſequebantur. Dixit autem, nam eum attente audiebam, ferme in hunc modum. Non ignoro, P. C. pleriſque veſtrum, parua de re & prorſus indigna hoc conſilio, ſenatum conſuli videri: quod certe non ita eſt. Cum enim his temporibus Dei ipſius, in cuius templo ſumus, & illius Quirini ceterorumque Deorum beneficio, felicitate Auguſti imperatoris, ac noſtrorum virtute militum, ſit reſpublica a bello ad pacem, a negotio ad otium, ab armis & certaminibus ad litterarum ſtudia diſputationeſque conuerſa, nulla de re premenda nobis ſunt magis conſilia, quam vt recte inſtituatur atque informetur adoleſcentia: quæ ſi immoderato diffluat otio, & tabeſcat, verendum eſt ne corrumpatur inertia, nec agere quicquam Romanum poſſit aut pati, ſed Campanam potius ſegnitiem luxuriemque condiſcat. Et fuit quidem tempus, cum

pueri noſtri non domi victitabant, ſed in caſtris: non in cubiculis quieſcebant, ſed ſub pellibus: non in ludo verſabantur cum magiſtris, ſed in exercitu cum imperatoribus: non in vmbra exercebantur intra parietes, ſed foras in Solem pulueremq; deducebantur: non ſtato æris ictu aut tinnitu excitabantur, ſed terribili tubarum ac lituorum ſono: non calamo bellabant aut lingua, ſed gladium vibrabant & haſtam: non atramentum effundebant, ſed ſanguinem: non dictata, ſed vulnera excipiebant.

Et in his tamen vel aſperitatibus rerum, vel difficultatibus temporum, in tot & tantis laboribus corporum, contentionibus animorum, nemo vmquam commeatum poſtulauit, nemo appetiit otium, nemo cogitauit vacationem. erant nimirum omnibus in ore atq; in animo viri fortiſſimi, qui ætatem omnem vitamque poſuerant in populi Romani imperio orbis terrarum terminis definiendo: & quibus nati eſſent maioribus, eorum vt gloriam aſſequerentur, virtutem ſtudebant æmulari. Hinc iuuentus illa effulſit, quæ vniuerſam ſubegit Italiam, Pyrrhum debellauit, Alpes penetrauit, victorem Hannibalem huic vrbi inſultantem, Carthaginemq; duabus nixã Hiſpaniis huic imperio imminentem, ita afflixit proſtrauitq;, vt timore hoſtium ſublato, non terrorem modo illis, ac metum, ſed cladem etiam extremum, atq; exitium intulerit. Hinc nati, qui Galliam omnem in noſtram ditionem redegerunt, qui cum acerrimis gentibus, ac fortiſsimis, Germanorum, Heluetiorum, Britannorum, Scytharum, magno quidem cum periculo, ſed maiore cum decore decertarunt: qui barbaras omnes immaneſq; nationes contriuerunt, cõpulerunt, domue-

domuerunt, populo Romano parere coëgerunt. Ex quo deſcendit excelſa illa atq; exaggerata, Horatiorum, Camillorum, Scipionum, Cæſarum, aliorumq; heroũ innumerabilium. quorum nomina ſunt inſtar numinum, altitudo animi, laborumq; patientia.

Quærunt noſtri adoleſcentuli & vltro efflagitant luſum atque otium, &, ſi diis placet, niſi impetrent, ſeceſsionem minantur: ita pudore abiecto & verecundia, vt omnes vias aditusque obſideant, ad appellandos ſenatores, & alliciendos: vix etiam, medius fidius lacrymas teneant: ſunt ita fracti, & molles, nihil vt malint niſi res ludicras, & iocos: nihil vt ceſſatione melius arbitrentur. & ſane mirum eſt, quod cum aſsidue in otio viuant & luſibus: quæ enim vis eſt alia verbi ſcholarum, ſcholaſticorum, ludi? otium tamen non agnoſcant ſuum, quod eſſe poterat honeſtum, aliud, nõ dicam equidem ominis cauſa turpe, ſed certe iners deſidioſumq; ſectentur. O turpem noſtrorum P. C. futuram, niſi malo naſcenti in tempore occurratur, temporum notam. Non tu ita Cæſar Auguſte imperator, dicerem domine, ſi hanc te digniſsimam appellationem æquis auribus admittere aut ferre poſſes. Tu enim minor etiam ea ætate, qua iſti delicatuli requietis nomine prætexunt otij cupiditatem, nempe, vt memini narrare parentem meum, anno duodecimo, quo nunc magnam partem noſtri pueri ne primas quidem litteras attigerunt, auiam Iulij mortuã, puerili quidem ore & vultu, ſed ſenili quadã grauitate & dicendi prudentia, pro concione laudaſti. Tu paulo poſt virili ſũpta toga, militaribus donatus muneribus a diuo patre in triũpho. Tu auũculũ eadem prope tempeſtate ſecutus in Hiſpanias,

per infeſtas hoſtibus vias, per medias procellas ac turbines, quibus vehementer iactatus in mari, facto naufragio vix mortem effugiſti, tanta indole virtutis ac morum, promeritus es, vt ſummus ille imperator vnice te carum atque eximium haberet. Nec vero multo poſt Apolloniam ſtudiorum cauſa profectus, quantam eam ad rem adhibueris vel induſtriam, vel diligentiam, vt ego ipſe taceam, & quæ abs te profecta, propter ſingularem eruditionem & elegantiam, iam omnium teruntur manibus, monumenta teſtantur: & quæ perſæpe hoc ipſo in conſeſſu, ita ſuaui ac meditata oratione recitantur, vt perpetuo omnium plauſu ac ſermone celebrentur. Mitto de iis dicere, qui ſub finem pueritiæ extremum Apolloniam, item Athenas, Rhodum, in vniuerſam deniq; Aſiam, quaſi ad mercatum bonarum artium mittebantur, vt vel philoſophis operam vel oratoribus darent.

Appello vos P. C. quorum bonam partem hoc feciſſe intelligo: quis veſtrum ingemuit, cum aſſiduo opere eamdem ſcholam frequentabatis, totos dies ac noctes ad litterarum ſtudia conferebatis: quis fando vmquam audiuit, quis optauit, quis nominauit vacationem? Audeant ſe nunc hæc Romanorum monſtra & portenta, quando ita a parentibus degenerant, cum ſuis ſe maioribus conferre. Nam quo nomine iſtos appellem, qui colluſorem magis audire, quam magiſtrum, & manu tractare magis pilam, quam calamum volunt, leuiſsimam delectationem, vt etiam fatentur ipſi, grauiſſimæ vtilitati anteponentes? Certe quidem, ſi quales hi ſunt, tales eorum proaui fuiſſent, nulla eſſet cauſa, cur hi ſe illorum ſimiles eſſe vellent: quemadmodum nulla erit vmquam poſteris, cur iſtos

ſtos qui nunc ſunt, admirentur, aut cupiant imitari. ita ſunt fugitantes laboris, e quo omnia bona ad mortales: ita amãtes otĳ, e quo õnia dedecora proficiſcũtur.

Quæ cum ita ſint P.C. Quod Auguſtus conſul de feriis anniuerſariis ſuperiorũ ſcholarum proferẽdiſq; rebus ſcholaſticis verba fecit, de ea re ſic cenſeo. Cum otium malo exemplo inducatur in rempublicam, ſitq; idem perniciosum futurum noſtro imperio, aptumq; ad adoleſcentium induſtriam infringendam, corroborandam inertiam, quæ ante occupari ac præcidi debet: nullam omnino feriarum ſpem, niſi forte inualetudinis cauſa, adoleſcentibus oſtendi oportere. Hæc cum dixiſſet conſul deſignatus, magna ſenatus admurmuratione conſedit. & quamquam præfractum viſum eſt hominis reſponſum, nemo tamen videbatur eſſe tãtis viribus aut confidentia, qui cõtra illius ſententiam venire auderet. Ita ſilentibus cunctis, & quaſi taciturnitate, quod animo, vt poſtea apparuit, & voce non feciſſent, C. Sabini ſententiam comprobantibus, Non ibo per ſingulos, inquit Auguſtus: per ſaturam exquirendæ ſententiæ. Contra ea quæ dicta ſunt a Caluiſio, ſi quis aliter ſentiat, dic ſiquis voles: ne noſtri adoleſcentes ſuam poſtulationem deſertam expoſtulẽt, nec rationum momentis ponderatam, ſed conſulis diſſuadentis auctoritate iugulatam eſſe conquerantur.

Cum nihilo magis obloqueretur nemo, tacitique omnes in locis ſederent ſuis, ſic tamen, vt nonnumquam alter aſpiceret alterum: diceres, id quod erat, vnumquemque malle ſe profiteri comitem eſſe contrariæ ſententiæ, quam ducem: ne videlicet conſulem deſignatum offenderent, cuius magna quædam, non in oratione ſolum, ſed propemodum in nutu reſidebat

aucto-

auctoritas. Surrexit tandem e mediis ſubſelliis, vir quidem vultu venuſto, ac ſermone perbenigno, L. Hilarium Iucundum eſſe dicebant: & certe is fuit, vt comitate, commoditate, felicitate, ingenio, & nomen & cognomen ſuum comprobarit. Nimirum in hac controuerſia, quaſi adoleſcentium ageret aduocatum, eorum cauſam deſperatam plane ac depoſitam, contra deſignati conſulis auctoritatem, cuius ſe potentiæ oppoſuit, egregie tutatus eſt. Hic vero exurgens, cum oculos primo ad Auguſtum & Sullam, deinde ad ſenatores conuertiſſet, furtim etiam interdum ad Sabinum ipſum, qui quod neminem exiſtimaret aduerſarium fore, ſibi in ſenatu ſtare pulcherrime videbatur: Nollem, inquit, P. C. accidiſſe tempus, vt cogerer optimi viri ac fortiſsimi conſulis deſignati, quem colui ſemper, vti debui, maxime, ſententiæ aduerſari. ſed quoniam par eſt æquam eſſe hoc in loco omnibus dicendi quod ſentiat libertatem. noſtrorum adoleſcentium poſtulationem, quæ iam pene vt abiecta vacillat, ac perdita, cum quidam auctoritate magis quam ratione pugnarint. breui ſane & impolita, ſed vera nihilominus ac recta oratione, ne corruat, ſuſtentabo.

Cum enim, vt a militibus in bello indutiæ, ſic ab adoleſcentibus in ſtudiis litterarum, breues quædam & modicæ, more maiorum atque inſtituto, feriæ poſtulantur, non eo poſtulantur animo, vt qui eas petunt inertiæ ſe dedant aut nequitiæ, non vt ſemper in luxu luſuque verſentur, non vt obruantur ac ſepeliantur ignauiæ ſomno, quod vigilantiſſimus conſul ſuſpicabatur: ſed vt animos ſimul & corpora laboris & operis annui aſſiduitate ac magnitudine

defeſ-

defeſſa, breui quadam, & honeſta, & ſæpe alias ab aliis vſurpata, relaxatione reficiant: ne eorum deficiat penitus aut langueſcat, ſi numquam intermittatur, ſed perpetuo intendatur, induſtria. Docet hæc Natura viciſsitudine dierum ac noctium, per ſingulos annos quadripartita temporum commutatione, ipſius agitatione maris, cælique conuerſione, omnium denique rerum atque animantium conſuetudine, quæ diſpertita habent quietis & negotij tempora. Clamant hoc idem res ipſæ mutæ atque inanimes arte manuque factæ, quarum ſi aſsiduus ſit ſine vlla intermiſsione vſus, non longior eſſe poteſt vtilitas. ipſe mehercule armorum ſtrepitus, horrorque pugnarum, quibus Sabinus noſter ample & ſplendide enumerandis & prope in conſpectu ponendis, cum inflaret vehementius, & bellicis de rebus caneret quodammodo bellicum, noſtras omnium perterrefecit aures, oculoſque præſtinxit. ipſe profligandorum hoſtium, expugnandarum vrbium, proferendorum imperij terminorum impetus, ipſe gloriæ cupidiſsimorum militum ardor, labor ſudor, terror interdum requieſcit. quod etiam de Marte dixerunt: neque enim immortalium ſumus conditione homines, vt etiam honoris cauſa nullis opprimamur oneribus, laboribuſque frangamur.

Et vero cum illum attente audirem tam magnifice ſe efferentem in cauſa, tam glorioſe veterum pugnas victoriaſque prædicantem, interdum etiam inſiſtentem, vt altior fieret, inſignem exiſtimabam fieri iniuriam, non dicam vobis P. C. ſed cauſæ: quoniam de re nihil, ſed de perſonis loquebatur: & quod de paucorũ dierum vacatione dicendum fuit, ad reprehenſionem per-

perpetuæ cuiuſdam inertiæ nequitiæque conuertit. Cuius diſputationis æſtu abreptus, cum in altum proueheretur, velitari mihi magis, & volitare, atque aduerſarium fugere, quam pedem, vt dicitur, conferre, ac propius accedere, videbatur. Scimus, e diligentia, e labore omnia huic reipublicæ commoda obtigiſſe: non negamus otium eſſe malorum prope omnium ſeminarium: ſed quæ tandem iſta ſeueritas, Sabine, quod nobis fuit conceſſum adoleſcentibus, id tandem liberis noſtris tam preciſe denegare. Iniquum eſt, ſi cenſes nunc iam illos a pueris illico naſci ſenes. An quia tu iſta ætate, ad honorem tantum gloriamq́; conuerſa, nunquam in labore ceſſas atq; in opere, quod tamē a quiete excipi non negabis, idem putas in infirmiore ætate ab adoleſcentibus fieri oportere? Eſt indulgendum, ignoſcendum, condonandum huic ætati: eſt aliquid dandum intermiſsionis ac quietis: ne ſi nimium ſeuere coërceatur, in alieno poſtea ſe tempore profundat: & qui ſenectutis mores in adoleſcentia præſetulerunt, peruerſo ordine, adoleſcentium ingenium imitari in ſenectute cogantur.

Quid nos etiam P. C. nonne ad leniendam atq; expuendam ex animo moleſtiam, quam reip. gubernatio adſpergit, circulos ſectamur & ſemicirculos, atq; honeſtiore aliquo otio delectamur? ecquis vmquam menſem, menſem dico? hebdomadam, diem, ſine vlla quiete tranſegit? ego quidem, ſi ex meo ingenio coniecturam facio de veſtro, neminem eſſe arbitror, qui velit paucas horas ſine ſpe quietis in labore vno, quāuis honeſto atq; vtili, collocare: cum voluptas etiam ipſa, non tantum occupatio, pariat, ſi numquam fuerit interrupta, ſatietatem.

Cæterum

Ceterum hæc fuit ſemper rerum humanarum cõdicio, vt fluerent ſemper, & laberentur, a labore ad otium, ab otio rurſus ad laborem. & vidiſti hoc Auguſte optime, qui poſtquam terra marique pacem peperiſti, ciuilia bella compoſuiſti, Ianum clauſiſti, ciues conſeruaſti, legibus vrbem fundaſti, operibus ornaſti, ludis etiam & ſpectaculis, in quibus recte ac ſapienter certos ſedendi ordines graduſq; deſcripſiſti, hunc populum omnium victorem gentium, ac terrarum patronum, Romanos rerum dominos gentemq; togatam, ipſum ſenatum iudicem atq; arbitrum orbis terræ oblectandum putaſti: vt qui prœliorum labores & moleſtias exhauſerant, iidem pacis voluptate & gloria fruerentur. Quid illud? quod ſenatores ipſos, quorum numerus iam tuis legibus ad antiquæ maieſtatis dignitatem ſplendoremq; reuireſcit, noluiſti crebris coitionibus fatigari? cum bis tantum in menſe, Kalendis ſcilicet, & Idibus, niſi extra ordinem, vt nunc factum eſt, vocarentur, iuſſiſti conuenire? cum illis etiam (paucis exceptis qui forte ducerentur) quotannis duorum menſium Septembris & Octobris conceſſiſti vacationem? Quod ſi ſenatores, quibus iam deferbuerunt adoleſcentiæ cupiditates, quibus eſt magis reipub. cauſa laborandum, tuo tamen munere & conceſſu, Auguſte, vacui ſunt ac liberi Septembri Octobrique menſibus, cur non ſimili liberalitate adoleſcentes fruuntur, qui natura ſunt appetentiores voluptatis, qui hoc a te, ſuo licet iure, & veteri exemplo, ſummis etiam precibus efflagitant? quorum etiam nonnulli recenti tuo beneficio cum lato clauo & virili toga hic adeſſent. niſi, quod eorum cauſa agatur, aditu prohiberentur.

Valeat

Valeat hoc apud te Auguſte patriæ pater: agnoſcant paternam tuam erga ſe voluntatem adoleſcentes: de iis loquor, qui cum ſint auditores ſuperiorum ſcholarum ſunt quaſi patricij maiorum gentium: nam de aliis alia conſultatio eſſe debet, alius ſermo. & vos P. C. facite, vt veſtris ſuffragiis, adoleſcentium veſtrorum vitæ & incolumitati conſulatis, duobus hiſce menſibus, quos graue anni tempus, quidam e noſtrorum numero poëtarum, tibi Auguſte cariſsimus, appellat. date operam, vt veſtrum conſilium de adoleſcentibus cum Auguſti lege & iudicio de ſenatoribus conſentiat. Quas ob res. Quod Auguſtus conſul de feriis anniuerſariis ſuperiorum ſcholarum, deq; proferendis rebus ſcholaſticis, retulit ad ſenatum, ego pro mea ſententia hoc cenſeo decernendum. Quandoquidem Auguſti lege ſenatoribus cautum ac permiſſum eſt, uti in ſenatum ne eant Septembri menſe atque Octobri, eaque res accepta vulgo & celebrata eſt, idem ſenatus conſilium de adoleſcentium a ſcholis vacatione eſſe oportere. Vix adſederat Hilarius, cum incredibili lætitia & plauſu eius excepta oratio eſt: vt facile agnoſceres cunctis aſſentientibus victum eſſe Caluiſium: nec erat qui contradiceret. Tum Hilario Iucundo in certam ſubſelliorum partem tranſire iuſſo, imperauit Auguſtus diſceſsionem ſollemni forma. Qui hæc ſentitis, illuc tranſite: qui alia omnia, in hanc partem. Ita cum pedibus omnes ad Hilarium irent extra vnum Caluiſium, pars illa ſubſelliorum, in qua Caluiſius erat, nuda atq; inanis relicta eſt. cuius rei cum ipſum puderet, & ſubriderent omnes, ipſe vnus ringeretur, ſe ſe ad meliorem mentem partemq; conuertit.

Nec vero deſtitit, conſuetudinis ſeruandæ cauſa,

Au-

Auguſtus, ipſe quoque leniter arridens, quaſi vtramque numeraſſet partem, illud dicere. Hæc pars maior eſſe videtur. Nec mora interpoſitâ ſenatuſconſultum perſcribi placuit, cuius formulam adhuc teneo. C. Cæſare Auguſto XII. Cos. & L. Cornelio Sulla collega III. Kal. Septembr. in æde Apollinis, Scribendo affuerunt L. Iulius. L. F. Pontina Annalis M. Oppius. M. F. Terentina M. Valerius M. F. M. N. Meſſalla Æmilianus. Quod Imp. Cæſar Diui Cæſaris F. Auguſtus, Pont. Max. Trib. poteſt. XIX. Imp. XIIII Coſ. XII. Verba fecit de feriis anniuerſariis ſuperiorum ſcholarũ, deq; proferendis rebus ſcholaſticis, de ea re quid fieri placeret it: cenſuerunt, placere huic ordini vti adoleſcentibus maiorum ſcholarum data conceſſa permiſſa vacatio ſit immunis & libera in menſes duos proxime inſequentes Septembrem & Octobrem, vtiq; hac quidem in re, ea condicione ſint adoleſcentes, qua ſunt ſenatores, lege Auguſti. Qui ſecus faxit, eum ſenatum exiſtimare contra remp. facturum. Recitauit hoc S. C Auguſti iuſſu, cum honeſtiſsima L. Hilarij Iucundi, cuius ſententia obtinuerat, appellatione, L. Sextius P. F. Panſa, qui vnus dicebatur eſſe omnium vocaliſsimus. Et rogantibus patribus delatum eſt, non vt olim ad ædiles, ſed nouo Auguſti decreto. ad quæſtores, vt illud ad perpetuam rei memoriam inciſum in ære, in ærario ad Opis curarent aſſeruandum.

His actis, etſi, vt diei tempus erat, inſtitui poterat noua relatio, tamen quoniam extra ordinem coacti erãt ſenatores, die nõ legitimo, dimittere placuit. Itaq; Auguſtus: Nihil vos moramur, inquit, Patres conſcripti. Quæ cũ acta eſſent, diſceſſerunt omnes e tẽplo ego ſõno ſolutus

ſolutus ſum. Vos autem adoleſcentes, quorum gratia hæc fabella confiсta eſt, vobiſcum enim iam poſita perſona loquor, recte atq; ordine facietis, ſi huius vel ſomnij commento, vel ſenatuſconſulti, & horum patrum, quorum conſiliis noſtra ſtudia reguntur, beneficio, Deo in primis adiuuante ac propitio, fruemini. Valete, & plaudite.

DIXI.

ORATIO XV.

De officio docentis.

LONGE *aliter hodie faciam in inſtauratione ſcholarum, Auditores, atq; olim, quod meminiſtis plerią;, faciebam. Solebam ſuperioribus annis vel in laudem doctrinarum excurrere, vel ad cohortandos adoleſcentes quos inſtituebam accommodare orationem. vtrũq; erat & vtile diſcere cupientibus, neq; ab officio doctoris alienum. expergiſcebantur auditorum animi, & quod prudenti conſilio aggreſſi erant, vt flagranti ſtudio perficerent, incitabantur. mutabo nunc rationem præfationis, & de docentis munere atq; officio, quantum patietur breuitas temporis, & mei imbecillitas ingenij, ſi minus accurate & ſubtiliter, vere ac libere diſputabo. non erit hoc inutile noſtræ iuuentuti, cum mihi ipſe ſim indicturus legem recte docendi. & quoniam quæ ſub eamdem rationem cadunt ſimiles cauſas ha-*

ſas ha-

ſas habent, ex eorum contentione quæ ineſſe debent in docente, colligi congruenter poterit, quid in diſcente requiratur. Iam quoniam nec longiore vtendum exordio, vbi auditores ſunt parati, & res ad dicendum propoſita ſic ampla & copioſa eſt, vt verear, vt quod præfinitum eſt tempus, ſatis ſit ad perorandum, ab hoc initio & quaſi fundamento rem ipſam aggredior.

Tria ſunt, quantum ego quidem cogito, quibus carere non debet is, qui profitetur ſe aliis tradere liberalem artem quamlibet, & inſtrumenta doctrinæ, Scientia, Prudentia, Fides. neq; enim aut docet imperitus, aut recte docet imprudens, aut putabis te ſatis ab illo doceri, de cuius perfidia pertimeſcas. neſcit, cui deeſt ſcientia, cui prudentia, non poteſt, cui fides, non vult aliis prodeſſe. Iam ſi placet, ſingula perſequamur.

Eum igitur, qui alios docendi prouinciam ſuſcipit, quid doceat ſcire oportet. qui enim fiat vmquam vt quod quis non habet, aliis largiatur? aut vt cæcus regat errantes? ita, quemadmodum vſu venit, vt qui non paruit aliquando non bene imperet, cum modeſte parendo diſcatur ars imperandi: ſic etiam docere alios nequit qui non didicit: cum idipſum didiciſſe, videatur ars quædam eſſe docendi. quod ſi quis aggreditur monſtrare aliis, quod ipſe non vidit, aut amentis nomine, aut temerarij appellandus videtur. quid ni enim amens ſit, ſi ſuam inſcitiam neſcit, aut temerarius, ſi nouit quidem, ſed maiora audet viribus, & onus tollit humeris quod perferre non poteſt? at docendo diſcitur. hoc enim plerumq; iactari audio. itane? meo tu periculo doctior fias, & vbi me detruſeris in gurgitem, nandi imperitus, emergas? tu cum ignores ar-

res artem medendi, nec ſcias vtilia, quæ ægrotantibus præſcribas, aliorum interitu medicus euadas, & perniciosa a ſalutaribus diſcernas? tu ignarus quando & quibus mittendus ſit ſanguis, quantus etiam detrahendus, illud tantum ſuſpicans ex ſermone vulgi, nullum pene morbum eſſe, in quo vena non incidatur, peræque omni ætati ac ſexui; quomodocumq; affectis, quocumq; tempore ſanguinem mittas: ita vt imbecilli ſenes, ac pueri, grauidæ etiam mulieres, ea vi quæ ſuperat in corpore hoc modo erepta, plerumq; moriantur: aut hac ſaltem faciant abortum?

Bene quidem illi euenit, qui alienis admonetur exemplis: ſed ea oblata eſſe debent, non ſponte quæſita. pars ſapientiæ quædam eſt diſcere ab aliis, quod tibi ſit vſui futurum: ſed tibi vt proſis, experiri, quod neſcias an alius ſit profuturum, hominis eſt, qui nimium ſe amet, & præ ſua vtilitate negligat iura humanæ ſocietatis. Docendo diſcitur: hoc eſt fit progreſſio ad doctrinam: quæ augetur ſemper ex cognitione rerum præcurrentium, ſic tamen, vt habeas ante perſpecta & cognita quæ doces, neque in iis hæreas, nec vero eadem opera docere te poſſe & diſcere, arbitreris. numquam fiet, vt pro certis doceas illa quæ ambigis an incerta ſint: aut vt ea euellantur facile e mentibus addiſcentium, quæ imperitia inſerentis defixa fuere leuiter, neque altas nimium & firmas egere radices. Vere enim dictum eſt ab eo, per quem vera dicuntur. Nullus diſcipulus præſtantior magiſtro.

Atq; ego quidem, hac in re, vti ſoleo hoc exemplo: quemadmodũ aqua ſubit altitudinem exortus ſui, & in tantũ per ſiphones emicat, in quãta fõs eſt ipſe vnde

longiore tractu ducitur per libramenta: neque eam vim habet, vt altior aſſurgat: ſic etiam qui diſcit, vt quod eſt maximum aſſequatur, ſatis habet ſi adæquet ſcientiam docentis. quod ſi ea nulla aut falſa eſt, quid ſequatur vides. vt ſine dubio non doceri preſtet aliquem, quam male doceri. cum & ipſe ſe communi quodam vitio, quo laboramus omnes, quam ſit, doctiorem, ſit exiſtimaturus, & ſi forte ſuam norit imperitiam, a meliore magiſtro recoquendus, & prius quam docendus, dedocendus eſſe videatur. magno vtriuſque labore, cum quæ tenerum animum primum imbuere, difficile eluantur. hæc cauſa Timotheo fuit profecto tibicini, & muſicis erudito, vt duplo maiorem mercedem ab iis exigeret, quos alius inſtituiſſet, quam ab iis quos ipſe acciperet integros, & rudes. illo videlicet modo geminum eſſe ſuſceptum onus arbitrabatur. Minam, dicebat Cicero, Diogenes Stoicus Carneadi reddat, quem Dialecticã docuerat, ſi quid vitioſe concluſit: mina enim erat merces Dialecticorum. at qui auctor ſit, vt amittatur ab adoleſcente tempus, quo nihil pluris æſtimandum, vt tam bona ætas tam male collocetur, quid ei reddet, quem nihil ſapere docuit? qua ratione furtum tam inſigne compenſabit? cum præſertim reſtitui in integrum tempus, & quæ preteriit ætas aptiſsima ad diſcendum reuocari non queat. audiant me nunc, qui alios docent indocti, & dum impleant crumenam, etiamſi perleui adoleſcentiæ fumum vendant, & ventũ: quid enim aliud vana imperitiæ? nihil curant. Sed de hoc capite ſatis multa, nec nimium fortaſſe neceſſaria: quod vix quẽquam eſſe exiſtimem, qui os ita perfricuerit, vt docere audeat, quod neſciat, aut quod non habeat,

habeat polliceri.

Sequitur illud, cuius ignoratione plerumq; peccatur, vt oſtēdam prudentiam docenti eſſe neceſſariam, nec ſatis eſſe, vt quis habeat cognitionem rerum quas docet, niſi etiam teneat rationem & viam, qua docere poſsit. recte enim M. Tullius, Non ſolum ſcire aliquid artis eſt, ſed quædam ars etiam docendi. & certe cum in omnibus rebus tum etiam in tradendis artibus & diſciplinis opus eſt prudentia. Signum quidem ſcientis eſt docere, ſed vt doceat recte numquam ſine prudentia conſequetur. Debet enim cogitare, qui hoc muneris ſuſcepit ſua vt induſtria fiant alij doctiores, quo ipſe fungatur officio, quam perſonam ſuſtineat, quid poſsint ij qui docentur, qua ſint acie ingenij, quos progreſſus effecerint in litteris: neq; enim omnia omnibus tradenda ſunt eodem modo.

Primum igitur hoc ſecum ſtatuat, & præmeditatum habeat animo neceſſe eſt, illuc eſſe ſuas curas omnes & cogitationes conferendas vt proſit diſcentibus. Solent enim interdum multi non hoc quærere, ſed illud potius, vt ſint audientibus admirationi. vtuntur oratione celeri & concitata, exquiſitas ſententias voluunt, fabulas, aut hiſtorias mendaciores fabulis, neſcio e quo profundo eruunt, vt ignari adoleſcentuli, qui fabellarum auditione delectantur, illum adſpectantes, ob os eius ora obuertentes, ſimiles baronibus obſtupeſcant. interea tempus ſine fructu præteruolat, &, nihil aliud, magiſter ventoſus domum, diſcipuli inanes reuertuntur. Quid illud? quod ſæpe Grammaticam atq;, vt vineta egomet cædam mea, Rhetoricam profeſſi, in alienam meſſem, vt eſt in veteri prouerbio, falcem iniiciunt, cum & ille rethoricas,

& hic

& hic philoſophicas quæſtiones , non dico attingere, nam id interdum, cum res exigit, laudabile eſt: ſed ita ſubtiliter & copioſe enucleare volunt, vt nihil ſuperſit: quam imprudenter Auditores, vos ipſi intelligitis, cum & qui diſcunt percipere , & qui docent fortaſſe præcipere, ea quæ dicuntur, non ita facile poſsint. Quæ, malum, eſt ita hominum cura oſtentationis, vt quẽadmodum, maiores ſtatura, quam ſunt, ita etiam doctrina haberi velle videantur. Videas quoſdam exili corpore & puſillo, non extento ſolum collo, rectiſque humeris incedere, ſed ſummis etiam pedibus, atque adeo digitis ingredi, vt proceriores appareant. eodem fortaſsis modo iudices de non multum ſcientibus : inferunt, intrudunt, inculcant diſputationes de rebus abſtruſis (ſed apud eos quibus propter imperitiam non difficile imponant) vt exiſtimentur apti etiam eſſe ad maiora tradenda, & præſtanti abundare ingenio, ſingularique doctrina.

At, dicet aliquis, ego, & hæc, & illa, quæ calleo, magnifice explico, & explano facillime. Sed nunc non erat his locus. ad captum diſcipulorum accõmodanda diſputatio eſt : ſic vt, quemadmodum pueris infantibus nutrices primo lac præbent, tum manſa in os ingerunt, poſtmodum cruſtula dant, & tenerum panem, ad extremum ſolidum oſtendunt , comminuendum dente : ita etiam magiſtri, per rerum gradus, & ætatis imbecillam pueritiam erudiant, deinde firmiorem iuuentutem. Peracuta erat voce & magna Carneades, eam cum in docendo contenderet, implebat totum gymnaſium, vt aliis etiam impedimento eſſet. miſit ad eum Gymnaſiarcha, vt remiſsius doceret: cui Carneades, Da vocis modum : at ille, Dabit auditor, nempe, pro

pro auditorum numero, intendendam eſſe vocem ac remittendam putabat. eumdem modum nos ſeruandum eſſe arbitramur in doctrina, vt ne plura dicas, aut ſubtiliora, quam capiat animus audientium. cibus eſt quidem neceſſarius tuendæ valetudini, ſed ſi ægrotus, aut infirmus, plurimo veſcatur, vt coquere eum non liceat. & in ſanguinem conuertere, non reficientur corporis vires, ſed obruentur. idem de doctrinæ cibo illo animorum debet eſſe iudicium. vt enim corporum, ſic etiam animorum, non eſt eadem conſtitutio: alij magis, alij minus recte valetes: ſunt quidam acuto. ſunt quidam hebeti ingenio. nec illis eadem ratio victus, neque his præſcribenda eadem diſciplina.

Teneat igitur oportet magiſter venas ſuorum auditorum, cognoſcat quo ſua natura quemque ducat, & quatenus proficere poſsit. neque enim nunc id agitur, vt ipſe veniat in opinionem doctrinæ, ſed vt quos ſuſcepit inſtruendos, recte atq; ordine inſtruantur. ſatis erit in numero doctorum, ſi adnitetur vt qui dant operam ſibi, eam cum oleo non amittant. præclare Alabandenſis Apollonius. docebat hic Rhetoricam mercede: ſed eos tamen quos iudicabat non poſſe oratores euadere, dimittebat, & ad quamcumque artem putabat eſſe aptos, ad eam impellere atque hortari ſolebat. quid enim inuita Minerua fieri queat? Labor & diligentia corrigit & ſuperat vitia naturæ. tanto magis pertinet ad officium eius qui alios inſtituit, vt ea in re ne plus progredi velit, quam eorum virtus facultaſq; patiatur. quod ſi ſapiens eſt homo, & multarum rerum peritus, vt par ſit difficiliori etiam ſcholæ explicandæ, ſeruet mihi iſtam doctrinam ad aliud tempus, agat interea hoc quod agit: ne dum affectat

nomen

nomen ſcientis, in imprudentis crimen incurrat: neq; enim interdum minor laus eſt in docendo uti moderatione, quam effundere quam plurima, ut diſcentes onerentur. Volucres cum pullos ſuos volatum docent, paulatim extollunt corpus connitentes alis, ut idem ipſi facere condiſcant, ubi nonnulla eos conſuetudine vident factos audaciores, & volitare alacrius, liberiore niſu eoſdem prouocant ad altius euolandum. qui equos depulſos a lacte fingit ad bellicum laborem, non continuo habenas & frenum ori inſerit, ſed molles capiſtros, quos proceſſu poſtea ætatis, cum experiri libet an equitem ferant, neque omnino videntur intractati & noui, in duriora conuertit. denique pueros quos volumus eſſe peritos natandi, non ſtatim in altum adducimus, illud tantum præcipientes ut aquam ſcindant, namque hoc modo mergerentur. ſed ſtatuimus in littore, ſuccingimus cortice, qui laborent minus. facilius ut nent, & moueant manus: ſimilia dicerentur de ambulare diſcentibus, aut ſcribere, cum & illi vehiculis adiuuentur & ſerperaſtris, & hi ſulcis per quos duci debeat calamus, paginæ ſuppoſitis. Sed ea omnia, quæ ſupra poſuimus, ſatis eſſe potuerunt, ut oſtenderemus proprium eſſe illius qui qualibet in arte erudire iuuenes utiliter cupit, ut non quantum ipſe docere poſſit, ſed quantulum ipſi addiſcere, prudenter agnoſcat. parua enim ſunt rerum principia, ſed ſuis uſu progreſſionibus augentur. ita in docendo, non ſolum ſcientia magiſtrorum, ſed etiam prudentia deſideratur.

Sequitur, tertium ex iis quæ propoſueram, fides. fidem cum dico, cetera intelligo quæ magiſtrum perfectum facere videntur: ſiue cum labori non parcit. ſiue

cum pueris non tribuit multa, nimium blandus, vt animos arroganter extollant, nec rurſus adimit ſeuerius, vt abiiciant: beneuolentia ducatur, & amore quodam, quo homines capimur, operis noſtri, paternam induat mentem, ea ſolum feratur gloria, ea ardeat cupiditate, vt diſciplinæ alumnum ſuæ ornet ac perpoliat diligenter: non arbitretur omnia diſcipulo ſuopte Marte agenda, adiuuet & regat laborantem: quin etiam quo ipſe magis videt quid ſit agendum, plus ſuſcipiat fructuoſi laboris.

Sed hoc loco admonendi mihi eſſent noſtri doctores, vt ne quo ipſi ſolleꝛtiores ſunt, atque ingenioſiores, iracundius & laborioſius docere videantur: plerumque enim hoc contingit, vt diſcruciemur, cum videmus tarde percipi quæ ipſi celeriter arripuimus. Præclara quidem eſt ars docendi, quis neget? cum qui docet excellat, ſed ea eſt tum negotioſa, tum etiam moleſta. Præſto diſcipulis eſſe debet magiſter, illis accommodare aures, aliquorum ſtultitiam perpeti, dum ſapientiores fiant, arrogantiam perferre, dum euadant modeſtiores, difficultatem exorbere, dum penitus excolantur. commiſſos in itinere exiſtimet ſibi tamquam duci ignaros viæ, agique fidem & exiſtimationem ſuam, niſi ſaluos & incolumes ad finem perduxerit. non plane laudatur opera, niſi exiſtat opus. non eſt ſatis docere iuuenem, niſi appareat doctus: nec perfecte eruditus dicendus eſt, cum eſt aliquid addendum. Vt enim gubernatori ſecunda nauigatio, medico ægrotantis ſalus, imperatori victoria, ſic iuuenis moderatori propoſita eſſe debet eius artis quam profitetur abſoluta perfectaque doctrina, quam ad rem nemo non videt egregiam deſiderari docentis voluntatem & ſingularem conſtã-

tiam ac fidem.

Quam quidem ego, vt me ipſe tandem reſpiciam, & vobiſcum loquar, Adoleſcentes, quoniam ad voluntatem pertinet, ſpondeo vnam ac polliceor. nam ceteras duas æque recipere non poſſum. non nego me optimo vſum magiſtro in omni vita nihil ferme aliud egiſſe, quam vt ad aliquam ſcientiam peruenirem: an aſſecutus ſim quod ſequebar aliorum ſit iudicium, illud ſolum profiteor, me vt aſſequerer omni contentione laboraſſe. quod ſi vſus eſt magiſter prudẽtiæ, & diuturna conſuetudo ingenium & artem perſæpe vincit, tum tot iam annis in eodem opere verſer, vt nihil dicam aliud, vobis videlicet aſſentientibus, illud præ me libere ac ſimpliciter feram, non eſſe me rudem magiſtrum aut nouum: perſpicere etiam potuiſſe tam longo tempore, quæ ſit via & ratio erudiendæ iuuentutis. ſed tamen ſcientiæ, aut prudentiæ laudem non mihi aſſumo, fidem certe, vt ne quiſquam deſideret, omni ſtudio curaque conabor. Si illud vos contra contendetis Adoleſcentes, vt veſtro officio fungamini. fruſtra enim iaciuntur ſemina, niſi mollito & ſubacto ſolo ſuſcipiantur. audire videor, quod veſter animus geſtit dicere, vobis non defuturam diligentiam. at ego vobis viciſſim promitto mihi fidem non defuturam: ita tentabo primum quid vobis oneris imponi poſſit. quid ferre recuſent, quid valeant humeri. quod ſi facile non percepturi videbimini quædam, quæ ſunt artis intimæ, vt non leui coniectura ducor ad ſuſpicandum, date mihi hanc veniam vt libere proloquar, quæ ſentio. faciam vt mea docendi ratio veſtro captui proportione reſpondeat, idq; hoc ipſo die libẽter prædico, atque præmoneo, vt ſi qui e vobis Auditores eruditiſsimi, velit

interdum ſua præſentia meam ſcholam honeſtare, quod ſæpe factum ante hac lætor, neque vmquam obliuiſcar; & incidet fortaſſe in diſputationem de rebus leuioribus, & ſi leuiora nonnumquam varietate condientur, ſimul & factum diiudicet, & recordetur conſilium meum.

Ego quidem aliud nihil exiſtimo eſſe mearum partium, niſi vt his, qui meæ fidei ſunt traditi poſſim prodeſſe: ſatiſq; illuſtrem meam fore gloriam, non vt ego aliquid ſcire, ſed vt ipſi aliquid diſcere iudicentur. quorſum enim dicantur auditu pulchra, ſi meis diſcipulis ſint intellectu difficilia? non faciam vt vel ego in dicendo, vel in audiendo ipſi operam ludere videamur. excuſabitis vos factum, vel potius laudabitis, nec dabitis ſolum veniam, ſed prope habebitis gratiam, cum perſuaſum ſit, quicquid habeo virium, atque induſtriæ, in horum vtilitatem qui nobis dabunt operam, non in qualiſcumq; doctrinæ oſtentationem, conferre. quod eo faciam libentius, quo magis id negotij videor non proximo ſolum anno, ſed etiam, ſi vos ita iubebitis, Patres Religioſiſſimi, & ſi vita ſuppetet, aliis ordine conſequentibus, hodierna præfatione ſuſcepiſſe.

DIXI.

ORA-

ORATIO XVI.

Laudatio Gregorij Tertiidecimi.

ET HESTERNVS dies, quem ſollemni quadam & acerba commemoratione recoluimus, Patres religioſiſſimi, & huiuſce parietes aulæ, non magis pictorum artificio viſendi, quã operum argumento, quæ expreſſa cernuntur, & tacitus quidam veſtræ mentis ſenſus, & cogitatio, ita meos oculos animumq; mouerunt, vt lingua, fidelis adminiſtra pectoris atq; interpres, nunc demum ſuo ſibi videatur fungi officio, cum de Gregorij Tertiidecimi Pôt. max. cuius memoria ſancta eſt, laudibus aliquid attingit: atque id quidem, tum communis officij ratione, tum magis ingenij exercendi voluntate. Nam ſi ad exercitationem adoleſcentium, qui in rhetorica palæſtra verſantur, ea plurimum valent, quæ plenam materiam atquè vberem præbent: tanta vis rerum & copia exiſtit e laudatione viri omni laude digniſsimi, vt non oratoribus modo, ſed etiam poëtis, & pingendi omnibus fingendique artificibus acuere poſ it ingenia, vt vno omnes hauriant e fonte, quem numquam exhauriant.

Vtinam tanta mihi eſſet vbertas ingenij, facultaſq; dicendi, vt ſaltem eius culpa ne detereretur, quod à me amplificari non poteſt: conarer aliqua ex innumerabilibus eligere, quæ vobis conſtituerem ante oculos;

vt etiam menti ſubiicerentur: e quibus, quanta fuerit virtutum, quibus Gregorius eluxit, magnitudo & excellentia, poſſetis recordari. Nunc quoniam tot ea ſunt, & tanta, vt ſummam patiar e copia difficultatem, & impediat turba delectum, date hanc mihi veniam auditores, vt breuitatis cauſa, meæq; conſcius imbecillitatis, ſeparem vnam ſolum, ſed eam ita copioſam & abundantem, vt fons poſſit eſſe multarum: vſque adeo, vt de illa dicenti mihi, quamuis infanti, deeſſe non poſſit oratio. Itaq; vt omittam omnia, quibus ſanctiſſimum expreſſit principem, optimumq; Chriſti vicarium, cui æque atque beatiſſimo Petro commiſſa eſſet nauis (vt ita dicam) terræ, & clauis cæli: ſileamq; maximas illas virtutes, quæ eſſe poſſunt aliis exemplo, religionem, ſcientiam Dei colendi, integritatem, innocentiam, prudentiam, iuſtitiam, moderationem animi, temperantiam, manſuetudinem, clementiam, pluримaſque alias, quæ ſingulæ volumen prope ſuum, non tantum orationem, deſiderant: dicemus nonnihil de eius benignitate, ac beneficentia: de ea ſcilicet virtute, qua ad Deum maxime accedere homines Pythagoræ videbantur.

Ingredimur igitur auditores in vaſtum Oceanum atq; immenſum: ſed mihi veſtra opus eſt aura, vt recte videlicet vtens curſu, in portum perueniam incolumis: id eſt, vt me de Gregorij pontificis maximi atq; optimi benignitate dicentem benigne audiatis. Quoniam autem benignitatis quoque nominis magna vis eſt, ac poteſtas: ne permiſte confuſeq; multa dicantur, hoc ipſum ita diſtinguam, vt quandoquidem tripartita omnis hominum eſt benignitas (aut enim res aliorum externæ adiuuantur, aut corpus, aut deniq; animus) hoc

hoc triplici quaſi capite concludam omnem Gregorianam beneficentiam : etſi non ignoro futurum, vt maxima pars eorum, quæ in oratione ponentur, ſit eorum minima, quæ in veſtra cogitatione relinquentur. Vnde autem incipiam in eo capite, quod ad res pertinet externas? Dicam ne de rebus, quibus adiuti ſunt ornatique, non dico ſinguli homines, aut familiæ, non hæc ipſa vrbs ſolum, aut Italia, ſed Europa ipſa, ſed Africa, ſed Aſia, ſed orbis Chriſtianus, aut etiam terrarum vniuerſus? Nimirum Solis quamdam ſpeciem atque imaginem præſeferebat Gregorius, vt non in proxima tantum loca & vicina, ſed in remota etiam ac longinqua ſua ſpargeret radios benignitatis.

Licet nunc ex iis, quæ videmus, aut videre potuimus, coniicere ea vera eſſe, quæ ab aliis allata terris ad noſtras aures acciderunt. In hac certe vrbe, matre vrbium, ac regina, quis locus eſt qui non Gregorij pontificatus memoriam repræſentet? Aqua Virgo nomine in celeberrima vrbis loca deducta : lacubus e marmore ſummo artificio conſtructis fontes publicæ vtilitati & iucunditati aperti. Quid hac liberalitate vtilius? Quid hoc munere præſtantius? Quid enim magis neceſſarium vitæ hominum, quam aqua? Sed, vt hæc omittamus, vidiſtis auditores pontem illum, qui ſiue Senatorius olim a ſenatoribus, ſiue Palatinus dicebatur a propinquo Palatio, qui via quondam Aureliæ in maritima Tuſciamque mittebat. hic pons deturbatus erat ſuperioribus ſæculis, & quamquam refectus etiam ac reſtitutus ab aliis, cum tamen vim temporis, atq; aquarum iniuriam non ferret, plenam fere atq; integram perfectæ rei laudem Gregorio reliquit. Ea enim decebat tranſire mortales via breuiore, vt facilius

lius pia vrbis loca templaque alia atque alia ab eodem inſtaurata admirarentur. Quamquam non in hac vrbe ſolum ſunt pōtes conſtructi, aut complanata via atque directæ: ſunt etiam pontes alij multi, viæq; plurimæ, quæ commode ad vrbem ferrent: e quibus exempli cauſa pauca aliquot proferentur.

Quis veſtrum ignorat, auditores, pontem Paleæ via Caſsia ad Aquam Pendentem, diruptum olim ac dirutum, ita formidoloſum fuiſſe viatoribus atque infeſtum, vt in eo quotannis non pauci pedites equiteſque mergerentur? Hunc nouis erectis aggeribus firmandum, ac multo ampliore forma reſtituendum curauit: vt omnes, qui illac tranſeunt, non deſinant bene precari illi, cuius prouidentia factum eſt, vt læti iam deſpiciant, quæ dudum pericula metuebant. Sed vbi te relinquam via Flaminia, eaque quæ Camertem agrum diſcriminas? quas difficiles ſuperioribus temporibus, & lubricas, ita concinnari iuſsit ac ſterni, vt eſſetis quoque quadrigis ac vehiculis perviæ? Vbi vos relinquam Anconæ portus, atq; arx vetuſtiſsima, voſq; Centum Cellæ, quas magno ſumptu opereque muniuit? An non hæc omnia ea ſunt, auditores, vt veterem Romanorum animi magnitudinem referre videantur? Quod ſi & ea quæ videmus quotidie, & ea quæ videre poſſumus, quippe vrbi proxima, tanta ſunt, vt omnem ſuperent dicendi facultatem: quid tandem de iis coniicere liceat, quæ ſimili animo parique beneficentia, aut munificentia potius, ab eodē effecta eſſe audiuntur? Certe, vt hæc omnia concludantur paucis, hæc dicere videmur poſſe: Gregorius Tertiuſdecimus vias aperuit, recluſit, ac muniit portus, pōtes perfecit, itinera terris, littoribus mare, littora mari

reddi-

reddidit, ut omnium fere terrarum proſpexerit utilitati.

Creſcit mihi opus, auditores, & quo progredior magis, eo in vaſtiorem me altitudinem, & quaſi profundum inuehi ſentio: quo magis nihil intermitti debet de veſtra aura benignitatis. Quamquam video, hæc dum dicuntur, imminui potius, quam, non dico ornari, ſed exponi oratione: vt ſatius fuiſſe videatur uti ſilentio. Sic enim ſe res habet. Res paruæ facilius dicuntur ab oratoribus, quam maximæ: quod illæ augeri queunt: maximarum autem tale ingenium eſt, vt quoniam neq; tantæ explicari poſſunt narrando, quantæ ſunt, minuuntur potius & attenuantur, cautius futurum ſit eas ſilentio præterire, vt mens ipſa earum ſibi magnitudinem cogitatione depingat. Sed quæ noſtra eſſet culpa, ſi de rebus magnis atque eximiis recuſaremus loqui propter conſcientiam noſtræ exilitatis? excitemus potius noſmetipſos, omneſque acuamus vires ingenij: conemur plus etiam quam poſſumus: quando non erit periculum, ne in eo, quod æquare non poſſumus, nimij fuiſſe videamur. Venio enim ad eam partem, qua pollicebar me dicturum, quam benigne feciſſe videatur Gregorius hominibus, iis in rebus, quæ ad eorum corpora vitamque pertinebant. Hic autem, Deus immortalis, quot mihi ſe offerunt viduarum agmina, puellarum cœtus, puerorum ordines, ægrorum examina: orborum greges, inopum exercitus? Quot ille familias? familias? quot pene nationes ſua ſuſtentabat pecunia? quot virginum millia quotannis collocabat? quam multos quotidie captiuos redimebat, & a prædonum ſeruitute liberabat? quot principes regeſque contra Catholicæ

 hoſtes

hoſtes fidei ac perduelles, auro atq; argento, illis nimirum belli neruis, adiuuabat? Neminem nominabo: ne ſi aliquos, accuſer obliuionis, quod alios reliquerim: ſi omnes, imprudentiæ, quod oratio nimium excurrat.

Cogitabat enim vir excellenti vigilantia, quæ eius nomini mirifice congruebat, ſe patrem eſſe patronumque orbis Chriſtiani: eamq; ob cauſam id agebat, vt ſua liberalitas ac munificentia in omnes extenderetur. Et incidit ſummo Dei beneficio in eum annum, quem olim ſæcularem, quod eum ſemel tantum liceret inſpicere, nunc contracto nimirum ſpatio luſtralem, piacularemque, a luſtrandis expiandiſq; criminibus, appellant: quo anno vniuerſus ſe in hanc vrbem terrarum orbis effudit. Hanc occaſionem ratus ſanctiſsimus pontifex innumerabilium occurrendi inopiæ, & peregrinorum neceſsitati, ita ſe geſſit, vt vniuerſa gens Chriſtiana ad vrbem quidem Romam, quaſi ad communem omnium patriam, arcemq; omnium nationum, tot martyrum, apoſtolorumq; conſperſam ſanguine, ditatamque reliquiis, veniret libentiſsimis animis, ſed ad Gregorium etiam communem parentem, qui cæleſtibus diſpenſandis terreſtribuſque theſauris, quæ pertinent ad animorum ſalutem, omnibus; quæ ad corporum vtilitatem, petentibus ſuppeditaret.

Audiuimus ſæpe permultos, qui ſuauiſsimo eius ore conſpecto, ac plenißimo dignitatis, non dubitarent dicere mortem iam ſibi grauem non futuram. Non deerant, qui aliquot ſibi annos de vita demi optarent, vt ad Gregorij vitam adderentur. Nemo erat, quin eo paſtore ac præſide felicem iudicaret gregem, cœtumque Chriſtianum. Neque id mirum. Alebatur enim Gre-

gorij amplitudini, qui de Gregorij liberalitate alebantur. Et qui hoc videbant, quoniam ſumus Chriſtiani omnes vnum corpus, cuius caput Chriſtus, & ſecundum eum Chriſti vicarius Romanus pontifex, perinde aliorum membrorum accipiebant beneficium, atq; ſi eodem ipſi afficerentur: ex quo mira omnium exſiſtebat voluntatum vocumque conſenſio. Iam quid dicam de ea pietate, numquam reticenda, ſemper prædicanda, qua Chriſtianorum animos optimis litteris & moribus, Hæreticorum, Catholicis præceptis atque inſtitutis, atque, vt vno verbo dicam, Ethnicorum, veræ myſteriis religionis curauit excolendos? hoc vero tantum eſt, vt ſi taceantur omnia, vnum eſſe poſsit pro omnibus, nec ab omnibus dicendi magiſtris ita extolli, vt non ſe inferiorem multo omnis cognoſcat eſſe eloquentia.

Humanum eſt ſubleuare egentes in rebus externis, conſulere ciuitatem gentium vtilitati, atque ornamento: regium dare vitam pluribus, & nouam quaſi conſtituere fortunam, arcere mortem, vitam proferre: illud certe, de quo nunc dicimus, proſpicere animorum incolumitati, Chriſtum inſerere in hominum pectoribus, Satanam euellere, afferre lucem, expellere tenebras, Apoſtolicum tantum appellare poſſumus atque diuinum. Neque vero eſt hoc vt probemus, ita longe progrediendum: docent, aut clamant magis, tacito quodam præconio huius parietes Gymnaſij, qui noſtris obiiciunt oculis quot Collegia pater ſanctiſsimus, quot ſtudioſorum cœtus, quot Seminaria vel fundarit, vel inſtituerit, vel promouerit, vel perfecerit, vel inchoauerit in toto orbe terrarum. Plus profecto hic licet inſpicere oculis, quam ſibi mens effingere potuiſſet: nec ſatis prudenter

denter agerem, ſi ea nominarem verbis, quaſi non eſſent omnibus expoſita. Facerem vobis iniuriam Germani, Britanni, Pannoni, Græci, Neophyti, ſi ea dicerem de vobis, vobis præſentibus, de quibus vos ipſi vel ipſo aſpectu teſtimonium ferre ac dicere poteſtis: quaſi vero vos non veſtrum agnoſcatis, atque in animo non habeatis patrem, vt ſitis ad eius memoriam excitandi. Neque enim credo ſine cauſa illa vos tabula ad pedes pontificis optimi facit procumbentes: etſi non vos ſolum in genua video prouolutos, ſed aliquos etiam patres huiuſce noſtri Collegij.

Video pontificem, non caritate minus, quam maieſtate, conſpicuum, bene precantem a Deo illis, quibus ipſe benefecerat: venit mihi in mentem eius diei, quo ſextum fere menſem, antequam desereret terras, in hanc venit aulam, atque eo in loco ſedit, vbi audiuit orantem, & auditus eſt omnem laudem referens ad bonorum omnium auctorem & conſeruatorem Deū. Acerbam deinde cogitationem excito ad dulcem illam memoriam, cum conſpectis hiſce omnibus Collegiis ac Seminariis, profeſſus eſt hæc a ſe fieri quidem debuiſſe, ſed a nobis prædicari noluiſſe. Ita erat deſpiciens laudis, & diligens effector rerum quæ eſſent laude digniſſimæ. O ſi eam tibi ſanctiſsime pontifex, atq; optime, dediſſet vitam Deus immortalis, quę tuę æqualis mēti fuiſſet: huicq; ipſi non tantum Collegio, quod a fundamentis excitaſti, vidiſſes impoſitam manum extremam, atq; faſtigium: ſed etiam audiſſes Iaponios regulos tam lōga nauigatione ac difficili in patriam rediſſe, multoſq; ad Chriſti religionem conuertiſſe, quæ tuo propagabatur imperio: cumulatus, credo, fuiſſes ampliſsimis gaudiis, quam-

quamquam tu ipſe videris quodammodo tuum tibi prauidiſſe ac prædixiſſe deceſſum, cum in frequentiſſimo cõſeſſu patrum purpuratorum, in conſpectu totius vrbis, quæ eo confluxerat, cupidæ oculos explendi numquam viſa ãte illum diem poſt homines natos legatione, humane amplexus prolixaq; beneuolentia adoleſcentes, qui tuos ſanctiſsimos pedes nomine regum cognatorum atq; affinium oſculabantur, eas profudiſti voces e ſacrarum monumentis litterarum, quibus Simeon ille vir iuſtiſsimus, viſo ſalutis auctore, iucundam ſibi mortem fore prædicabat.

Et certe ab eo die agebatur dies duodeuigeſimus, cum placidiſsima requiete obdormiſti: vt vnus ille non interitus, ſed ſomnus potius fuiſſe videatur. Neque enim aliter videtur mors appellanda iuſtorum, eorumque qui ita vixerunt, vt ſi eſſet quotidie moriendum. Quod tu quidem maxime in extremo tempore oſtendiſti, cui cum medicus e venarum pulſu, quem attigerat, vix ſemihoram ſupereſſe ediceret vitæ, nullus animo timor obortus, nullus horror corpori, nullus dolor ſummi imperij relinquendi. Quippe, auditores, non nouum videbatur principi integerrimo & Chriſtianiſsimo, qui ſe hominem eſſe meminerat, eaque in cogitatione perpetuo vixerat, de vita eſſe demigrandum, atque hoc ipſum relinquendum ſiue corporis tabernaculum, ſiue terræ diuerſorium. Compoſuit ſeſe ad tranſitum, atque inſtructus Chriſtiano omni viatico migrauit ad Chriſtum, in quem iam erat corpore & animo totus intentus. Et tua quidem nos reliquiſti præſentia corporis, pater benigniſsime, tutor pauperum, ac patrone clementiſsime: tua nos non relin-

relinquet vmquam memoria: nec relinquet, vt ſperamus, etiam poſteros in omnem æternitatem.

Vos illum Italicæ exteræque nationes, vos Armenij, Turcæ, Poloni, Indi, Perſæ, Tranſiluani, Syri, Iaponi, Britanni, Germani, Pannonij, Græci, Neophyti: vos patres religioſiſſimi, quorum ordo eſt prope per totum terrarum orbem Gregorio adiutore diſſeminatus, aſſidue celebrabitis: urbs ipſa Roma, hi parietes, hæc tecta, hoc Collegium perpetuam eius memoriam debitamq; ſeruabit: nec quiſquam hoc vmquam in Gymnaſio, & Seminario orbis terrarum, aut docebit, aut diſcet, quin ſe omnia Gregorio Tertiodecimo debere fateatur. Certabunt omnes tuas prædicare laudes: hoc ſincerius, quod a nobis corpore abes: hoc libentius, quo eas magis viuus refugiſti. Tuere tu, obſecro, tuis effuſis apud Deum precibus, tua omnia opera ſiue inchoata, ſiue perfecta. Ne obliuiſcere Societatem Ieſu tibi addictiſſimam, hoc Collegium, quod te meritiſſimo parentem optimum ac fundatorem appellat. Nos quidem, quando aliud non poſſumus, ſuauiſſima oblectamur memoria tui, tuaq; erga nos beneficia gratiſſimis animis proſequimur: & quando eas tibi agere gratias, quas volumus, non poſſumus, eas ſaltem habemus, quas poſſumus, & habebunt poſteri omnes ſine vlla exceptione.

Dum domus Æneæ Capitoli immobile ſaxum
Accolet, imperiumq; pater Romanus habebit.

DIXI.

ORATIO XVII.

In funere M. Antonii Mureti.

TRISTE *ſane atque acerbum, ſed ſollemne tamen ac iuſtum, Cardinales illuſtriſsimi, inſigni pro veſtra pietate, atq; egregia erga eum voluntate, qui vos viuens perpetuo obſeruauit, officium ſoluitis M. Antonio Mureto mortuo: cuius vel ipſo commemorato nomine, ſingularis quædam ſpecies omnis eruditionis, atq; eloquentiæ, animis audientium occurrit. Nihil videlicet prætermittitis, quod pertineat ad illius mortem celebrandam, qui cum viueret, ſummorum virorum funera laudationibus perſæpe ampliſsimis honeſtauit. Quo in officio, etſi ſapienter illud etiam cogitaſtis, vt quemadmodum homines plerumq; quibus viui florebant maxime, iis mortui honoribus afficiuntur, ſic etiam princeps ille oratorum non careret cultu aliquo orationis, & qui dicendo tam multa tractauit argumenta, fieret ipſe dicenti argumentum: ego tamē, qui & veſtra auctoritate, & ſuperiorum meorum permiſſu, & mea etiam nonnulla, ingenue vt fatear, inclinatione voluntatis, atq; vt ipſe interpretor, erga magiſtrum meum pietate, hoc dicendi onus non poſtulaui quidem, ſed oblatum non recuſaui, vereor, ne & præter expectationem veſtram, & contra volūtatem meam, mea apud vos infantia, mortui deſide-*

rium

rium non minuam, ſed augeam: neq; illud tantum dicendo confirmem, quod vos vel nemine dicente intelligitis, ad Muretum laudandum, eo ipſo qui laudatur, laudatore opus fuiſſe: ſed admoneam etiam eloquentiam ipſam deceſſiſſe cum homine eloquentiſſimo.

Sed quoniam æquiſſimum eſt, vt qui plurimum debet, etiam ſi reddere non poſſit quantum debet, velit reddere quantulum poteſt, illud in hoc præſtando, futurum mihi perſuadeo, vt ſi minus eloquens ac prudens, at certe beneuolus habear & pius: cum oſtendam illud vnum, quod ſciunt permulti, huius vocis, qualiſcumq; tandem eſt, fructum, ei potiſſimum deberi, qui illam aliquandiu hortatu præceptiſque conformauit. Incitant præterea currentem diuerſis ſtimulis & amor, & dolor, qui mihi non tantum a vobis veniam impetrabunt, ſed per ſe etiam afferent, vt ſpero, opem. Nam ſi amor, vt eſt in veteri prouerbio, muſicam docet, docebit fortaſſe & lamentationem: & ſi doloris magnitudini vis quædam dicendi proportione reſpondet, patefaciet ille ſe quidem in oratione maximum, vt debet: ac ſimul aperiet, non elegantis quemdam dictionis ornatum, quem aſpernatur ac reſpuit, ſed gratum dicentis animum, atque eximiam voluntatem. Amor porro erga Muretum meus, is eſt, quẽ per ipſos duos & viginti annos ſpectata ampliſsimi viri virtus, & erga me beneuolentia excitauit: dolor vero ex eius deſiderio tantus, vt cum emineat e vultu atq; extet, nihil opus ſit, cur id faciam, quod olim hiſtrio Polus, qui ad verum dolorem imitandum, in ſcenam filij oſſa & vrnam dicitur intuliſſe: cum præcipue ſanctiſſimum hoc templum, in quo

di teſtamento voluit, ipſum mihi videatur ante los ac prope in conſpectu conſtituere.

Dicam igitur, quando ita res tulit, paucas quaſ- n e plurimis M. Antonij Mureti laudibus: neque m poſſunt tam breui tempore numerari omnes: ue ad eius formam & praeſcripta me fingens, ea r ratione dicendi, quam ille, ſi praeſens eſſet corpo- , quem animo intueor, probaturus videretur. autem, Auditores, quibus pleraque nota ſunt nia: totos enim annos quinque & viginti, vir ni honore ac laude digniſſimus, in hac vrbe vi- , id eſt in hac luce ingeniorum, in hoc clariſſi- orbis terrarum theatro, & quidem cum eſſet marum partium: nolite quaeſo ex iis rebus poti, quae a me dicuntur, quam ex iis, quae ſciuntur a is, eius laudes ponderare, qui fuit ingenio, doctri- eloquentia, ratione vitae mirabili ad laudem, ac pe ſingulari. Sed hoc agite. quaecumque a me nom- entur in oratione mea, ea vos taciti mentibus ve- s ſubiicite: & quarum rerum quaſi capita bre- er attingam, ac ſi in formula & carmine praeirem eas excipientes, reliquas aſſenſu & cogitatio- proſequimini. Vnde igitur in te ornãdo & laudan- , quo minus tam multis praeſentibus reprehendar , Murete incipiam? An a patria, & genere, & pa- tibus? Haec certe talia ſunt, vt cum ipſa magnam ti- ttulerint laudem, tum vero etiam a te acceperint minorem.

Natus eſt enim, auditores, M. Antonius anno poſt riſtum natum CIↃ. IↃ. XXVI. menſe Aprili, in llia, in pago ſuburbano Lemouici, cui Mureto nomẽ, o honeſtiſsimo patre iuriſconſulto, genere perãtiquo & na-

& nobili: quippe quod & pagum illum antiquitus poſſederit, unde etiam familiæ nomen, & quadringentis abhinc annis tulerit Stephanum Grandimontenſium ordinis auctorem, virum ſanctiſsimum, atq; hominem in corporis afflictatione ſingularem: cuius dies feſtus in idus Februarias incurrit. Sed non nititur maiorum meritis Muretus: talis enim fuit ac tantus, ut etiam ſi preclari generis ornamenta defuiſſent, ſummum ipſe generi ornamentum eſſe poſſet, & ſuarum ſplendore virtutum afferret lucem maioribus etiam obſcuriſsimis. At ſi hoc omittimus, dicemus ne, quod eſt proximum, de bonis corporis, & quadam oris dignitate? At turpe dicebat quidam e Romanis imperatoribus, cum animum habeat homo, laudem captare ex corpore.

Itaq; hæc etiam pretermittantur: non quidem quod non preſtanti ſpecie ac decora forma fuerit ipſe, tali nempe, qualem eum pleriq; vidiſtis: ut videretur pulcherrima eius anima aptiſsimum ſibi diuerſorium, in quo habitaret, vel optaſſe, vel finxiſſe: ſed quod multò maior atq; excellentior animi pulchritudo rapiat atque abſorbeat orationem meam, quæ etiam ut hæc minora relinquam hortatur. At in preſtantiſsimis eius animi virtutibus, quas potiſsimum delibabo, ut magis predicandas? quas etiam, in hiſce anguſtiis temporis, minore iactura preteribo? Nimirum hoc illud eſt, quod ante audiueram, æque magnũ eſſe ac difficile, eum laudare, in quo maxime ſunt laudes; atq; eum, in quo nullæ: quod in altero res ipſæ deſint orationi, in altero rebus ipſa deſit oratio. Perſtringam ne paucis ipſius initia diſcendi, atque educationem puerilem?

Sed vereor, ne, ſi dicam id quod res eſt, videar multa quidem veritati tribuere, ſed plura beneuolentiæ. quod tamen nemo exiſtimare debet. Ego ne hoc ſuſcepto vitæ inſtituto, in hoc templo, in tam nobili cõſeſſu, in tam ampla materia, atq; vberi, ea ſciens dicam, quæ ſciam poſſe vel tacentium iudicio refelli? Velim ne tam multos viros primarios eſſe cupiditati meæ ac mendacio conſcios? Quam multi e vobis verum eſſe illud ſciunt, quod vix veriſimile aliis fortaſſe videatur, ab ipſa pueritia Muretum noſtrum tam admirabili fuiſſe ingenij magnitudine, vix vt ullam deſiderauerit diſciplinam? vt pene prius diſcipulos habere cœperit, quam magiſtros? Nam vt primum imbutus eſt litteris, quibus informari ad humanitatem ætas puerilis ſolet, in patria ſua, Lemouici primum, deinde vero Aginni, quæ eſt vrbs in Aquitania pene princeps, ea docere incepit, cum eſſet adoleſcentulus, aut potius puer, quæ nunc quidem, communi more atq; vſitato, ea ætate ſi quis diſceret, in ſumma laude poneremus. Quippe, vt ingenio doctrinam, ſic etiam vſu præcurrebat ætatem. Aginni vero eodem tempore vſus eſt ſuorum duce & adiutore ſtudiorum Iulio Cæſare Scaligero, viro in omni eruditione atq; humanitatis genere perfecto ac perpolito. Hunc ille vt parentem colebat, a quo etiam vt filius diligebatur. admirabatur enim vir omnino admirabilis excellentiſsimum ingenium adoleſcentis, eiq; volens ac libens rectam ac breuem, quæ ad rerum ſcientiam ferret, viam monſtrabat: quo ſua eum natura ducebat.

In qua tamen bonitate naturæ, atque ingenij abundantia (rem admirabilem) tanta vtebatur contentione animi atque induſtria, quanta vtendum eſt homini

qui quo minus ingenio poteſt, ſubſidiō ſibi comparat diligentiam: vt & ingenioſos diligentia vinceret, & ingenio diligentes, & totum illud ſibi tempus perire crederet, in quo non aut doceret aliquid, aut diſceret. Cum igitur aliquandiu Aginni fuiſſet, eiuſq; doctrina atq; ingenium omnium fama & oratione celebraretur, ad illud domicilium doctrinarum, & vt ita dicam, orbis terræ Muſæum, Lutetiam profectus eſt: vbi cum itidem explicaret diuitias illas ingenij, nec latere poſſet in tanto vrbis ſplendore tam illuſtre lumen eloquentiæ, non magno negotio omnium ad ſe ſtudia atq; ora conuertit. Nouus videbatur exortus Demoſthenes Chriſtianis Athenis: ita docente Mureto, & quidem adhuc peradoleſcente, concurſus audiendi cauſa ex tota vrbe fiebant, magna hominum frequentia Gymnaſium celebrabatur, loci ipſi in gymnaſio occupabātur, aditus complebantur, ne pes quidem relinquebatur præ maxima auditorum multitudine, vbi pedem doctor ipſe ponere poſſet: ita, per illorum humeros, quaſi per vndas gradiebatur ad ſuggeſtum: e quo etſi magno ab omnibus audiebatur ſtudio ac ſilentio, nihil magis timentibus, quam ne cito faceret dicendi finem, vbi tamen fecerat finem, mirifico omnium clamore & plauſu excipiebatur.

Quid plura? nihil ferme aliud erat Lutetiæ magis eo tempore in hominum ſermonibus, quam Muretus: quem ipſe etiam rex aliquando & regina (at bone Deus, qui rex & quæ regina?) vt quod fama & auditione acceperāt, re ipſa experirentur, audire voluerūt. Onεraſſet profecto alium tam mirabilis omnium expectatio, & ſermo: at M. Antonius, quaſi iam non cū alio,

alio,

aliis, ſed ſecum ipſe certaret, quotidie ſeſe admirabilior fiebat, & melior : vt quanta ad diligentiam & doctrinam, tanta ad famam eius & gloriam , fieret acceſsio. Multa mihi neceſſario, auditores, prætermittenda ſunt , vt ſeruem certum aliquem & laudandi & dicendi modum : quamquam difficile eſt admodum ſeruare modum dicendo in iis laudibus , quæ modum re ipſa ſuperauerũt: cum & qui eas cognitas habent, alia potius, quam ea quæ dicuntur, dici potuiſſe: & qui incognitas, ne ea quidem debuiſſe, quæ maiora ſint hominum opinione ac fide, arbitrentur : vt & ex horum ſententia, affiĉta nõnulla, & ex illorum, detracta non pauca videantur.

Veſtram hic ego Pictauienſes, Burdigalenſes, Auſcitaui, Toloſani: nam Toloſæ ille iuris ciuilis docendi primum quidem facultatem, deinde vero etiam poteſtatem accepit : ſed tamen veſtram ego , omnes quos dixi, vniuerſæ Galliæ populi nobiliſsimi, imploro & auctoritatem, & fidem : nonne cum iuuenem excellentem, omniq; laude cumulatum videbatis , cum eius voce ac doctrina fruebamini, Mercurij vobis filium, vt nonnulli e veſtris , ex ipſius litteris nominis apte traiiciendis, ſciteq; connectendis, quaſi omen coniicientes ingenij , dixerunt , aut ipſum potius Mercurium , vt dicebant alij , videre , & audire videbamini ? Et fuerunt fortaſſe, qui adoleſcentis gloriæ, quæ ita ſe extollebat, vt aliquorum luminibus officeret, vel detraherent occulte , vel inuiderent aperte. Semper enim naſcentis gloriæ comes fuit inuidia , vt Solis vmbra. Quæ tamen gloria, progreſsione vſa admirabili, & curſu pæne incredibili, vt Sol cum eſt in altiſſimo cæli vertice, vmbram, ſic ipſa cum perueniſſet ad ſum-

ſummum, inuidiam plane omnem extinxit : vt quoniam cum Sole virum clariſsimum comparaui, conſequens illud fuerit, vt poſtea quam omnem prope Galliam illuminarat, ſuam illam lucem diffunderet in Italiam.

Itaq; Venetias, id eſt, ad illam vrbem, quæ veterem huius vrbis ſplendorem ac ſpeciem æmulatur, cum annum ageret duodetriceſimum, venit: neq; vero hic latuit diutius. ſtatim enim præclara eius eloquentia vt Phidiæ ſtatua, & perfecta, & probata eſt : quæ etiam habita eſt in aliorum comparatione præclarior. Venetiis vero apud Lauredanos, Bembos, Contarenos, Sorianos, Manutios, ac ceteros clariſsimos viros, tanto in honore ac pretio fuit, vt dulcis quædam inter eos contentio naſceretur, qui maxime amarent Muretum, aut admirarentur : incerti omnes, vtrum ne ipſi admirarentur magis, an amarent. admiratio enim e virtutibus naſcebatur, ex admiratione amor: vt e Thaumante Irim, ex Iri amorem naſci poëtæ voluerunt. Paulo poſt conceſsit Patauium, in optimam illam & vetuſtiſsimam in Italia officinam ingenuarum diſciplinarum & artium. Neq; hic etiam diu verſatus eſt. Anno enim ætatis circiter quarto & triceſimo, honeſtiſsimis conditionibus inuitatus, ad ſummum illum doctorum Mecenatem Hyppolytum Cardinalem Eſtenſem ſe contulit : in cuius comitatu & cohorte cum rediiſſet in Galliam, mox etiam in Italiam, Romæ tandem, anno CIↃ.IↃ.LXIII. ipſius Cardinalis ſuaſu, atque eorum rogatu, quorum conſiliis litterarum ſtudia regebantur, Ariſtotelis Ethicen docere publice incepit : tanta, vt memini, hominum voluptate ac frequentia, vt Ariſtoteles quidem ipſe Romæ docere, ſed noſtra

noſtra lingua, & lux quædam huic vrbi reddita videretur veteris eloquentiæ.

Non licet, auditores, ſed ne decet quidem cum Romæ loquamur, de iis rebus agere, quæ Romæ per hoſce annos vnum & viginti, tot enim annos Romæ docuit vir præſtanti ſapientia, agebantur a Mureto. Quid docuerit, breuiter ego curſimque perſtringam: quo enim modo docuerit, vobiſcum ipſi recordamini. Docuit videlicet annos quattuor libros Ariſtotelis de moribus: totidem ius ciuile, nec vulgari ſane via, ſpinoſas illas iuriſconſultorum concertationes cum ſermonis nitore coniungens: reliquos poſtremo annos, vſq; ad annum ætatis vndeſexageſimum, qui fuit annus ſuperior, Gregorij XIII. cuius mortui gloria viuet ſemper in memoria viuorum, auctoritate ac liberalitate permotus, in eorum librorum, qui non ſolum acuere, ſed alere etiam ingenium ſolent, vt Platonis, Senecæ, Horatij, Taciti, Ciceronis, explicatione collocauit. Quo interim tempore, cum a Stephano Bathoreo ſereniſſimo Polonorum rege, qui & conſiliis, & factis Romanorum veterẽ imperatorum æquare videretur gloriã, in Poloniam accerſeretur ampliſsimis præmiis, morem geſsiſſet optimi principis voluntati, niſi cum eo, quem Romani gymnaſij lumen & columen appellabat, egiſſet idem Gregorius ne diſcederet: atq; id quidem tum ſua ſponte, tum Romanorum monitu magiſtratuum, qui Mureto ipſi aliquot ante annis vltro detulerant ius Romanæ ciuitatis. Qua etiam ratione effectum eſt, vt tantum ſtipendium decerneretur homini ampliſsimo, quantum haud ſcio an vmquam antea nemini.

Parcite Cardinales illuſtriſsimi properanti: parcite etiam

ee etiam dicenti; tam enim variam & multiplicem laudationem ſuppeditat nobis Mureti laudum ſeges & copia, vt & oporteat properare, & nonnulla tamē attingere ſit neceſſe. Diximus nonnihil de iis quæ docuit: de iis quæ ſcripſit, in quibus eius ſpirat imago atque ingenium, adhuc quidem nihil: de quibus etiam nihil eſt, quod multa dicamus, cum in promptu ſint omnia omnibus. Quid enim variis eius lectionibus, vt inde potiſsimum incipiam, vberius? quid pictius? quid omni lepore conditius? Quid magnificentius aut grandius orationibus? Quid magis pium aut eruditum verſibus? iis dico verſibus, quos, Romæ cum eſſet, compoſuit: namque illa poematia, quæ cum eſſet annorum circiter viginti, iuuentutis quodam calore atque impetu profudit in Gallia, & conuenienti quodam nomine appellauit Iuuenilia, Iuuenilia inquam, dicam clarius, vt melius exaudiar ab omnibus, ſæpe mihi in ſermone dicebat, ſibi adeo non placere, vt ea tamquam ſua, non modo probaret, ſed ne agnoſceret quidem. Et cupiebat huiuſce ſuæ voluntatis, ſi vita ſuppeteret, extare teſtimonium. Quod ego nunc ipſe, opportuno ſane loco & tempore, aperte teſtificor, planeque denuntio. Quid igitur ſenilibus Mureti verſibus, magis pium, eruditum, addo etiam iucundum? Quid ſubtilius atq; elegātius iis diſputationibus, quas ſcripſit de iure ciuili? Quid dulcius epiſtolis? Quid verius iis notis & ſcholiis, quas ſcripſit ad auctores vtriuſq; linguæ probatiſsimos? Hæc certe omnia ea ſunt, vt iam non ſeptem Thebarum portæ, non pyramides Ægyptiorum, non Romanorum trophæa ac monumenta, quorum hodie vix cadauera proiecta iacent, ad tam diuturnam poſteritatis memoriam pertinuerint, ad quātam

Quæ quidem omnia, vt flumina, quæ eo magis augentur, quo longius a fontibus & capitibus ſuis receſſerunt, temporis beneficio fiunt, non ſuis modo virtutibus, ſed alienis etiam vitiis (liceat enim hoc mihi dicere, quandoquidem iam feruent omnes ac feruntur ſcribendi ſtudio) præſtantiora. In quibus tamen ſcribendis, vtrum admirer magis maximam ſcribentis elegantiam, an incredibilem eiuſdem ſiue facultatem, ſiue copiam? Mihi credite, auditores: loquor enim id, quod non opinor, ſed ſcio: non accepi auribus, ſed oculis: neque ſemel atque iterum, ſed quoties ſe offerebat occaſio: vt omnis non tantum aſſentationis, ſed amplificationis etiam ſuſpicio abeſſe debeat. Nihil vmquam bis ſcribebat Muretus, cum tam multa ſcribebat: vix adeo bis legebat id ipſum quod ſcripſerat: raro interpolabat: non ſæpe mutabat aliquid, aut emendabat: rarius demebat, delebat: ita, cum vno quaſi tenore fluerent omnia, nihil niſi aptum & accommodatum, ad manum mentemque veniebat: vt multo meliora fortuito illi exciderent, quam alij, qui aſsiduo opere eandem tundunt incudem, extundant atque excudant labore. Accipe quoduis vnum de præclaris ipſius voluminibus, non dico ex iis quæ adhibito acriore ſtudio ſcripſit ac diligentia, ſed ex iis quæ effudit ludibundus: vna cuiuſlibet argumenti ſententiola, non dico pagina, vna cuiuſlibet paginæ vocula, non dico comprehenſio, manifeſto oſtendet nihil fieri potuiſſe Mureto in ſcribendo perfectius: vt non ſine cauſa inuenti ſint, qui, cum eſſet morti proximus, quaſi quiritantium more opem implo-

rarint Romanorum ciuium : quod Metellus fecit Macedonicus mortuo Africano : non eam quidem ob cauſam, quod Romanæ vrbis mœnia eſſent euerſa, vt dicebat ille: ſed quod Romanæ eloquentiæ ſplendor extingueretur.

Quæ omnia vt ad ſummam faciunt laudem, viri ornatiſsimi, ita communem augent noſtrum omnium dolorem. Accipite enim, auditores, quod etſi erit auditu acerbiſsimum, erit tamen & dictu veriſsimum, nec fortaſſe ingratiſsimum ſcitu. Cum in diuinum hominis ingenium, & in diuturnam eius ac pene incredibilem induſtriam, qua vim ſibi, & prope mortem afferre viſus eſt : ad ſummum enim ſingulis noctibus, ſomno quinas horas, quaternas plerumq; aut etiam ternas tribuebat: cum in aureum illud, vt ita dicam, flumen eloquentiæ, animum mentemq; conuerto : cum & quæ olim pepererit cogito, & quæ iam diu parturiret: etiam ſi magna & multa ab illo exierunt: ea tamen omnia haud poſſe conferri exiſtimo: cum iis quæ parabat : vt non tantum Mureti mortem, qui viuere poterat diutius, ſed eius etiam operum, quæ, vt dicebat Sappho, æterno quodam vere florere potuiſſent, lamentari ac dolere poſsimus. Nam quis tandem nobis Ariſtotelis Ethicen, Rhetoricen, Politicen, quis Platonis de Republica libros, ac de Legibus, in quæ fere omnia inchoatos habebat commentarios, quis inſignes illas quas meditabatur notas, ad Herodotum, Thucydidem, Xenophontem, Plutarchum, Liuium, Plinium, Tacitum, ad iuris ciuilis auctores, ad eos deniq; quos euoluit libros (quos autẽ non euoluit?) repræſentabit? O vita, iis quidem qui nihil agunt, perſæpe longa, Mureto certe, qui numquam non

agebat aliquid, nimium breuis.

Agebat ille quidem, cum eſt mortuus, annum ſexageſimum: qua ætate qui eſſent etiam decennio minores, a Theraïs non lugebantur, quaſi vixiſſent diu. Sed ego tamen ſic arbitror, ſemper acerbam eſſe eorum mortem, qui immortale aliquid cogitant, vt proſint omnibus mortalibus, etiam ſi vitam duxerint quam longiſſimam. Etſi tu quidem Murete, ſi ſpectamus quod facere poteras, parum vixiſti: ſi quod feciſti, ſatis: ſi præclari memoriam nominis, quam reliquiſti, ſemper victurus es. Semper enim viuunt, etiam mortui, qui quamdiu vixerunt, vixerunt bene. Bene autem viuere ij dicendi ſunt, qui in omni vita proſunt aliis potius quam ſibi, & in ea ſunt cogitatione defixi, vt ſibi perpetuo migrandum putent ad vnum illum, qui omnia audit & videt, Deum.

Quæ duo, quoniam hunc in locum incidit oratio, vt prætermittenda non ſint, ita extiterunt in Mureto, vt non admirationi magis, quam imitationi eſſe poſſit. Nam quod pertinet ad benignitatem: quis tandem fuit, non dico e ſummis viris ac principibus quales vos eſtis Cardinales illuſtriſſimi, quibus ille omnibus fuit, tum propter ſummam doctrinam & eloquentiam, tum vero propter ſuauitatem morum & elegantiam, longe cariſſimus: ſed e mediis, ſed ex infimis etiam hominibus: non dico ex illis qui ei eſſent familiares & cogniti, ſed ex ignotis atque externis, quorum nonnulli, vel ex vltima Europa hominis conueniendi & conſulendi cauſa Romam conflu.bant: qui tamen profitebantur omnes, atq; aperte prædicabant, omnia ſe maiora re ipſa comperiſſe, quam fama: quis fuit inquam ex omnibus, quin ſi vellet, eius auxilia

 vtera-

vteretur & conſilio? Eccui vmquam ſuam ille domum, bibliothecam, quam habebat inſtructiſsimam, aures, arcam denique patere noluit? cui non aut opera benigne fecit, aut pecunia? Tribunorum olim domus in hac vrbe numquam claudebantur, vt eſſent portus quidam ac perfugium omni ciuitati: ſimile quiddam mihi videntur Mureti ædes fuiſſe, quem numquam fere ſolum aut vacuum inuenires: quaſi a Deo eſſet, vti erat, ad communem omnium vtilitatem datus. Rogares, vt perobſcurum aliquem, aut Latini ſcriptoris, aut Græci declararet locum? declarabat: vt carmen corrigeret, aut orationem? corrigebat: vt epigramma inſcriberet in ſepulcro? inſcribebat: vt epiſtolam ſcriberet? ſcribebat: vt elogium in ponte, aut in baſi ſtatuæ ponendum excogitaret? excogitabat: vt hæc ipſa recognoſceret? recognoſcebat: vt interdum mihi diceret (ſæpe enim mecum perquam familiariter loquebatur) ſibi non licere viuere. Et viuebat quidem ipſe: ſed, vt dixi, viuebat magis aliis quam ſibi.

Docebat enim quæ poterat, id eſt, quæ diſcere velles, omnia: quid enim velles diſcere, quin poſſet docere? ab eo vero quem docebat, nullam omnino mercedem exigebat: ne illam quidem, quam Thales Mileſius a Mandrayto Prienenſi, quem docuerat quanta eſſet Solis magnitudo, exegiſſe dicitur; cum ab eo cauit vt ipſum tantummodo tam præclari inuenti laudaret auctorem. Vt non mirum fuerit, ſi inuenirentur interdum, qui quæ a Mureto gratis acceperant, pro ſuis venditarent. Atque hæc pauca de benignitate in homines.

Quid de religione ac pietate in Deum? Nolite exſpectare auditores, dum commemorem, quod pleri que meminiſtis, Catholicam ſemper ab eo ſeruatam (ſer-

uatam

uatam dico?) immo vero etiam defenſam, & pro virili parte ornatam, religionem ac fidem: cum tamen non defuiſſent in Gallia homines nequiſſimi, qui omni machinatione admirabile illud ingenium ad ſuas partes abducere conarentur. Itaque propiora videamus. Hic vero mihi quam multa occurrunt, quam ingentia? quot conturbant in hac ipſa extrema, in qua verſamur oratione, dicentem? cum & videam multa eſſe omittenda: & vnumquodque quod occurrit, præcerpendum eſſe videatur? Nouem iam ſunt anni, auditores, cum ſacris eſt initiatus M. Antonius, ac ſacerdos factus: ex quo tempore tam ſæpe, tam religioſe, tam ſancte, fecit rem diuinam, vt inter ſacrificandum, nec lacrimas teneret ipſe, & eaſdem etiam audientibus excuteret. ſacras vero quotidianas precationes quam diligenter ac ſedulo obibat? vt ſe aſſidue ad ſanctorum & Chriſti exempla limabat? quam ſolicite in ſe inquirebat? quam attente videbat, ne quid aut faceret, aut diceret, quod aut reprehenſum, aut reuocatum vellet? Quid? quod ſæpe mecum (credo etiam cum aliis) de morte tamquam de migratione loquebatur? quod cum laboraret moleſto morbo ac difficili pedum, iam iamque ſibi eſſe cedendum domo, cuius iam labarent fundamenta, prædicabat? quod cum ei requietem ſuaderem atque otium, nec tamen perſuaderem, requietem ſibi æternam abeſſe propius præſagiebat? Et certe, tam inſignis vita, quaſi fabula, quæ tam præſtantes habuit ceteras partes, extremo debuit actu præſtantiſſimo terminari: qui talis fuit, vt haud ſciam an meliorem nos ipſi exitum optare poſſimus.

Mortuus eſt enim ille (ſi tamen moritur, qui conſequitur immortalitatem) ornatus omni inſtrumento

& viatico, quod Chriſtiana religio tribuere homini atque impertiri ſolet, quem parat ad mortem; a Sixto etiam Quinto Pontifice maximo non priuatim modo veniam peccatorum impetrauit, ſed ad eorum expiationem, eiuſdem etiam illam publicam adhibuit indulgentiam, qua qui rite vteretur, ei vero non liberationem modo culpæ, ſed remiſſionem etiam pœnæ Chriſti vicarius benigniſſime concedebat: vt ſcilicet Muretanæ illam mortis opportunitatem, non lamentatione & miſericordia, ſed gratulatione & beneuolentia proſequi debeamus. Sed effodit mihi pectus memoria illius diei, poſt quem diem obiit die tertio: quo cum eſſet ſacroſanctum Chriſti corpus Chriſtiano more ſuſcepturus, omnibus qui eo conuenerant præſentibus atque audientibus, longo exordio ſupplex veniam a familiaribus petiit, atque vt ſibi ignoſcerent poſtulauit: quod eo fecit animi ſenſu ac dolore, vt ex illo numero, qui ſibi a lacrimis temperaret, inuenires neminem. Poſt quem diem, toto eo tempore quo potuit loqui, in magnis totius corporis doloribus, illas modo voces interruptis ſuſpiriis, o Ieſu, o Deus, moribundus iterabat: vt quoniam interpres mentis eſt lingua, eum conſtet aliud nihil eo tempore, in quo potiſſimum, moriente corpore, diſceptabat animi ſalus, habuiſſe in mente, niſi illum quem habebat in ore, cum quo, & ad quem, vt confidimus, euolauit.

Heu M. Antoni Murete vir clariſſime, vt vere es natus ad omnem dignitatem & gloriam: contemnebas illam tu quidem inter homines, illis etiam temporibus, cum eras gloriatione digniſſimus: cum in ſacroſancto purpuratorum patrum ſenatu, in illo ſanctitatis ac religionis domicilio, in illa arce regum ac natio-

num omnium, fulminabas, tonabas, ſplendidiſſimorum verborum, & grauiſſimarum ſententiarum flumina effundebas: ſed nunc tandem æternam iſtam atque immortalem, quam ſperabas, Dei munere & conceſſu, pro ſumma tua erga eum pietate atque erga homines benignitate, es conſecutus.

Nos autem, nos inquam, afflicti iacemus ac mærentes deſiderio tui, quod longinquitas temporis non leniet, ſed duplicabit. Et conati quidem ſumus, vt horum illuſtriſſimorum principum obſequeremur ſtudiis, tuarum aliquot ſuſcipere laudum commemorationem: ſed earum pondere oppreſſi, noſtrarum oſtendimus virium imbecillitatem. In quo tamen, illa nos cogitatio conſolatur, quod illud fecimus, quod potuimus, quod voluimus, quod debuimus: quod etiam haud ſcimus, an vmquam poſtea, viro eruditiori, atque homini eloquentiori, officium ſimile præſtare poſsimus.

DIXI.

ORATIO XVIII.

In funere Alexandri Farneſij Cardinalis, Romæ habita.

QVOD in publica & improuiſa calamitate vſu venit, P. A. vt eo quaſi fulmine conterriti homines in vnum coniungentes damna multorum, omnium primo ingemiſcãt malo, deinde vero vbi detonuit imber, ad ſeſe

redeant, priuatamque iacturam proprie conquerantur: propterea quod natura comparatum eſt, vt vniuerſorum dolor obſtupefaciat ſenſum ſingulorum, atque hic tandem poſt cõmunem querimoniam erumpat: idem euenire vobis tum taciti intelligitis, tum videtis etiam, aliis hoc aperte profitentibus, in Alexandri Farneſii Cardinalis, cuius exemplo & memoria omnis ætas Chriſtiana gloriabitur, exceſſu.

Doluimus enim, & doluerunt omnes tam acerbo icti nuntio, in commune videlicet incommodum mentem cogitationemque vertentes. Videbatur nimirum magnum præſidium & decus huic vrbi ſublatum, magnum lumen & columen orbi Chriſtiano. Nunc tamen etſi idem infixus animo hæret dolor, ac ſemper hærebit: numquam enim aberit cauſa dolendi: verſat ſe tamen, non quidem mitigatus paucorum dierum interuallo, ſed defeſſus nihil agendo, in eam partem, qua poſthabitis communibus, propiora contingit. Ita fit, vt priuati hominum cœtus, piorumque aliquot ſodalitia, eius non contenta publicis exequiis, ſui eſſe muneris atque officij cenſeant, vt quem viuum ita vtilem habuerunt atq; iucundum, eum mortuum, quam lugeant ac deſiderent, non inani ſignificatione teſtentur: ſuoque veluti parenti, rite atque ordine parentent. Quamquam ſi Chriſtianam eius mortem inſpicias, anteactæ vitæ quam ſimillimam ac maxime conſentaneam, eam ita fuiſſe reperias, vt non dolore, ſed gaudio, beneuolentia, non miſericordia digna fuiſſe videatur. Beatus nempe dicendus, quia mortuus in domino: nec vero mortuus, quia eum ſecutus, qui vita eſt, in quem qui credit, etiam ſi ſit mortuus, viuit.

Neq;

Neque enim ego tuam, Farneſi Cardinalis, mortem fuiſſe dixerim, qua deceſsiſti e rebus caducis, ſed vitam, qua in æternas immigraſti: neque te obiiſſe exiſtimarim, quem pura fides atque integra, hinc ſumma in Deum pietate, hinc liberali in homines beneuolentia, geminis quaſi ſublatam alis columbam, eum in locum euexit, vbi ſine cura quieſcas. Vitalem videlicet & veram tu nactus vitam, & eo die natus, quo viſus es mori. Sciebas profecto illud, vnam vitam eſſe homini, ad vitam reſpicere, qui Deus eſt: vnam mortem eſſe, peccatum, vnde paratur animæ interitus. Hinc illa te dies noctesque coquebat cura, in hoc tua deſudabat induſtria, hoc contendebas, hoc agebas, vt in huiuſce vitæ curriculo, qua peruenitur ad palmam, currum tuum circa duas quaſi metas ſtudioſe conuerteres, amoris duplicis, diuini, atque humani: id eſt, hæc duo tantum ſpectares, religionem in Deum, atque in homines beneficentiam.

De his rebus dumtaxat duabus dicam, P. A. ſed timide omnino dicam, ac modice: timorem enim affert ingenij conſcientia: modum tenendum eſſe docet, ne nimium euagemur, argumenti magnitudo. Etſi erit admodum difficile. Quod enim aut fingi oratione, aut mente concipi poteſt ingenium ita præſtans atque excellens, quod non duplicis huius generis rerum dicẽdarum vbertate copiaq; ſuperetur? Quo maior venia mihi danda eſt, quem, vt facere velim quod debeo, plus etiã quam poſſum, conari intelligetis. Nihil igitur dicam de clariſsimis eius natalibus, nihil de præcellentiſſimis auorum ſummi imperij atq; honoris inſignibus: mittam de fundamentis eius adoleſcentiæ iactis, ac tyrocinio ampliſsimæ dignitatis: ſilebitur per me, incre-

dibilem fuiſſe iuueni modeſtiam, atque oris formam principe viro digniſſimam. Abſoluam breui: nihil optare ſolitos a Deo homines ex iis rebus, in quibus arbitrantur vulgo ineſſe felicitatē, nihil præſtare Deum hominibus conſueſſe, nihil denique cupiditate informari, nihil re ipſa percipi poſſe, quod non Alexandro diuinitus obtigerit: vt votis hominum, vel ab ipſa pueritia, vſque ad inuidiam felicibus frui videretur.

Quamquam ipſe his rebus omnibus non vtebatur vt incitamento ſuperbiæ, ſed vt inſtrumento potius exercendæ virtutis. Sic enim ſecum ratiocinabatur, rerum omnium pretia externarum, omniaque corporis animique ornamenta, quibus abundabat, Dei eſſe immortalis munera, ad eumque meritiſsimo referenda: vt quemadmodum ab Oceano omnes effluunt aquæ, ad eumque longo ambitu reuertuntur, ita bonorum omnium vis & copia a Deo ſit, in eumque ipſum aut quoniam ipſe bonis noſtris non indiget, in homines, qui indigent, propter eum ipſum, qui dedit, aut commiſit verius, vt impertirentur aliis, transfundi debeat. Itaque non conſilio tantum verbiſque iuuit, quod proprium ac ſollemne habuit, rem Catholicam, ſed rebus etiam & auxilio. Hanc ille vt nutantem conſtabiliret, labantem fulciret, lapſam erigeret, ſtantem firmaret, ne metueret caſum, firmatam ornaret ac protegeret, quid non fecit, aut quam non in partem ſe, vtilitatemque conuertit? quibus non machinis ac tormentis labefactauit impietatem, atque eius adminiſtram & cōtubernalem euertit pertinaciam? In bellum ipſe profectus eſt in Germaniam, quod aduerſus perduelles deſertores fidei ac perfugas fiebat: prœliis etiam ipſis, cum acerrime fuſo vtrinque ſanguine res gereretur, interfuit

fuit: & cum germano fratre pugnantibus, t⸗mquam geminus ille nauigantibus ſalutaris fulgor illuxit: ſeſeque in medium diſcrimen obiecit: quod omnem periculi metum ac mortis leuaret nobilitas cauſæ, & ſpes certiſſima victoriæ: quod non verendum eſſet, vt vinceret is, pro quo Deus ſtabat, qui pro Deo fortiſſime dimicabat. Quod ſi corporis ipſius periculo & auxilio tantum valuit ad religionem Chriſtianam tuendam, cum eſſet adoleſcens: quidnam eum effeciſſe par eſt, animi viribus & conſilio, ætate firmata? Erat enim eo vir ingenio, tantaque animi altitudine, vt quod alij culmen ac faſtigium putarent eſſe rei bene factæ, eo ipſe quaſi ſolo ac fundamento vteretur ad nouam quamdam benefactorum, vt ita dicam, ædificationem: ita, cum alios prope iamdudum viciſſet omnes, ſecum ipſe certabat quotidie: vt in iis rebus, quæ pertinerent ad pulchritudinem ornatumque religionis, nihil putaret actum, cum reſtaret adhuc aliquid, quod videretur peragendum. Neque id immerito. Dei enim cauſam agebat, in qua nemo non laborat parum: etiam is, qui plus laborare non poteſt. Laborabat autem ille plurimum, nec tamen ſine effectu. Quid autem ego hoc faciam loco? numerem ne omnia, quibus veluti argumentis ſuam in Deum pietatem expreſſam reliquit? Conari hoc velle audacis eſt: polliceri, impudentis.

Quid enim oro vos, P. A. audacius, quam profiteri aliquem dicturum ſe id quod ne ſuſpicione quidem poteſt attingere? Quid impudentius quam ſperare oratione aſſequi, quod omnem ſuperat cogitationem? Spiritu ſpiritu maxime & veritate Farneſius Deum venerabatur, qui ſpiritus eſt: & qui ea præcipue, quæ ſunt intima in homine, remuneratur & ſpectat. Ideoque

quæ in omni officio Chriſtiano, a quo ne digitum quidem diſcedebat, nihil magis verebatur, quam, ne quod Deo tribuebat, tribuere videretur oſtentationi, eoque ipſo, quo vera ſolidaque gloria comparatur, quæ eſt in cælo, ventoſam illam & inanem aucupari diceretur, cui vulgo homines velificantur. Quæ tamen ipſa etſi opprimebat & occultabat diligenter, ne emanarent omnia: eminebant nihilominus ex iis nonnulla, & emicabant veluti Solis radij ex obiectis atque oppoſitis nubibus: eam credo ob cauſam, quod quemadmodum ſublimem ignis petit locum, ita etiam ſua ſponte benefactorum ſplendor in luce collocari velit.

Quamquam videntur etiam multa, viſenturque in omne æuum, ea ſpecie ac dignitate, vt rebus videantur priſcis, quas obſtupefacti olim mortales defixis oculis intuebantur, admirationem ademiſſe. Nunc vero, cum in hanc partem me æſtus orationis abduxerit, P. A. quid dicam primum, aut maximum? aut quid potiſſimum in hac tanta rerum multitudine tacebo? Certe quidem, vt quidque occurrit animo, præſtantiſſimum videtur, atque optimum: ſic obruor rerum magnitudine & numero: magiſque quid relinquere debeam addubito, quam quærant laudatores alij, quid loquantur: ita inopiam parit copia, menſque ipſa hæret in re eligenda, quæ ſit maxima, cum inter pares reperire non poſſit ſuperiorem. Quod enim in tranquillis aquis euenire cernimus, vt cum in eas perparuus iniectus lapis centrum quaſi effecerit, alius deinde ex alio veluti circumductus circino circulus explicetur, ſemperque nouiſſimus exurgens, atque in ſuperficiem dilatatus, oblitteret externum: idem etiã accidit mihi.

Nunc videlicet hoc cogitanti occurrit, nunc rurſus

aliud

aliud emergit, & quod prius influxerat, rapit, atque abſorbet. Quamobrem diſtrahitur deliberando animus, dum id, quod prius ſe obiecerat, ſuperuenienti alteri obſequitur, & redit loco. Prædicent ergo alij & extollant laudibus ſuburbanam villam in Cimino monte vere regiam, in qua ars de natura triumphat. Palatinos alij celebrent hortos, æquales veterum magnificentiæ. Sint denique, ne plura enumerando conſecter, qui regales efferant ædes, regali prorſus animo ſumptuque conſtructas. Aliud mihi nunc propoſitum eſt: ea ſcilicet quam breuiſsime perſequi, in quibus reconcinnandis, reficiendis, adornandis, inſtruendis, e fundamentis denique extruendis atque exædificandis, apparuit imitanda effigies viri principis, diuinum honorem in omni re & conſilio ſequentis. Vos teſtes antiquæ cælitum ædes, quæ ampliſsimum Alexandri Farneſii nomen ac titulum, tutelæ ac patrocinij loco præ vobis ferre potuiſtis. Tu diuini Anaſtaſii templum cœnobiumque ad Aquas Saluias. Tu beatiſsimæ virginis ac Dei matris ædes ad Ferratam Cryptam. Vos aræ templaque toto in eo tractu, qui eſt circa Soracte. Tu Auenio in Narbonenſi Gallia. Tu Viterbium in Tuſcia. Tu Aſſorium in Sicilia, quem hodie Montem Regalem appellant. Quid iam dicam de aliis vrbibus? quid de auguſtiſsimo templo & religioſiſsimo in Vulſinienſi lacu: de eo præcipue, quod eſt longa iampridem annorum ſerie Farneſiorum ſepulcrum?

Sed longe aliter ac promiſeram facio. Redeo in hanc vrbem: de qua quidem pauca admodum dixero: quod apud eos loquor, quibus hæc omnia ſunt cognita: deque iis rebus, quarum fama, earum propter magnitudinem, obſcura eſſe non poteſt. Quid enim

dicam, templum ſanctiſsimi pontificis Damaſi, ac fortiſsimi martyris Laurentij fuiſſe maximo artificio laqueatum cultuque depictum? cum opus ipſum, licet tacitum, ſuum prædicet auctorem, & viuentes in pariete imagines? vt credas, non corporum ſolum, ſed etiam animorum eſſe picturam. eorum omnium, qui ad præclarum illud ſpectaculum accurrunt, non capiant modo eruditos oculos, ſed cupidas etiam prope impleant aures, & Farneſium loquantur? Sed vbi te, baſilicarum ſanctiſsima quæ in monte coleris Vaticano, Apoſtolorum principum locupletata reliquiis, relinquam? Tu diu quidem tutorem ac præſidem tuum, ſecundum Pontificem maximum Alexandrum habuiſti: ſed deſideras illum tamen. Quippe acerrimum accendit deſiderium, magnificentiſsimum illud munus, quod amoris in te ſui clariſsimum voluit extare monumentum. Singulare omnino donum atque vnicum, cui nihil fortaſſe ſimile in toto orbe terrarum. Recte conieciſtis, P. A. Crucem enim illam dico, ac par candelabrorum, eo ſplendore, qui e clariſsima materia eſſe debet: ea varietate operum, vt ars certare videatur cum copia: ea magnitudine, vt intelligi poſsit, donum pulcherrimum non niſi a domino maximo, baſilicæ ſanctiſsimæ relinqui debuiſſe.

Hoc autem ne plus nimio extuliſſe videar, P. A. illud tantum dicam, plus triginta annis continuis in eo fuiſſe opere a viris ſcientiſsimis laboratum. Iam quid dicam de ornatiſsimo templo, & ſplendidiſsimo, quod non ſolum fundauit, ſed etiam extruxit? de eo opere, quod ita vicit ſuperiorum magnificentiam, vt poſteriorem omnem admiratricem potius, quam æmulam habitura videatur. Et certe ita eam eſſe decuit ædem,

quæ

quæ & auguſtiſſimo Ieſu nomini condebatur, & in qua ampliſsimi viri, ac principis optimi corpus ſollẽni fuerat ritu, pompa illuſtriore condendum. Expectare adhuc videmini alteram promiſsi partem, ac vereri, ne longior, quam fortaſſe velletis, excurrat oratio. Ego vero & quid promiſerim non obliuiſcor, neq; vos tamen detinebo diutius. Reſtat enim, vt dicam de incredibili Farneſii liberalitate in homines, qui propter tenuitatem rei familiaris, quo rem gratam faceret Deo, quẽ eximie dilexit, videbantur adiuuandi. Quod quidem caput tale eſt, vt proponi potius, quam exponi, atque indicari facilius, quam explicari queat. Cogitabat enim vir Chriſtianæ caritatis amantiſsimus, non eſſe cauſam gloriationis in homine ſapientiam, non opes, non generis nobilitatem, non oris venuſtatem, non regum maximorum ſtudium, non amorem vulgi, non nobilium obſeruantiam: quibus omnibus iure ſuo poterat gloriari: cum quæ ſingula admirentur homines, ipſe excelleret vniuerſis: ſed in hoc ſolum cauſam eſſe gloriandi, ſi Deum quis cognoſceret, atque ex animo vereretur: propterque eius amorem facultatibus ſuis ſubleuaret, quos paupertatis onere videret oppreſſos: ſi ea conderet bona, & componeret, quæ ſint in poſterum tempus profutura: ea enim ipſe, Laurentij nimirum, ad cuius imaginem ſe quodammodo formauerat, exemplo, committebat pauperibus, vt per eorum eſſent manus in cælum transferenda.

Non ignorabat, hoc ſæculum mare quoddam eſſe, quo mortalium vita quaſi cymba vehitur imbecilla, eo periculoſius, quo amplioribus mercibus oneratur. Has porro merces ex ſua deonerabat naui minus firma, vt in probam alteram ac fidelem traiiceret, quæ

tutiſsi-

tutiſſimo perueniret in portum : vbi nunc diuitiis fruitur, & quidem immenſo cum fenore, quas premiſerat. Qua vtinam in re multos haberet imitatores. Eos autem habet, qui prætereuntia prætereunt, inſiſtunt ſtabilibus, labentia diiudicant & fugacia ab æternis, ac ſine fine manſuris: qui ea, quæ videmus, tamquam picturam exiſtimant, aut vmbram: ea quæ ſperamus, & certiſſima perſuadet fides, tamquam vera & conſtantia: qui denique hac ſe in vita tamquam hoſpites arbitrantur & inquilinos, vt in illam tandem reuertantur metropolim & patriã, vnde veniſſe, quæ ſunt ab immortali Deo procreatæ animæ, videtur. Quamobrem, ſi opibus carent, non magnopere eas deſiderant: ſi abundãt, non ita iis ſeſe tradunt vt habeantur ab illis, ſed vt eas habeãt & ad cæleſtia conuertãt.

Quod ſi hunc quorumdam fuiſſe Gallorum morem accepimus, vt in hac vita cum eſſent, pecunias mutuas darent, quæ apud inferos redderentur, & hoc ab illis quadam ſuperſtitione fiebat: quid ni multo magis a nobis, qui Chriſtiani, id eſt filij Dei, nominamur & ſumus, qui patrem habemus in cælo, quibus illa domus eſt, illa patria, idem fieri debeat : cum præſertim bona tribuentes hominibus, non commodare illis videamur, ſed Deo? Hoc agnoſcebat, hoc habebat in ore, hoc re ipſa oſtendebat Alexander Farneſius. Sciebat aliquam eſſe familiam inopem, dignamque præſidio? ſuſtentabat. Huic atque illi filiam domi nubilem, cui forma multos amatores inueniſſet; nullum inopia maritum? honeſtiſſime collocabat. Captos permultos a prædonibus coërceri vinculis, aut acerbiſſimo iugo ſeruitutis? pecunia redimebat. Ab Hebræorum, aut hæreticorum perfidia & tenebris ad Chriſtianam fidem

dem lucemque emerſos, laborare penuria rerum? eos vt pater humaniſsimus alebat. His veſtem mittebat, illis cibaria, aliis nummos, pleriſque omnibus omnia. Offerres illi pauperum preces? exaudiebat: exponeres inopiam? leuabat: oſtenderes afflictum? erigebat.

Quærebat interdum occaſionem ipſe, qua prodeſſet, & occupabat: nec vero tantum plena tribuebat manu beneficium, ſed etiam facili. neque enim inter dandum vlla vtebatur aut aſperitate verborum, aut contractione frontis, vt aliquem impetraſſe pœniteret. Multo putabat ſatius, ob eos, qui digni ſunt, indignis quoque benefacere, quam cum metueret, ne in indignos conferret beneficium, dignos etiam præterire. O virum omni honore ac laude digniſsimum, cuſtodem pauperum, patronum cœnobiorum, tutorem viduarum, patrem pupillorum. Te ne tam multis abundantem præclaris muneribus Chriſtianis, in hac luce Romana, in hoc theatro orbis terræ, ea præditum dignitate, quæ eſt primæ proxima, quam per annos quinque & quinquaginta ita tenuiſti, vt ordinem duceres, multumque ei honoris afferres: te Alexandrum Farneſium Cardinalem: ſatis enim eſt hoc ipſum nomen per ſe notum ac nobile ad virtutes tuas vno verbo oſtendendas. te ne diem extremum obiiſſe? Defletum funus fuiſſe ab vrbe, ab Italia, ab orbe Chriſtiano vniuerſo. elatum corpus ſummo dolore omnium, ac potius mærore? Proſecutam pompam ad ſepulcrum aſpectu luctuque miſerabilem: adſtitiſſe ad feretrum omnes fere mortales, qui Romam per eos dies conuenerant: prouolutos in genua, tum vt honorem haberent tibi, tum vt ſuum teſtarentur dolorem, quem oſculis & lacrimis implebant?

Circum-

Circumſtetiſſe viduas flentes, oſtendentes tunicas, & veſtes, quas faciebas illis: faciem illam tuam canicie ac maieſtate venerabilem: illos oculos, qui vel ipſo aſpectu grauem miſeriam a multis depellebant: illud os facundiſſimum, quod ſermone mæſtos exhilarabat: benigniſſimas manus, quæ inopes locupletabant: pulcherrimum denique illud corpus, incluſum in arca, poſitum in tumulo, & abſconditum theſaurum cælo digniſſimum in terra? Et inflantur homines honoribus, & erigunt ſupercilia, & ſe ambitioſe circumſpiciunt, & magnis cogitationibus implent pectora? Nec ab Alexandro diſcunt, qui ſit rerũ exitus mortalium, quam ſit mors ſurda & inexorabilis, cum ei non pepercerit, cuius vel ipſa incolumitas, votorum erat ſumma multorum? Etſi, tu Farneſi, mortuus non es: viuis nunc potius, & viues in omnem æternitatem.

Erit quidem tui apud nos memoria immortalis, qui tam multarum virtutum nobis reliquiſti, præcipue benignitatis, exempla: quem quotannis celebrabunt tot virgines, quibus dotem perſcripſiſti: cuius erga Deum fidem teſtantur tot ſacra, quæ ſingulis hebdomadis, in tuorum, vt tu ipſe loquebaris, remiſſionem peccatorum, fieri præcepiſti. Nec præteriri debet biduum illud, quo te ad mortem diligentiſſime comparaſti: cum in pauperes atque egenos tam multa diſtribui eo ipſo nomine iuſſiſti: precationes apud Deum pro te fundi a multis religioſorum familiis poſtulaſti, præcipua ſeptem vrbis templa religioſiſſime obiri voluiſti. Acceſsit huc Odoardi, tibi non magis ſanguine, quam morum ſimilitudine, quos æmulatur, quãtum per ætatem poteſt, coniunctiſſimi, mirifica erga te pietas & obſeruantia: qui, quod de illuſtri etiam Iuda Machabæo-

chabæorum duce legimus, magnam vim pecuniæ curauit erogandam pauperibus, vt eorum precibus tuus adiuuaretur tranſitus in cælum.

Quas ob res, Dei potiſsimum freti miſericordia, confidimus eo te iam loci eſſe, vnde ſpectes quam ſint inanes hæ res omnes, pro quibus digladiantur mortales, nihilique faciendæ: vbi, cum regum rege, & omnis auctore gloriæ Chriſto, & cæleſtem conſecutus es gloriam, & regno frueris ſempiterno. Vt, quoniam iſti animæ immortali poſt diſceſſum e corpore ea bona diuinitus obtigerunt, tuam felicitatem grato animo interpretari, mortem nullo modo lugere debeamus.

DIXI.

ORATIO XIX.

In funere eiuſdem Farneſij, Parmæ habita.

QVANTVM mœrorem attulerit vniuerſo orbi Chriſtiano importunus obitus Alexandri Farneſii Cardinalis, tum ex eo coniici poteſt, quod nulla vrbs fuit paulo illuſtrior, quæ non lamentationem funeris cum mortui laudatione coniunxerit: tum ex eo etiam quod dolor quem leuare debuiſſet dies, ita ingraueſcit, vt progreſsione temporis exiſtimari verius, ac propterea acrius torquere videatur. Quanto acerbior eſt, ac mi-

nus tolerandus huic ciuitati, quæ in ea, qua tantum virum coluit, obſeruantia, nulli ſe vmquam vrbi, ſed ne ipſi quidem Romæ, matri vrbium ac reginæ, conceſſiſſe profitetur. Vtinam talem produxiſſet ipſi Parma laudatorem, quales, aut aliæ produxere ciuitates, aut veſter iſte dolor, viri Parmenſes, efflagitat.

Sed mihi nulla eſt ingenij facultas, nulla copia dicendi: quod ſiqua fuit aliquando, ea omnis, non exareſcentibus iuſtiſſimo fletu lacrimis, exaruit. Nam & veſtræ perſonam ciuitatis ſuſtinere videor, & meæ Societatis: quæ vtraque ita affecta & afflicta eſt, vt hac vna ſe tantum ambæ cogitatione ſuſtentent, quod Alexander eam duxit vitam, ea ſublatus eſt morte, vt quemadmodum viuus maximam habuit gratiam apud homines, ita & mortuus immenſam videatur gloriam habiturus apud Deum. Iam, quoniam natura fit, vt in vita functorum deſiderio tamdiu requieſcat animus, quamdiu de iis audimus aliquid, aut loquimur: propterea quod ea ratione conſtituuntur nobis ante oculos, vt videantur quodammodo reuiuiſcere: ita vt plerumq; doluiſſe ſit ſolatium dolentis: quando huc proceſſi, nihil facturus videor inſtituto meo alienum, ſi breuiter aliqua leuiterq; percurram, quibus, quod quidem erit facillimum, laudatiſſimi viri laudes recordari, & quaſi recognoſcere poſſitis. Quod dum facio, & quæ dicam omnia veſtro confirmabuntur teſtimonio: nec opus habebo adſcita aliunde accerſere, vel longe petita: cum & in Farneſiam gentem omnia laudum genera conueniant, & Farneſius Cardinalis, qui omnem iamdiu orbem terrarum impleuit nominis ſui fama, tam multis abundauerit, vt quod ſuæ commune eſt genti, proprium ſibi feciſſe videatur.

Quis

Quis enim eſt vſque adeo rerum ignarus, ac memoriæ veteris imperitus, qui Farneſiorum neſciat genus eſſe antiquiſsimum, virorum virtute, nam quid dicam fortuna? gloria, rebus geſtis ampliſsimum: &, quod maxima ſibi laudi ducit, Pontificibus ſummis, eorumq; ſanctiſsimæ ſedi addictiſsimum? Et Germania olim eius auctores ſtirpis veniſſe in Italiam, cum Cæſarum comitatu, qui priſcis Italiam temporibus maxime celebrabant & in Vrbe vetere, quæ eſt vrbs Italiæ, & clara, & nobilis conſediſſe dicuntur.

Quingenteſimus prope annus eſt, cum Petrus Farneſius ſenior, cum equitum eſſet Eccleſiaſticorum magiſter, Paſchali Pontifici eius nominis Secundo, inſigni victoria de eius hoſtibus reportata, egregiam operam ſtrenuamque nauauit: nec ita multis poſt annis, ſimilem præſtitit Prudentius Petri filius Lucio Secundo: Innocentio deinde Tertio, Prudentij filij, Ranutius & Pepo: is videlicet Pepo, cuius nepos Petrus alter Vrbem veterem, quam, vt diximus, ſibi patriam Farneſii adoptauerant, a ciuili Guelforum Gibellinorumque (nota iam pridem illa erant nomina) ſeditione liberauit. Ab hac peremni, & domi foriſque conteſtata maiorum gloria, & conſtanti officio erga Romanos Pontifices, non degenerauit Ranutius, Petri filius, Ranutij nepos: cuius forti ac fideli opera, Eccleſiaſtici cum eſſet imperator exercitus, anno ante centeſimo circiter ac quinquageſimo, ita vſus eſt in re militari Eugenius Quartus maximi Pontifex animi, optimique conſilij, vt eum rei bene geſtæ ac virtutis ergo aurea roſa donarit. Vt minus mirũ videri debeat, ſi cum armis & belli artibus Farneſii principes Eccleſiæ Catholicæ fuerint adiumento, ex eadem familia multos

pace

pace illuſtres, & toga, qui eidem Eccleſiæ fuerint ornamento, extitiſſe videamus: ſic vt vnus ex iis, virtutis ductu, diuinique impulſu numinis, ad illud faſtigium peruenerit, ſupra quod in terris aſcendi non poteſt.

Is autem fuit Alexander Farneſius primus Cardinalis, quem ſummum poſtea Pontificem, & Paulum nuncupatum Tertium accepimus, natumq; magno Chriſtianæ reipublicæ bono. Qui cum multa in eo pontificatu vidit, tum maxime prouidit Romæ ipſius decori, atque orbis terrarum præſidio, cum alterum Alexandrum Farneſium cognominem ſuum, hunc, quem nobis hodie lugemus ereptum, Cardinalem creauit. Quod ipſius factum, incredibile eſt, quantus omnium ciuitatum, gentium, nationum plauſus exceperit: quam vere & ex animo ſeni ſapientiſsimo, & vicini per ſe ipſi populi, & remoti miſsis publice legationibus, gratulati ſint, & gratias egerint. Vna enim hæc erat mens omnium, vnaque oratio, neminem reperiri poſſe mortalium, tam bonum atque idoneum, cum quo communicaret curarum partem is, qui genus procurabat humanum, quam eſſet Alexander: qui & propter amorem, quo eum proſequebatur, vellet, & propter animi alacritatem, poſſet, & propter ſapientiam, qua præcurrebat ætatem, ſciret, ſanctiſsimi mandata Pontificis vel haurire, aliquid fieri iubentis, vel præcipere cupientis. Etſi enim erat eo tempore adoleſcens, aut pæne potius puer: eius tamen præclara indoles fauſtis nutrita ſub penetralibus, in dictis factiſque ita elucebat, vt eorum ſimilia deberent æquales videre, cum diſcerent, optarent parentes ac moderatores edere, cum docerent,

Videbatur nimirum, id quod erat, ex aſpectu quidem

dem atque oris dignitate, ſed multo magis ex ingenij bonitate ac moribus, adoleſcens ad imperandum natus: quandoquidem apparebant in vultu, nec parua, nec fallacia, magnarum ſigna virtutum: in fronte maieſtas, in oculis modeſtia, in genis verecundia, benignitas in ſermone: quæ omnia rebus adeo æquabãtur, vt miram agnoſceres in lineamentis corporis, & in expreſſa animi effigie concordiam. Rapiebatur nempe ad ſimilitudinem ſuorum excellens illa natura: ac præpropera quæ fuiſſet in aliis amplitudo excellentiſsimæ dignitatis, in eo matura, nihil mutauit aliud, niſi vt prodeſſe poſſet tantundem, quantum volebat. Habebat autem illud a pueritia, vt de omnibus cuperet benemereri: idque vt efficeret, non modo moleſtiam ſubterfugeret nullam, ſed omnem expeteret vltro laborem: ſumptum vero quemlibet & impenſam non faceret tanti. Meminerat, quam graue eſſet atque arduum, perſonam tueri principis, & principis Chriſtiani: eius præcipue, qui habet ſummæ proximam dignitatem. Videbat prudenter, ſe vitamque ſuam in edito atque excelſo conſtitutam loco, quo vniuerſorum oculi conuerterentur. Illuſtriorum enim facta in omnium luce verſantur: obſcuros ſuæ ipſorum tenebræ tegunt. Itaque tamquam perpetuo in quodam orbis terrarum verſaretur theatro, nihil abiectum, nihil humile cogitabat: nihil dicebat, quod reuocatum, nihil faciebat, quod infectum eſſe poſtea voluiſſet. Totum ſe in amplificationem porrigebat diuinæ religionis. Hæc ei cauſa fuit, quamobrem tres longas ac difficiles ad imperatores fortiſsimos & reges maximos obierit legationes, vnam pacificatoriam, bellicas duas, in quibus fere omnibus res Catholica agebatur.

Quæ

Quas ob res, ex tanto negotiorum vſu, eam conſecutus videtur prudentiam, vt quoniam in omnibus, quæ grauioris eſſent deliberationis, eius conſilium pro reſponſo, dictum pro oraculo habebatur, eo admonente nihil non fieret, inſciente nihil: magnumque ſemper illius ſententiæ in illo regum ſenatu, in illo concilio orbis terræ momentum haberent. Addo vnum quod vt eſt maximum, ita etiam veriſſimum fuit: effectum deinceps, vt comitia pontificia fere omnia ſuis humeris ſuſtinaret. Ad prudentiam porro addebatur auctoritas, qua poterat plurimum apud plurimos, prope dixi omnia apud omnes. Ex quo factum eſt, vt multi eum hominum cœtus & collegia, religioſorum familiæ, ciuitates, gentes, nationes, tutorem ac patronum vltro depoſcerent: quibus omnibus non tantum verbis & conſilio, ſed etiam rebus factoque benigne faciebat. Huiuſmodi enim munera, non ad ſuam ſibi exiſtimationem, ſed ad aliorum vtilitatem, referri volebat. Nihil hoc loco numerandum, multo minus augendum videtur: quod & numerari facile pauca, & augeri tantum parua poſſunt. At, quæ hic dicenda eſſent, tot ſunt & tanta, vt cum ſpe enumerandi, numerandi quoque cupiditatem, & cum facultate amplificandi, omnem penitus abſtulerint attingendi voluntatem. Quindecim annos, & pauculos præterea dies (tot enim Tertius conſeſſus eſt Paulus Pontifex orbi terrarum) quindecim igitur annos Pontifici maximo Alexander Cardinalis conſiliorum conſcius ac rerum adminiſter fuit. Toto eo tempore, nec eius fidem deſiderauit Pontifex, nec quiſquam omnino mortalium, moderationem. Non inflauit illi animum potentia, non extulit honor, non doloſi abſtulit ſpes nummi, non abſorbuit

ſorbuit æſtus opum & copiarum. his namque rebus omnibus ita vtebatur, vt eæ non ſuperbiæ viderentur aut auaritiæ, ſed benignitati ac liberalitati facultatem & materiam dediſſe.

Non ignorabat vir ingentis animi, præſtantiſq; doctrinæ, poteſtatem in homines hominibus a Deo tributam, vt iis proſint, quibus præſunt, & æquitate conſtituenda, tenuiores prohibeant iniuria: conceſſas deinde pecunias, non vt domi inutiliter habeantur, non vt in arca recondantur, non vt defodiantur in terra: ſed vt foras liberaliter effundantur, ſed vt diſpergantur denturque pauperibus, ſed vt eorum in animo quaſi in agro obſerantur, vt cum centeſimo efferat, & vberrimum fructum in ſempiternam vitam propaget. Similiter illud cogitabat, quanto ſit pulchrius & iuſtius, multorum parentem dici egentium, quam pecunioſum haberi: aurum a natura mortalibus, non poſſidendi tantum, ſed multo magis vtendi cauſa datum: corrumpi aquam in puteo, niſi frequenter exhauriatur: ſquallere & confici quodammodo diuitias in occulto, niſi ad multorum ſubſidia in ſplendorem lucemque proferantur. Itaque vt quibus præficiebatur populis, vel iure paternæ hæreditatis, vel Eccleſiaſticæ iuriſdictionis, eorum ſaluti atque vtilitati proſpiceret, nihil ad ſuum commodum, omnia ad eorum pacem & conſeruationem cõferebat. Hoc enim auctoris dictum eloquentiſsimi, cum plurimum poſſet etiam ipſe dicendo, præ ceteris laudabat: vt nauis gubernatori curſum ſecundum, vt medico ægroti ſalutem, vt imperatori victoriam, ſic optimo moderatori reipub. beatam ciuium vitam eſſe propoſitam, repetabat frequenter illud, ac meditabatur aſsidue, quod per virum ſanctiſsimum

effatus eſt cæli terræque moderator, Diligite iuſtitiam qui iudicatis terram: diuinoque illi præcepto diligenter obtemperabat.

Potentiorum igitur aliqui ſe efferebant: inſolentes eorum ſpiritus reprimebat, exultantes coërcebat. obſtruebat paupertas ora hominibus, metuentibus ne oratio nihil haberet ponderis propter humilitatem loquentium: iis facilitate aditus, hilaritate vultus, affabilitate ſermonis, animos dabat: eos ſecundis auribus audiebat, eorum cauſas primo quoque tempore iudicabat. Ita ius ſuum cuique tribuendo, nihil cuiquam demendo, tantum profecit, vt eius illam poteſtatem, tutelam potius: ipſum vero, non herum, non dominum, ſed patronum, ſed patrem nominares. Mirifica enim (quod vos non fugit) ſemper fuit integritate, continentia, & promiſcua erga omnes beneuolentia. Nec vero hoc tantum ipſe faciebat, ſed ad eamdem etiam normam atque exemplum conſiliarios ac iudices dirigebat ſuos: quorum tum facta, tum etiam dicta præſtanda ſibi putabat. Ne multa: erat dubium nemini, quin omnium, quibus præeſſet, ſalutem, liberos, famam, fortunas haberet longe cariſsimas: ita, eo præſide, aut, quod conſtabat, tutore, felices ſibi omnes ac fortunati videbantur.

Iamdudum fere inuitus in hac parte orationis morer, auditores: quod verendum eſſet, niſi apud vos dicerem, quibus pleriſque hæc ſunt omnia notiſsima, ne hæc e veterum laudationum formula decerpta videantur: & dicta magis, vt effingeretur forma iuſtiſsimi principis, quam quod Alexandrum principem talem eſſe contigerit. Quod certe non ita eſt. Neq; enim aut Alexander is fuit, qui ſit ornandus falſis laudibus,

bus, nec vos onerandi mendaci oratione, neque ego vos ineptæ aſſentationis velim habere iudices, accuſante conſcientia: præſertim quod periculum eſſet, ne e rerum ſuſpicione communium, id eſt, earum, quæ de aliis etiam vtcumque dicuntur, aliqua adſpergeretur iis macula, quæ Alexandri, vt ſtatim apparebit, propria fuerunt. Quarum tamẽ auctoritate, quoniam omnium præconio commendantur, debent confirmari potius ſuperiora, quam vt quicquam de conſequentium veritate detrahatur. Non faciam hoc loco, auditores, vt dicam de ſplendore eius domeſtico, de aula refertiſsima in erorum principum, de florentiſſima illa aula, e qua rectores vrbium prudentiſsimi, patres ampliſſimi, ipſi etiam Pontifices ſanctiſſimi prodierunt. rapit enim orationem ſingularis ea virtus, ad quam veſtra me iamdudum vocat expectatio: cui omnino occurrendum videtur.

Intelligitis, opinor, illud, de quo me dicturum profiteor. Subiecistis enim veſtræ cogitationi Alexandri Cardinalis prolixam illam ac regiam, atque, vt ſimpliciter & vno complectar verbo, Chriſtianam beneficentiam noſtræ futuram reliquæ orationis argumentum: quod quidem ita moderabor, vt meminerim, non ipſius eſſe magnitudini, ſed temporis breuitati ſeruiendum. Etenim non genera percenſebo ſingula, ſed aceruatim multa, vna aut altera comprehenſione deuinciam. Quippe, vt Dei immortalis erat ſacerdos, diuinorum ſibi templorum curam habendam eſſe intelligebat, eaque ſarta, vt aiunt, & tecta integraque tuenda. Templorum autem duplex faciebat genus: vt inanima eſſent altera, altera animata: illa culminibus conſtant & compage parietum, & ſacræ ædes nominantur:

nantur: hæc animo & corpore, & homines vocantur. Cuius vtriuſque generis vtilitatibus, quibus quidem rebus ſciret & poſſet, arbitrabatur ſibi conſulendum: etſi hoc diſcrimine, quod illa liberalitas propter magnificentiam occultari non poterat, hæc propter moderationem animi, ſi fieri poſſet, volebat omnino vt lateret. Quocirca vtroque de genere dicam quam breuiſſime: cum illud ita incurrat in oculos, vt qui id agat, Solem doceat meridie lucere: hoc autem nec tantum oratione dici queat, quantum mente exiſtimari, nec exiſtimari tantum mente, quantum re ipſa fuit. Via igitur vtemur in vtroque. Etenim in illorum lucem leuiter conuertam obtutum, ne acies hebeſcat: & horum ſpeciem per tranſennam indicabo: vt ex ea veluti vmbra & ſimulacro, quæ ipſa ſub oculos non cadunt, eorum imaginis formam ac pulchritudinem animo comprehendatis.

Atque vt a genere exordiar priore. Dies me deficiat, auditores, ſi velim numerare quot inſtaurarit templa de ſuo, quot ornarit, quot extruxerit. Nec vero id, ſi in paucis fecero, præſtare poſsim ſine offenſione multorum. Nam ſi ad Siciliam aggrediar, obijciet ſe reliqua Italia: ſi morem Italiæ geſſero, occurret cum ſuorum oſtentatione templorum Gallia Narbonenſis: aliæ etiam nationes: nec ſatisfacere potero omnibus, ſine veſtra ſatietate. Erat enim Alexander animo plane regio, quem non tantum Roma in ſuburbana oſtendit villa ad Ciminum montem: quæ quoniam nec longo itinere nec deuio patebat illuſtribus viris, regum hoſpita dicebatur: ſed in templorum ornatu cultuque magnifico, quæ Deo eſſent ac cælitibus conſecrata. Hoc Parmæ licet aſpicere: hoc Placentiæ: quid putatis Romæ?

in ea vrbe, quæ adoleſcentem admirata, virum vene-rata, complexa eſt ſenem, ac mortuũ ſepulcro? Nullus fere in ea vrbe locus eſt, in quo non pedem ponas in aliquo Farneſiorum veſtigio.

Sed hæc omitti videlicet poſſunt, ne in his quaſi maximis videar immorari, qui ſtrictim maiora percurri. Illud quidem certe tacitum præteriri non poteſt: quod ſi præterirem, occurreret ipſum mihi, & argueret imprudentiam ſanctiſsimum illud templum ac religioſiſsimum, quod Ieſu nomini dedicauit: vt eſſet illud quoque perpetuum eius erga Societatem noſtram monumentum voluntatis. Templum illud dico, quod qui non vidit, nemo eſt quin cupiat videre: qui vidit, nemo eſt quin iterum ac ſæpius ſummo ſtudio viſendum putet. Templum ornatiſsimum dudum & pulcherrimum, nunc & honoratum & acerbum: cui, vt animata illa templa exanimẽ ſacerdotem ſuum multo lacrimarum imbre lautum, & bono odore laudum, vt ita dicam, delibutum commiſerunt, in eodemq; monumento ſpes ſuas pæne omnes, atque adeo animas condiderunt (etſi templo animus quidam eſt additus) perpetua tamen ſuberit memoria tam communis publicæque iacturæ: tum ob magnum illud nomen, quod inſcriptum habet in fronte: tum multo etiam magis ob ſacrum illud corpus magnæ illius tabernaculum animæ, quod habet incluſum in pectore: ita non ſine graui quodam ſenſu cerni poterit, acrique morſu doloris: is autem quantus futurus ſit in omne æuum, vt ne explicem multa, ex præterito conijci poteſt.

Quid enim animi fuiſſe putatis, A. tam multis viduis, pupillis, extorribus, patrimonio naufragis, vno verbo, cunctis vel neceſsitate, vel libera propter Deum

voluntate egentibus, vbi cum viderunt mortuum, quem, cum viueret, defenſorem, tutorem, patronum, portum, arcem, atq; aram habebant? qui omne liberalitatis genus, quod ab humanitate eius & poteſtate proficiſci poterat, non re tantum, ſed verbis vultuque exprimebat? Quid, cum inſigne conſpexerunt elatum feretrum Alexandro repoſito? cum e regia proceſſit domo funus illuſtre? quos editos dolentium gemitus, quas auditas quiritantium voces, quem concurſum factum plorantium, quam tempeſtatem querelarum? Nam quid de comitatu, miſero ne magis dicam, an miſerabili? quid de publico vrbis ſquallore fletuq;, ac lamentatione omnium? quid de apparatiſsima ara ſepulcri? quid de laudatione veriſsima atque ornatiſſima? quid de regalibus exequiis, ad quas celebrandas & cohoneſtandas omnes ætates ordineſque conuenerunt? tantumque effuſum lacrimarum, vt nihil ſimile, qui Romæ ſunt, aut ſe vidiſſe vmquam, aut etiam audiſſe teſtentur? Quis autem ex omni memoria Romæ obiit, cuius deſiderium tam multi publice priuatimque declararent? quis communi cunctorum luctu teſtatior? quis multiplici oratione laudatior? quis variis verſuum modis numeriſque commendatior? quis denique omni honorum genere glorioſior? Neq; tamen id ſine cauſa: illius enim mortem querebantur omnes, cuius vita efflореſcens omni genere laudum, & priuatis plurimorum rebus erat vtilis, & publicus neceſſaria.

Audiuimus hæc nos poſiti tam longe: vidiſtis ea vos, cum agerentur Romæ, nonnulli. Audiſti hæc Ranuti: vidiſti, & pars magna eorum fuiſti, Odoarde, principes excellentiſſimi, ac par fratrum mutuo amore coniun-

coniunctiſſimum: tantoque vterque elati eſtis dolore, vt in ſumma iſta conſenſione, & conſpiratione animorum, pleniſſima quædam amoris inter vos eſſe poſſit concertatio, ex acerbitate rerum, atque interitu cariſſimorum, oculi ne, dolorem, an aures augere videantur. Sed vbi parentem relinquam veſtrum, heroëm illum inuictiſſimum atque optimum? ſic enim appellare iure videor virum, qui belli gloria ac virtute omnes omnium ætatum æquauit, noſtri autem ſæculi imperatores ſine vlla controuerſia ſuperauit.

Quamquam tibi Alexander, non minus ſapientia & Chriſtianis virtutibus, quam conſtantia & bellicis laudibus excellens (te enim abſentem appello, te mea hæc extrema compellat oratio) tibi inquam multa occurrunt, vt ſcio, quæ omnem abluant, aut certe minuant ægritudinem: quæ nunc, vt res eſt, commemorare non habeo neceſſe: cum præſertim, is, qui terras reliquit (e cælo, quod vt ſperaret, faciebat Dei clementia, ad cuius ſibi templum verum atque æternum per beneficentiam aperuit iter) patruus tuus, te, atque hos tuos filios, vt mihi quidem videtur, ſic alloquatur: Humane facitis, & tu fratris fili, & vos huius filij mihi cariſſimi, qui meum doletis exceſſum: quod magno vobis præſidio ſpoliati, atque ornamento deſtituti videmini. Sed ſapienter Chriſtianeque facietis, ſi ea cogitabitis, quæ depellere omnem omnibus moleſtiam poſſunt: quæ licet mecum breuiter recognoſcatis. Ego ex iiſdem, quibus vos, ante vos, radicibus natus, non paucos annos in luce orbis terrarum fui: nec ſine aliqua luce.

Fui vnus inter multos in ampliſsimo patrum ordine, in ea curia, quam ædem ſanctitatis, præſidem religio-

ligionis, partem meliorem humani generis appellãt: principatum in ea nuper tenui more maiorum: ſummam inter homines vt aſſequerer dignitatem, non tam laboraui, quam vt eſſem digniſsimus: nulla me aut inuidiæ procella, aut ambitionis aura, potuit a vero recto que curſu, id eſt, ab æquitate ac iuſtitia mouere: meam auctoritatem valere volui, ad regum pacificationem, ad hæreſum expugnationem, ad Chriſtiani nominis amplificationem, ad ſalutem innocentium, ad opem impotentium, ad auxilium calamitoſorum: nihil magis, cum inter vos fui, ad me pertinere arbitratus ſum, quam obſeruantiam & pietatem in Deum. Hoc aræ teſtantur, hoc templa: his quaſi gradibus in cælum aſcendi. Hic ſunt noſtrorum animæ auorum, qui in terris cum eſſent, Eccleſiaſticam protexerunt ditionem, atque auxerunt dignitatem. Huc vos ire decet, per ea, quæ impreſsimus veſtigia. Hæc perpetua in vobis cogitatio cupiditatem accendere debet imitandæ veſtræ cognationis. Quod ſi aliquod videtur, mei deſiderio, accidiſſe vobis inter mortales incommodum: illud & memoria noſtræ virtutis, & ſoboles iſta generoſa compenſabit. De me enim ſemper Romana loquetur reſpub. ſemper Chriſtianæ gentes prædicabunt: nulla vnquam obmuteſcet vetuſtas, nullæ litteræ conticeſcent: ita nec meum vobis decus deerit, nec ſtudium vos poſteroſque apud Deum immortalem adiuuandi. Vos contra, vt nec a noſtro diſcrepetis genere ſplendidiſsimo, atque antiquiſsimo: id eſt, vt nec vos, veſtræ, adoleſcentes, excellenti deſitis indoli: nec tu Alexander, præ cuius excelſo iſto animo, & exaggerato omnibus virtutibus, Magnus ille, iam minor videtur, tuo aut nomini, aut honori, quem in cælum factis extuliſti, non reſpondeas, prouidete.

Hæc viſus dicere, eademque opera mihi ſilentium indicere, Alexander Cardinalis. Etſi ego plura dixi, quam oportebat, vel officij cauſa, vel doloris. Quod ſi officium vobis non probaui, probaui tamen dolorem: officium autem excuſabit, ſi non facti gloria, at certe faciendi voluntas.

DIXI.

ORATIO XX.

In funere Alexandri Farneſij Parmæ ac Placentiæ Ducis.

QVARTVS annus eſt, P.A. ex quo hoc ipſo in templo, Alexandri Farneſii, qui princeps fuit veſtri ordinis, honoratum funus atq; acerbum, par morti & vitæ ipſius, ſummo dolore omnium, ac mœrore multorum rite atque ordine celebraſtis. Hodie, eodem in loco, eadem ex familia, Alexandro alteri, qui quamdiu vixit, ornamentum præſidiumque cum eſſet militiæ Catholicæ, immaturo quidem obitu ſed inuidendo, & admirabile ſui deſiderium noſtræ ætati, & incredibile omnibus ordine conſequentibus excellentiſſimarum virtutum reliquit exemplum, piis cum lacrimis, & debitis laudibus iuſta perſoluenda ſunt. O inconſtantiam

conſtantiſsimam rerum humanarum. O vere breues nimium & infauſtos ſemper populi Romani amores. Sed luctum amiſsi Cardinalis, cui auitam dignitatem in ſede celſiſsima, votis iamdiu deſponderas Roma, mitigabat vita immortalitate digniſsima fortiſsimi Ducis: is enim ferociſsimas inter gentes, & excuſſa religione Regis imperium detrectantes, multis victoriarum gradibus aſcenderat ad ſummam gloriam Caroli aui, quæ quoddam veluti faſtigium videtur eſſe bellicæ virtutis. Nunc vix quattuor intra annos & patruo & fratris filio extinctis duobus luminibus ſplendidiſſimæ domus, poſterior calamitas priori addita, cuius propter magnitudinem memoria adhuc in animis inſidebat, grauiorem vtramque & veluti duplicata clade triſtiorem in oculis omnium atque in mente defigit. Et fuit ſane aliquid in illo cohonestando, quod in media tempeſtate querelarum, in eo, vt ita dicam, flumine orationum, a Magno laudatore fons ornatiſsimæ laudationis erupit. in huius autem exequiis, attonitis credo multorum lacrimis & vocibus, propter magnitudinem doloris, qui ora obſtruit, & materiæ, quæ ſuperat omnem dicendi facultatem, neſcio quo modo hæc tanta mihi moles incubuit: in quo nihil agnoſcas aliud, niſi vt tacente in riuulo & vix fluente, ſimilitudinem curſus fluuiorum maximorum. ita proprium videtur eſſe Alexandrorum militari laude præſtantium, quod ad Sigeum Macedo conqueſtus fuiſſe dicitur, vt conuenienti laborum ſuorum præconio careant. quamquam hic noſter, in cauſa bellandi, & difficultate bellorum, vt illius gloriam æquauit, ſic etiam cum de cæleſti tantum & æterna cogitaret, caducam & humanam, qua humanum ſupra modum incredibili-

dibiliter flagrabat ille, contempſit: quam etſi nunc propterea negligit magis, quod illam, vt ſperamus, Deo adiuuante, meritus, & donante adeptus eſt: tamen aquum non eſt, vt in hoc eius ſupremo honore a nemine laudetur, qui quoniam excellebat omni genere laudis, laudari ab omnibus meritiſsimo poteſt. Hoc ego ipſum, quando ita res tulit, dum facere conor, in has tanta copia rerum, & inopia temporis, P. A. dabo diligēter operam, earum varietate, & breuitate orationis, vt minus moleſte audiar a vobis: res quidem ipſa ſuo ſplendore ac pondere efficient, vt, cum dicentur a nobis, digna hoc conuentu & ſilentio, digna veſtris ſtudiis & auribus eſſe videantur. Ac primum, quod inter ſollemnia pietatis fieri ſolebat antiquiſsimis temporibus in hac vrbe, vt praferrentur maiorum imagines paterni maternique ſanguinis, non commemorabo praſtantiſsimos Duces, ſapientiſsimos Cardinales, ſanctiſsimos Pontifices, Reges potentiſsimos, Imperatores inuictiſsimos, Heroas denique clariſsimos, illaque non tam virorum, quam virtutum nomina, e quibus ſine controuerſia mortales omnes poteſtate, gloria, dignitate ſuperantibus, ſiue patrem eius ſpectes, ſiue etiam matrem, effloruit Alexander. Natus eſt autem Octauio ſecundo Parmenſium ac Placentinorum Duci, viro maximi animi ſummique conſilij, ex Margarita Auſtria, qua in regendis populis ſub ſpecie femina virilem animum gerebat, eodem partu cum fratre Carolo, qui & ortus poſterior, & paucis poſt menſibus mortuus eſt: vt eum facile appareret hac veluti pra rogatiua diuina voluntatis, ad adminiſtrationem & confectionem rerum ampliſsimarum fuiſſe reſeruatum. Et natus eſt in hac luce orbis terrarum atque

arce

arce omnium gentium, anno huius ſæculi quadrageſimo quinto, menſe Auguſto: quo tempore proauus paternus rem Chriſtianam ſacris & legibus religioſiſſime procurabat, maternus auus armis eandem & victoriis glorioſiſſime propagabat. ablutus eſt ſalutaribus aquis a Ioanne Dominico Cuppio Cardinale, tunc principe Senatus, tantis & tam effuſis ſtudiis Romanæ vrbis, quantis vmquam res vlla pleniſſima lætitiæ concelebrari poteſt. vt ex his rebus ac ſimilibus intellexerit vel a prima pueritia, mirificum ſe ſtudium Catholicæ Religionis, imperatoriæque fortitudinis, & dignitati parentum, & patriæ ſplendori, & auorum maieſtati, & expectationi omniũ præſtare debuiſſe. Secuta eſt puerilis educatio digna genere, paternis primum in penetralibus, tum apud matrem præpoſitam Belgio, poſtremo apud auunculum Philippum Regem in Hiſpania: quibus omnibus in locis, vt erat ſumma ingenij gloria, neque in dubiam ſpem genitus imperiorum maximorum, quas artes combiberit vere regias, mora ætatis non retardante præcurſionem virtutis, quibus ſtimulis, & celebritate prœliorum, quæ ſæpe audiebat, & ſanctitate exemplorum, quæ ſemper videbat, excitaretur pulcherrimus animus ad ſimilitudinem ſuorum, idcirco prætermittendum eſſe cenſeo, quod & flos optimæ indolis ex vbertate fructuum poſterius intelligetur, & exiguum hoc tempus, quod ad dicendum datur, exiſtimem non in commemoratione præceptorum, quibus imbuitur adoleſcens, ſed in enumeratione factorum, quibus omnis poſteritas inſtruetur ad ampliſſimum decus, conſumi oportere. Vnum illud dicam, quoniam Natura non ſinit, vt qui rerum magnarum & grauium aſſiduo vſui & exercitationi

ſunt

ſunt dediti, demiſſos præ ſe animos & leues ferant, cum ſemper in ipſius auribus, oculis, cogitationibus, aui, parentes, patrui, auunculi, quibus nullus honos tribui non debitus poteſt, verſarentur, omnem ab eo diſciplinam, qua quid præciperet aliis perdiſcebat, non æquatam ſolum imitatione, ſed etiam æmulatiotione ſuperatam. Finis adoleſcentiæ principium fuit bellorum: cum ad commemorabile illud omnibus ſæculis, idemque rariſſimi exempli, nauale prœlium, quo ad Naupactum cum teterrimo atque immaniſſimo Chriſtiani nominis hoſte ſummis vtrinque viribus atque acerrima contentione certatum eſt, quadringentorum militum lectiſſimorum longoque bellandi vſu peritiſſimorum voluntarius ductor acceſſit. Et conſecuta eſt admirabilis illa victoria, quæ & incredibile gaudium attulit populo Chriſtiano, & principi Alexandro tyrocinium quodammodo militiæ fuit. Aduerſus eoſdem hoſtes poſtero anno non ita diſſimili certauit euentu: cum ad Pylum Meſſeniacam, Auarinum appellant, quinque ipſorum millia equorum pernicitatem non ad pugnam, ſed ad fugam conuertere coëgit: & docuit non nauali ſolum prœlio, ſed & terreſtri quãtumlibet Barbarorũ agmen, ſi Chriſtianorum aciem oſtenderis, poſſe ſuperari. Ad eamdem expeditionem eodem animo atq; inſtructu rediit & anno tertio. verum, an quia differendo elanguit res, Deo aliter viſum. Sed hæ pugnæ, maximæ licet ac præclariſſimæ, ſi conferantur cum Belgicis, quibus poſtea non interfuit modo, ſed etiam præfuit, proluſiones quædam, & veluti pericula fuiſſe videantur. Miſſus enim eſt a Philippo Rege in Belgium, quod, efferueſcentibus dudum Gallis, Germanis, Scotis, Anglis, aliiſque

quæ

quæ nationibus in illos terrarum tractus, non tumebat, vt nuper, bello, ſed penitus ardebat. armata videlicet impietas plenis impudentiæ velis ad ſummum audaciæ gradum ferebatur. præerat ſummæ rerum, is, cuius paucos pares tulit militaris diſciplina, Turcarum victor, Hæreticorum domitor, Catholicorum ductor, Ioannes Auſtrius, Caroli Quinti filius, auunculus Alexandri. Ei, diuino (vt poſtea cognitum eſt) conſilio, additus eſt Farneſius, non ſolum particeps belli, ſocius & adiutor laboris, ſed, quod res ipſa oſtendit, & vicarius periculi, & ſucceſſor honoris atque imperij. Ei vero cum operam daret, tum fortiter multa & foeliciter effecit, tum maxime illud, quod prid. Kal. Februarij ineuntis anni ſeptuageſimi octaui ad Gemblacum oppidum, templi olim ſanctitate & bibliotheca nobilitate, nunc etiam nefariorum fuga hoſtium ac cæde memorandum, auctor fuit proſperæ illius pugnæ claræque victoriæ, quæ ſicut ſpem omnem vicit rei gerendæ, vinceret pariter geſtæ fidem, niſi conſtaret aliis quoque in prœliis, Deo ſuffragante cum eius cauſa agitur, non ſecus ac ſi nudi congreſsi eſſent cum armatis, maximas & paratiſsimas perduellium copias exiguo piorum numero fractas & profligatas fuiſſe. Quo tempore, cum trecentis equitibus, audite P. A. audite renouatum Gedeonis miraculum, cum trecentis equitibus aduerſus equites octingentos, & ſedecim millia peditum, ineundi primo certaminis, mox etiam committendi prœlij princeps fuit. diceres propemodum in tanto diſcrimine periculi Alexandrum Farneſium ſecuritate animi & alacritate vincendi ſupra mortalium euectum eſſe naturam. ita inſignis equo, manu, voce, cum eſſet terrori hoſtibus, ardori ſuis, miraculo

raculo omnibus, irruptione ſubita, per cæſorum ſanguinem, per cadauerum campos, equitibus quos ducebat & pugnandi viam aperuit, & vincendi artem oſtendit. cæſa eo die, vt conſtans fama tradit, hoſtium decem millia, capta equitum ſigna quattuor, peditum amplius ſeptuaginta, & cum copioſo commeatu atque impedimentis ſex bellica tormenta: capita præterea hominum circiter ſexcenta, quos inter præfecti ſeu centuriones triginta, atque ipſe Guignius, cui totius cura commiſſa exercitus erat. Eam rem, etſi vt inſperatam admirabatur, vt bene geſtam gratulabatur Auſtrius, tamen, cum vereretur ne ſpes ſimilis præcipitaret iuuenis audaciam, non diſsimulata lætitia & felicitate euentus, caute admonuit ſororis filium, eſſe eum ſibi ex præſcripto Regis conſortem imperij datum: ſimulq; ſic diuiſa eſſe inter exercitum ac duces officia, vt obſequio miles & gladio, is autem cui commendatum eſt bellum, imperio & conſilio rem gerat. in priuato milite vitam vnius, in imperatore ſummam totius rei periclitari. Ad ea paucis Alexander: ſed vt in modeſtia prudentiam agnoſceres. Ignorari formam imperandi, cui cognita non ſit materia parendi: nec niſi per experimenta obſequiorum perueniri ad munia rectiſſimi principatus. O vocem omnium teſtimonio litterarum, omnium fama ſæculorum & admiratione prædicandam. O virum naturæ ad exercitus perite regendos, ad res fortiter gerendas, ad debellandos populos rebellantes, eoſdemque ſubactos armis in officio continendos. Quod & perſpectum eſt ab eo anno per annos ipſos quattuordecim vſq; ad vitæ tempus extremum: ex quo ſcilicet. Kal. Octobribus, haud multo maior ea ætate quam Plato dixit eſſe idoneam imperatoriæ dignitati,

gnitati, ſucceſsit Ioanni Auſtrio decedenti: ſic enim ſapienter prouiderat Philippus, ne expeditio illa manca ac debilitata relinqueretur. Neque enim honos ille ex tempore, quia neceſſe fuit poſt auunculi mortem, ſed quia oportuit, delatus eſt Alexandro. Iamdiu Regi, regni proceribus, ac militibus, perſuaſum erat, nullam eſſe tantam rem tamque difficilem, quam non ille & conſilio regere, & auctoritate tueri, & virtute conficere poſſet. Et tunc denique iudicatur an dignus fuerit aliquis, qui magiſtratum adipiſceretur, cum eſt adeptus. Hoc loco, planius vt intelligatur, quantum boni attulerit Farneſius rei Belgicæ, & Catholicæ, quam vtramque lapſam mira felicitate reſtituit, faciendum videtur, vt breuiter indicem quo in ſtatu res eſſent, cum ipſe in imperium venit. Belgæ fortiſsimi olim Gallorum inter tres Galliæ partes numerabantur: ora eorum omnis ab ſitu in Oceanum vergente, Germania inferior, a regione, vt volunt, nobiliſsima, non vetere admodum vocabulo, Flandria dicta eſt: diuiditur enim in regiones ſeptemdecim celeberrimis oppidis & maximis opibus abundantes. fere omnis ad Philippum Regem pertinet iure paternæ hereditatis. Et potuit omnis illa ora florentiſsima ſapienter frui tum amplis naturæ bonis, tum clementia Regis, ſi felicitatem, vt aiunt, ſuam concoquere potuiſſet. ſed e paruis ſcintillis, quas eiectas ex ore Auerni nutriuerunt homines voluptatibus dediti, auxerunt impij flatibus concionum, paulatim excitata flamma, tantum incendium exarſit, vt omnis fere Belgica eadem peſte comprehenderetur. ita, cum ſeditioſi quidam ac mali ciues, & patriæ prius deſertores quam Regis, leges violare, tentare Regis manſuetudinem, præter

ius faſque omne commutare Catholicam diſciplinam conati eſſent, in tot & tantas calamitates prouinciam omnem adduxerunt, vt cui prius etiam qui illam non oderant inuidebant, eam reddiderint æque inuidis hoſtibuſque miſerandam. Nec deſiit experiri Rex clementiſſimus remedia molliora: vt quod leniri quam reſecari mallet, mitior medicina ſanaret. ſed inueteratum malum & quotidie robuſtius ferrum poſcebat. In eum autem res erat adducta locum, vt qui cum poſſet vincere, optaret ignoſcere, parum abeſſet quin vinceretur. E ſeptemdecim illis quas dixi regionibus, dumtaxat duas, Luxemburgum, Namurcumque (vtendum eſt his vocibus, vt facilius intelligamur) & vnam preterea vrbem in Geldria Ruremundam Ioãnes Auſtrius moriens Farneſio reliquit: neque hæc tamen omnia ſatis in tuto. Quippe Alenconius, Ducem eum quærentium Belgarum ſtudio paratus, cum Gallis ſuis, & funeſta illa, Hæreticorum fax & furia, Ioannnes Caſimirus, cum Germanis, omnia fere infeſta habebant. Regius omnis exercitus non adeo magnus cum Duce ipſo ab equitatu hoſtium octodecim millium, a peditatu millium quadraginta, intra Namurcum, validum licet oppidum & ſatis firmum non a muro tantum & commeatibus, ſed a Moſa etiam foſſa & vallo montium, tenebatur. In hanc tantam conuerſionem aut euerſionem potius rerum inciderat Alexander, cũ præfectus eſt bello. Sed profecto, vt verni ſpeciem ac tranquillitatem tẽporis ſuperioris fœditas hiemis aſperitaſq; commendat, ex cæca illa tẽpeſtate virtus eius apparuit illuſtrior: & plurimũ acceſſit laudũ ex multitudine terrorum. Igitur vt perculſum ex triſtitia amiſſi auunculi, & ex grauitate oneris impoſiti,

animum

animum erexit: neque enim obliuiſcebatur curarum molem magnitudini imperij reſpondere, nec quicquam eſſe grauius quam ſuccedere bono principi: ratus in magiſtratibus plerumque vt initia audiunt, talem famam fere eſſe reliqui temporis, atque inibi rem eſſe, vt hoſtes non ex ſucceſſu prœliorum, ſed ex acceſsione auxiliorum inſultantes vltro laceſſendi bello, non ſolum refutandi viderentur, ex propinquis Sequanis Germaniſque, vt omnino eſſet peditum triginta millium, ſeptem millium equitum, expleuit exercitum. His auctus viribus, etſi nequaquã par hoſti: O ſingularẽ animum ac ſpiritum vere Romanum capto tẽpore bellum intulit, tanto ſuorum ardore, quos principis accendebat exẽplum, vt hoſtes impetum ferre non poſſent. Quamobrem cum alacritas manuũ atq; etiam mentis tranſiſſet in pedes, non victoriã modo dedere perſequẽtibus, ſed etiam voluptatẽ: cum ipſi ſe mutuo feſtinando morarentur. Nec maior animus aut melior euentus Caſimiro fuit: illi inquam Caſimiro, quem, ſiue hominis odium in rem Romanam, id eſt Catholicam, conſideres, ſiue ingenium, alterum Hannibalem appelles. Sed hic quoque ſuum eſſe Romanis Hannibalem expertus eo anguſtiarum cum omnibus ſuis turmis & cohortibus, quas multas & validas habebat, compulſus eſt, vt cum neque egredi ad mortem vellet, neque progredi in pugnam auderet, elabi vero inuito Alexandro non poſſet, non niſi acceptis condicionibus dimiſſus ſit, ſe intra biennium contra regem Catholicum numquam arma capturum. Etſi poſtea, qui Hannibalis artes induerat iamdiu, perfidiam non exuit. Et quamquam mihi, quo longius progredior, latior aperitur campus explicandæ orationis, iis rebus exponendis, in quibus Alexander

xander

xander explicuit virtutes ſuas, quæ illis habuere temporibus ſpatium exemplorum: tamen quoniam non tam cogitandum eſt quid dicam, quam qui audiant: etſi perdifficile eſt in re magna tenere temperamētum: ita me tractabo, vt prætercam plurima, quæ vnicuique ſua ſubiicere poteſt cogitatio: confuſe multa & quaſi aceruatim ponam, quæ ex ſuo genere intelligentur: ſeparem tantū ac ſeligam aliqua, quæ excellentē propter magnitudinē, plus voluptatis, propter excelſitatē animi, qua ſemper præſtitit Alexander, plus admirationis videantur habitura. tametſi non parum imminuentur me dicente, tantum abeſt, vt facta verbis exæquari poſſe confidam. Iam vero, quoniam vos non fugit, quam in anguſto eſſent res Hiſpanorum in Belgio, vbi ad Farneſium eius adminiſtratio tranſlata eſt, neque ignoratis diu ante ipſius obitum continentem omnem oram in ſui poteſtatem Regis, atque ad Eccleſiæ Romanæ obedientiam, eiuſdem armis fuiſſe & conſilio reductam: cogitate cum animis veſtris, quam immenſi res operis fuerit & laboris, quanto periculo & pretio conſtiterit præmium victoriæ. nimirum ex eo quod defecerant oppida tam multa, tantiſque copiis atque opibus firma, coniicietis quam magno conatu ac ſudore fuerint recipienda. Et quoniam cuncta plena erant turbarum, armorum, odiorum, veniat in mentem, quam arduum fuerit & difficile, vel componere, vt reſipiſcerent: vel vincere, vt quieſcerent: vel placare, vt verum dominum agnoſcerent. Certe iam nihil non erat, aut metu quietum, aut bello domitum, aut pietate deuinctum. An non videre videmini Alexandrum, imitatorem atque æmulum illius, qui cognomen ſuum rebus geſtis æquauit, cuius & nomen ferebat, in cuius virtu-

virtute, auctoritate, felicitate, omnem ſpem reciperandæ Belgicæ repoſuerat Philippus, fide, conſtantia, magnitudine animi, & amore in auunculum Regem prorſus ſingulari, nihil aliud quam de bello ac de victoria cogitantem, aduerſariorum conſilia callidiſsime indagantem, ſua cautiſsime occultantem, rapientem rei gerendæ opportunitatem, quæ præteruolat, non expectantem, nullam hoſtibus dantem, caſtris locum capientem, commeatus expedientem, inſidias præcauentem, tempus pugnæ deligentem, acies inſtruentem, ſubſidiiſque firmantem? Hiſce artibus vtebatur ante prœlium, ea ſcilicet prudentia, vt non, nihil timens, ſed nihil contemnens, non quæ probaret ſequenda eſſe duceret, ſed ea ſequeretur, quæ probanda eſſent. Quid in prœlio? quanta erat fortitudine, induſtria, perſeuerantia? Aduerſum pericula inuictus, par omnibus negotiis, proximam quamque victoriam inſtrumentum comparans ad ſequentem, numquam arbitratus ſe vincere, niſi omnino viciſſet. Velocitate autem tanta, vt plerumque more fulminis, quod prius tenuit quam tonuit, vno eodemque momento acciderit, abſciderit, abſceſſerit. Ita quoties ad te, & ad præclariſsimas virtutes tuas animum refero, Dux Parmæ inuictiſsime, parma ipſe, & ſubſidium Catholicæ religionis, toties præſtinguis aciem tui fulgore luminis, & humana qualibet laude mihi maior occurris, forma quædam & imago perfectiſsimi imperatoris: vt nihil fere propugnaſſe videaris, quod non defenderis: nihil oppugnaſſe, quod non ceperis: nullam iniſſe pugnam, e qua non ſuperior diſceſſeris: quin & non numquam fama confeceris bella: ipſis etiam inimicis adeo admirabilis, vt non niſi de tua magnitudine conquererentur. Hoc

liberius

liberius dico, P. A. quod tot victorias ſua ſibi virtute peperit, quot ſunt in rerum natura genera bellorum. idque eo magis mirum ac laudabile eſt, quod ex omni ætate perpaucos imperatores reperias, in quibus tantum robur fuerit animi atque ingenij, vt ad ſuſtinendam quamlibet belli molem, & varietatem certaminum facti eſſe viderentur. Et de nauali quidem, Turciſque deuictis, quoniam ſuperius attigimus nonnulla, ſatis eſt indicaſſe. neque vero de terreſtribus omnia proferentur: quod nullius eſſe exiſtimem tantam vbertatem ingenij, tam concitatum ac vehemens flumen orationis, vt in tot prœliis multitudinem magnitudinemque rerum geſtarum, quibus Alexander Farneſius ſuperiorum gloriam ſi non vicit, at certe æquauit, non modo augere aut ornare dicendo, ſed percenſere & conſequi numerando queat. vt tam multis noſtram diſtinguere laudationem ipſius laudibus poſſimus, quam multis ipſe victoriis bellum illud tam diuturnum, tam graue, tam periculoſum, tam inexplicabile confecit. Obſeſſus fuit, ſed vt poſtea fuſos fugatoſque obſederit, a quibus obſidebatur. Et quamquam imperatorium munus illud eſſe maxime didicerat, quod ſapientiſſimi quique & præcepto docuerunt, & comprobarunt exemplo, vt perraro collatis ſignis ſit cum hoſte dimicandum, niſi cum cogat neceſſitas, aut vocet occaſio: rem eſſe maximi conſilij alienam ſtultitiam opperiri, & quamminimo ſuorum ſanguine mercari victoriam: hæc tamen ei laus & occaſio manu cum Belgis Celtiſue confligendi non defuit. In eo certe bellandi genere in quo plurimum eſſe audaciæ oportet ac prudentiæ, expugnandis vrbibus, aut ad deditionem cogendis, vſque adeo excelluit, vt ſi

vt ſi cum omnium gentium, omnium ſæculorum, omnis memoriæ imperatoribus conferatur, paucos fortaſſe pares habuerit, ſuperiorem quidem certe neminem. Formidoloſiſſimum omnino, vt dixi, & pericu-loſiſſimum genus belli, in quo adeſt aduerſarius animo infeſtiſſimo, non ære ſolum, ſed & muro cinctus, eque loco ſuperiore non ferream modo ac ſaxeam grãdinem, ſed fulmina ſubiectum per agmen vi flammaque latum ſibi limitem ſternentia excuſſurus in caſtra, ad extremum vſque ſpiritum paratus oſtendere nihil eſſe homini iucundius, nihil pulchrius, quam aut cum patria vincere, aut pro patria mori. Nunc ſi oppida numeres capta, miraberis tam magnas vires vni fuiſſe: ſi cogites naturam locorum neque vi neque operibus expugnabilium, haud facile credas fuiſſe cuiquam tantam in virtute fiduciam, vt ea non dico expugnare, ſed oppugnare in animum induxerit. Accedebat ad has proprias obſidentium difficulates, quod fama cuiuſcumque vrbis obſeſſæ quaſi præconis voce cæteræ omnes coniurationis ſociæ excitabantur, & vndique ad propulſandum periculum veluti ad commune reſtinguẽdum incendium, frumento, armis, milite, ſtipendio conuectis, auxilia confluebant: vt Alexandreis a fronte, a tergo, a lateribus, eſſet & ex inſidiis, & aperto Marte pugnandum: nec cum vna vrbe, ſed cum vniuerſa fere Inferiore Germania, Inferiore autem? immo & cum Superiore, ipſa etiam cum Gallia, Britannia, Scotia, quando ex his quoq; conueniebant qui ferrent opem, videretur eſſe contentio. Quod ſi magnum fuit ad oppida tam valida exercitum admouiſſe: maius inter tot procellas ac turbines perſeueraſſe, pedem non retuliſſe, non deſperaſſe victoriam: quantum

tum

tum illud eſt vi manuque aditum pateſeciſſe: hinc diſsipatis, illinc ſubiectis, vtrinque cæſis hoſtibus, victorem introiſſe: vt cum abiectis armis feritatem ponere cogerentur? Teſtis eſt, quæ a Moſæ circumluentis ſuperiore traiectu nomen accepit, vrbs antiqua & ampla: cui neque obiectus amnis aduerſum ſubitam extructionem trium pontium: neque altitudo murorum & robur contra crebram ac multiplicem ex edito aggere tormentorum diſploſionem: neque præſidiorum multitudo, vigilantia, pertinacia quicquam profuit, quo minus triginta cæſis hominum millibus inſtante atque vrgente Alexandro in turres hoſtium euaderent victores, & inter propugnatorum cadauera etiam tum plena animæ & ſpiritus propugnacula caperentur. Et vt eſſet aliquid, ex quo vim præſentem diuini numinis agnoſcas, oppugnationi fere trimeſtri finem attulit dies tertius ante Kalendas Quintiles principibus Apoſtolorum Petro & Paulo ſacer. Et fama eſt, pridie illius diei irridentes e muro atque increpitantes dictitaſſe obſeſſos, vt quandoquidem tali habitu pingerentur, vt claues alter, alter gladium præ ſe ferret, portas ille aperiret vrbis, hic cæderet præſidia. O perfidiam numquam perpetuo felicem, ſemper dicacem, acutam plerumq; in ſua damna. Quæ cum irriſione iecerant calumniantes, ea ſe cum gemitu vaticinatos fuiſſe ſenſerunt. Poſtera lux illis ludibrio habita ingreſſos noſtros per murorum ſtragem, ſtragem facientes in vrbe armatorum hominum oſtendit. Teſtis eſt Auenarda vrbs muris ac ſitu ipſo munita: quæ dum ad rebellandum multo quam ad bellandum ferocior per pericula progreditur ad periculum ſupremum, quamdiu certa ſpe alitur ſubſidiorum quæ oſtentantur aliunde, magnum,

gnum, & obſtinationis in repugnando, & in damnis ferendis patientia, documentum dedit. Atqui aut minus animorum ineſſe oportuit, aut plus virium. Cum ſine intermiſsione quaſſarentur mœnia ære bellico, & commeatus atque auxilia longe prohiberentur, ipſæque etiam portæ cuniculis ſubruerentur, decreuit tandem, tarde, ſed non ſero, cuius fortitudinem rebus eſſet experta, eiuſdem requirere verbis miſericordiam. Teſtis eſt maxima vrbium Gandauum: quæ etſi in prima procella ac tempeſtate oppugnationis conuerſa ad timorem, ad rectum conſiliorum curſum proram dirigere viſa eſt, reflante poſtmodum importuno turbulentorum ſpiritu reiecta ad ſcopulos naufragium feciſſet, niſi paratam principis clementiam miſeriarum perfugium ac portum inueniſſet. Teſtes ſunt Bruxellenſes & Hyprenſes fame: Herentalenſes ac Meninenſes metu: Ninouienſes prima aggreſsione, ad deditionem compulſi. Atque, vt paucis plura complectar: Teſtes ſunt, Tornacum, Cambreſium, Venloum, Nauportus, Teneramunda, Diſmuda, Dunchercha, Lichercha, que, quæ eodem fine nominis eumdem belli exitum habuere. Teſtes vero etiam Zutphenum, Niuella, Breda, nec magis nomine quam re ipſa & ferocia grauis Grauia, Villauordia, Excluſa, Axella, Carpena, oppidum ſancti Gilenij, arceſque complures, vt fortes ad reſiſtendum, ſic fama non adeo nobiles: vt videantur ſuis fretæ viribus hoc ſe bello implicuiſſe, vt ſaltem ex famæ celebritate victoris non ignotæ eſſent. Nec tamen capta ſolum oppida, ſed & occupata iure belli, vt Limburgum, Steemberga: hæc enim ponuntur gratia exempli: & vt Cortracum, Nimetacum, alia, recepta. Neque interim defuere in Lira, Gaſbeecho, Steenuicho, Dauentria,

tria, Haloſto. vt eis fideli oribus Philippus vteretur, militaria ſtrategemata. eo laudabilior fraus, quo & non decipientibus decipientes iuſtiores, & non deceptis decepti meliores apparuerunt: vt vel ſic ſine magno vulnere ad ſanitatem redirent. O ſalutare bellum præferendum cuilibet paci pernicioſæ. O felices populi, quibus eo cum principe res erat, a quo vel vinci, vel falli præſtabat: qui pulcherrima cupiditate incenſus, vt res duas vtiliſſimas ac maxime illis neceſſarias, Catholicæ religionis cultum, & dominatum regium, vel profuſione ſanguinis reſtituendas, & propagandas eſſe arbitraretur cum vinceret, & cum parceret, eorum potius vtilitati obtemperauit, quam dolori ſuo: ex quo factum eſt, vt cuius virtutem pugnantes timuerunt, eius humanitatem victi diligere cogerentur. Sapientiores illi, qui cum grandinem ſpectarent in alienos agros ingruentem, & ne immineret in ſuos prohibere non poſſent, quod oppoſitis viribus ferro non licebat, ſine vlla offenſione, depoſitis armis precibus impetrarunt: Arteſia, Groningia, regiones: vrbes oppidave, Lilla, Duacum, Orcheſium, Verna: eodemque conſilio, Mechlinia, Brugæ, Buſcoducum, Aſtypurgium, Nouiomagum, Valencena, Montes in Hannonia, loca præterea plurima, quibus enumerandis dies integer conderetur. atque hoc erat, quod annus ſuperioribus ignotarum ſæpe vrbium nominibus captarum deditarumue Farneſio, magna cum admiratione, gratulatione, lætitia, aures noſtræ celebrabantur. Multa P. A. generatim percurſa ſunt: tot enim in eodem genere oppugnandarum vrbium fuere Alexandro vi metuve celeriter expugnatarum gradus, vt ſiquis in ſingulis inſiſtere velit, progredi ipſe non poſſit. Et erant

ſuperiora, magna quidem illa, ſed tamen quæ legimus alias, & a magnis imperatoribus factitata. ſumma hieme in maximis frigoribus oppida capta armis viriſque opulenta, ferro fameque clauſa: apertum iter ad arces per proſtrata munimenta & cæſorum hoſtium aceruos: iniecti fluminibus pontes: erecti aggeres aduerſum propugnacula, admotæ machinæ & turres: omnia fortiter facta, aliqua etiam callidè excogitata: hæc & ſimilia & C. Cæſar, & Druſus, & Germanicus in iiſdem terris: Alexander, Pompeius, Magni, atque ex imperatorum numero illi, penes quos fuit belli decus, alibi fecere. Sequitur Antuerpiæ expugnatio, qua, vt dicam quod omnes ſentiunt, conſtat non vrbem vnam, quæ obſidebatur, ſed propinquas omnes regiones ac gẽtes, quæ ſuo illam auxilio, labore, commeatu, periculo iuuabant: ipſam etiam quodammodo Naturam admirabili ratione ſuperatam fuiſſe: ea inquam ratione, quæ & omnem vinceret maiorum induſtriam, & a nulla poſterorum arte vinceretur. Antuerpia, quod vos non fugit, inter Aduaticos, qui poſtea Brabantes, & Morinos, qui Flandri dicti ſunt, ad dexteram ripam Scaldis æquo in loco & plano explicata eſt, principibus vrbibus Mechliniæ, Louanio, Bruxellis, Gandauo, aliiſque admodum propinqua a Batauorum, qui Hollandi, & a Mattiacorum, qui Zelandi, in Oceano inſulis, nec longo nec difficili tranſmiſſu: quare, cum frequentiſsimus ex omnibus pæne terris ſit mortalium appulſus commercij cauſa, emporium ipſa celeberrimum. fluuius autem quarumlibet nauium capax, rerum in toto terrarum orbe naſcentium mercator copioſiſsimus videtur. Vrbs quidem & natura loci & opere inter omnes munitiſsima: tunc

vero,

vero, proximarum auxilio, immo & longinquarum terra mariq; propter ſocietatē fœderis, periculi, odij, ſic ab omnibus copiis inſtructa erat, vt quāquam oppugnata, quāquam obſeſſa, perinde atq; vinci non poſſet, nec cōprimere ſpiritus vellet, nec demittere animos, nec ſedare arrogantiam. omnis fere circa eam regio in fidē venerat, aut in poteſtatem Farneſii: ita curæ omnes & vires vtriuſque partis potiſſimum in vnam Antuerpiam conuerſæ ſunt, quaſi in vna vrbe totius belli ſumma ac finis ageretur. Sed durum erat obſiſtere imperatori, qui nuſquam extulerat pedem, quin eius bellicam virtutem victoria veluti vmbra ſequeretur. Neque id non cogitabant obſeſſi. Ad eludendos igitur conatus obſidentium, multis locis crepidines, quibus, vt mos eſt in illo tractu, frangitur æſtus Oceani adlabentis, interſcindunt: quo facto aperta aqua operuit terram, depreſſoſque circum campos longe lateque adeo inūdauit, vt fluitaret Antuerpia, & tāquam iam inſula eſſet effecta, tāto magis pedeſtris exercitus contēneret minas. Non ceſſit fiducia Alexandro, cui noua ſemper cum difficultatis materia noua gloriæ ſeges exoriri videbatur. Itaque non tam ad excutiendam iactationem hoſtibus, quod maria terris immiſiſſent, quam ad profligandum bellum, & intercluſo commeatu affligendos obſeſſos fame, concilium cepit ſingulare, incredibile, inauditum: vt cum veterem reſtituiſſet faciem terræ, ita frenaret atrocitatem fluminis Oceano permiſti, vt etſi pedibus perambularetur a ſuis, hoſtibus tamen vltro citroq; commeare cupientibus neque inde huc neque hinc illo, niſi quod ſpes vltima omnia tentare cogit, peruius tranſitus daretur. Reficit continuo moles diſiectas. & quoniam intelligebat minore moli-

mento poſſe iterum aperiri quam obſtrui, flexuoſos geminos aggeres certa per loca propugnaculis ac præſidiis firmat: ſed duo præter cetera duobus ab vrbe milliaribus munimenta excitat, inſtruitque maximis tormentis in vtraque ripa aduerſa: huc vetuſtarum trabium lectiſsimarum, cæſarumque arborum e vicinis ſaltibus, faſcium, vallorum, clauorum, funium, atque huiuſmodi armamentorum vim plane innumerabilem comportari iubet: tum hinc atque hinc prætentato alueo, defigit alte in aquas trabem plurimam æqualibus interuallis, ſolidatque ſilua ingeſta: mox per capita extantia ligneam iacit compagem, cuius margo vterque prætexitur multiplice cuſpide e ferro: atque hæc in primo flumine: in medio enim, vbi amnis profundior, vectoria grauiaque nauigia tria & triginta, binis ſingula fundata anchoris, binis etiam maioribus armata tormentis ac tricenis militibus, alterno nexu eo ordine ſtatuit, vt per ſuperpoſitum tabulatum validum ac fidum ingrediens miles rapidiſsimas calcaret vndas gurgitis ſubiecti. Talis erat ea moles, longa pedes bis mille, ſiue pontem naualem, ſiue caſtrenſe vallum in flumine appelles. Aliquanto deinde longius quam quo telum adiici poſſet, tegebant ipſius latera e binisdenis ſuſpenſæ anchoris trabes quingenæ per mutua contextæ, mucronibus ferreis & acutis radiis omni ex parte prominentibus, vt ſi quod periculum hoſtis, in cuius oculis hæc omnia gerebantur, strueret operi maiori, arceretur, aut certe infringeretur hac mora obiecta. Denæ præterea naues ad vtramque ripam excubabant cum omni apparatu bellico expeditæ, & ad omnem occaſionem intentæ. Stetit inuicta acies arborum in

campo

campo fluctuum, pontem Scalde, Xerxen alterum ſed felicem ac pium Oceano indignante: rem numquam alias viſam inſatiabilibus oculis aſpiciente exercitu frementibus Batauis: Antuerpienſibus immanem machinationem mirandi operis impoſitam flumini vltimam veluti machinam muris oppoſitam ferentibus animo iniquo, ſæpe etiam omni ingenio & conatu diſturbare molientibus: vt non maius fuerit negotium fabricari, quam tueri. Plus octies, P. A. illa demolitio magno multorum opere tentata eſt, ſiue demiſſis nauibus prono alueó, & præ ſe attemperatum fomitem portantibus concepto igne, vt vbi ventum eſſet ad molem, incenſo puluere & ſaxa & pondera vi eiectarentur denſiſſimo cum fumo. & tenitru horrendo: & interſtantes nubes caligine cælum ruere videretur: ſiue cum infeſtis excurſionibus non ceſſatum eſt a naualibus prœliis: ſiue denique cum ſimul hinc ſimul illinc impulſa claſſe, a noſtris maxima ſpe vincendi, extrema ab illis deſperatione, quæ interdum plus valet, ſummo vtrinque animorum & virium certamine pugnatum eſt. & ſemel euenerat, vt res noſtra nutaret: ſed hic quoque in ea reſtituenda, ſemper quidem inſignis aſpectu, tum vero ipſo periculo auguſtior, idem fuit, qui ſemper Alexander, id eſt magnus, fortis, felix, inuictus. Itaque cum iam quartodecimo menſe nihil Antuerpiæ procederet ex voto, non fruſtra petita ſæpius e Britannis, Scotis Germanis, Gallis, proximiſque Batauis auxilia: non claſſis toties cum bellatoribus miſſa, & amiſſa: non deſtinati qui ſub perfugarum ſpecie conficerent principẽ: non inuentum vllum atq; inſtrumentum nauium furialium Farneſianæ machinæ diſſoluendæ: non illud denique

nauigium inſanæ magnitudinis, quod tribus elatum malis, inflatum velis, ſuccinctum antemnis (vt vel referre faciem vrbis, vel vrbs ipſa nauigare videretur) tantum ſpei faciebat, vt exiſtimarent, inſcriberentque cubitalibus litteris, Finem belli: cum cuncta primo impetu fortaſſe valida, ſed, ceu animalia quædam emiſſo aculeo torpentia, in exitu vana apparerent: vincebat enim calliditatem prudentia, cautio temeritatem, audaciam fortitudo, pertinaciam conſtantia, cunctatio feſtinationem: inſeſſis viis omnibus, per quas commeatus ſubuehebantur, fame domita, decreuit tradere ſe in manum Alexandri non minus humanitate & fide, quam victoria & virtute præſtantem. Infelix ciuitas, ſi pugnæ cauſa: felix ſi euentus ponderetur. quippe, vt olim aduerſus religionem ac Regem arma capere, inſipiens, inutile, turpe conſilium erat: ſic ſapiens poſtea fuit in nulla ſpe victoriæ non deſperaſſe veniam: & quoniam iniquitatis eripiebatur licentia, vtile etiam velle vinci: Alexandrum vero meruiſſe victorem, vtique glorioſum. Igitur poſteaquam Antuerpia, quæ ſic munita erat, vt non ſola ſpes deſertura fuiſſe videretur oppugnantem, ſed etiam voluntas, reducta eſt in poteſtatem ſui Regis Labore & Conſtantia fortiſſimi principis. neminem vinci puduit. Reſtabant Batauorum & Mattiacorum inſulæ in ſuis latibulis, quibus, & ſi circumfuſus Oceanus animos dabat, auferebat tamen expugnator non ſolum vrbium, ſed etiam naturæ locorum Alexander: & erat in oculis recens Antuerpienſium exemplum: vt quamquam tuti, non omnino ſecuri eſſent. Et vero confeciſſet idem ille Deo adiutore Belgicum bellum, quod eodem auctore iam affectum habebat, niſi Rex Catholicus, tanto dignus

cogno-

cognomine, vel ſi nouum ab eo inciperet, alienum nego-tium, in quo publica diſceptabat ſalus & recta religio, ſuo preuerti voluiſſet. Et actum erat P. A. de beatiſsimo olim & florentiſsimo regno, niſi Alexāder Farneſius aduerſum Hereticos eorumq́ adiutores & participes cōſilij, Politicos: Politicos voco, quorum ſub ſpecie fulciendi regni religio vacillat: ſapientiſsimo prorſus conſilio miſſus eſſet. Etenim cum res ad vltimum eſſet adducta diſcrimen, primum Pariſios, vrbem vrbium Gallicarum, ſæua magis & nihil non experta fame, quam ferocitate hoſtium ac multitudine obſeſſos, magna cum indignatione obſidentium, adducto milite, & commeatu, præſenti & obſidionis & exitij periculo liberauit. eodem beneficio affecta anno poſt Rotomagus æque afflicta. Fuit enim hoc proprium viri, in quo ſumma erant omnia, vt quemadmodum apud Athenienſes ſacra nauis, quam Paralum vocabant, reſeruabatur ad rem communem maximi momenti, ſic eius virtuti, fidei, felicitati illa committerentur, quæ impedita ac dilapſa reuocare in integrum aut explicare vix alius auderet. Erat nimirum is imperator, quo nec maiorem milites, nec meliorem optare potuiſſent: ſumma vi animi atque ingenij: ea autem virtute, quæ tantum diſtat ab aliis, quantum viſus a ceteris ſenſibus, id eſt prudentia, adeo excellens, vt nuſquam fere verius eſſe illud intelligas, quod prouerbij locum obtinet, Conſiliorum adiutricem eſſe Fortunam. Fuit ei, vt plerumque in bello fit, interdum difficultas nummaria: neque id mirum: & fontes enim & putei deficere ſolent, ſi quis frequenter & plurimum exhauſerit: & quamquam ſubinde refundebat de ſuo, tamen erat nonnumquam & ſpe lactandus, & auctoritate

retinendus exercitus: neque cuiquam veniebat in mentem de eo dubitare, quod perſoluturum ſe ſpondebat Alexander ab arca Philippi. Itaque dux militibus vnus erat omnia: ipſi autem inter ſeſe adeo concordes, vt tamquam vnum corpus, vnius præſidis nutu quaſi anima ac mente regerentur. hinc amor in eum, parendi cupiditas, & militaris diſciplina, qua nihil efficacius. Acuebat præter cetera & adiuuabat induſtriam militum, imperatoris non plura aut grauiora ab aliis quam a ſe ipſo depoſcentis exemplum: cum enim non cogitaret tantum & iuberet quæ in rem eſſent, ſed exequeretur etiam ac per ſeſe tranſigeret: cum inter primos conſpiceretur in operibus, in periculis: cum hiemem imbremque toleraret in vulgari habitu militari: cum calorem ferret, ſitim, inediam: cum obeundis vigiliis ac ſtationibus noctu cunctorum ſecuritati prouideret: cum otio omnium ſeruiret vnius occupatio: cum dignitate atque honore principibus excelleret, facilitate & labore par infimis eſſet: non permittendum putabant, ipſorum vt culpa careret ſummus imperator ſumma gloria: aut falſum eſſe putaretur, quod vere proditum eſt, Tanti eſſe exercitum, quãti ſit imperator. Hac pulcherrima æmulatione, cum & princeps optimus effeciſſet omnes, quos circa ſeſe habebat, ſimiles ſibi, & ea vigerent ſtudia in caſtris, quæ in quo exercitu adſunt, ab eo exercitu victoria diutius abeſſe non poteſt, in omni bellorum genere ſecuta ſunt ea prœlia, quibus diuerſarum duces ac principes partium, Auriacus, Caſimirus, Alenconius, ipſe etiã contumacis atq; indomiti ſpiritus, cui nomẽ a Nue, agnouerunt virum dignum imperio: cum quod victi illi fugatique eſſent, hic vero quem poſtremo nominaui,
quod

quod bello captus, ſeſe ſponte conſolarentur magnitudine victoris. Quamquam, & interdum, vt ſæpe accidit in re bellica, aliqua rerum mutatio fieri cœpta eſt: ſed eam, & animi, & corporis oppoſitu prohibuit vir ingentis ſpiritus, atque omnis terroris expers Alexander. Nam & ſuos aliquando propter repentinam incurſionem hoſtium in fugam verſos, quos non voce, non hortatu retinere poterat, nudato capite vt pudorem incuteret, & vt timorem, ſtricto ferro, coërcuit, fugiëtium cædens pectora, vt ab iis viciſsim perſequentium terga cæderentur: notabili victoria. Et alio tempore, Germanorum trium millium agmen motu impulſum aliquorum, vt negaret in præſenti neceſsitate caſtra moturum, inter medios iratos licet, ac ni reſiſtat, haſtarum longiorum intentu vulnera minitantes, equo inuectus, &, vt erat, inermi corpore, ſimul arripiens vnum e præcipuis concitatoribus turbæ, ſimul tribunum cum ſigno, & cunctos deinde ordine procedere iubens, quattuor tantum ſupplicio affectis, vt eorum ſanguine omnium culpa elueretur, pari altitudine animi ac felicitate compreſsit. Quamquam non manu ſolum rem tantam geſtam eſſe arbitror & imperio, ſed ingenio & eloquentia: cum & calleret linguas plurimarum nationum, & teneret militum nomina, cum quibus ſermonē ſemel miſcuiſſet: quo facilius, vbi eſſet opus, nominatim ſingulos appellando, languentes incitabat aut tumultuantes fortaſſe placabat. Eo minus mirum videri debet accurata ipſius oratione perſuaſum populis nonnullis, vt ad tutelam & cuſtodiam oppidorum reciperent externos, quos efferati odio iraque haud ita pridem ſic eiecerant, vt dicerent amiſſuros vitam prius, quam eos iterum admitterent.

Neque tamen inficior dandum eſſe aliquid perpetuæ hominis felicitati, quæ & ſæpius ſe in eo iactaſſe viſa eſt: cum ſemper euntem primum in pugnam, poſtremum redeuntem, ſemel etiam perfoſſo equo, & cæſis pluribus qui proximi erant, iterum eius in caſtris excuſſo prope ipſum maiore tormento aberrante manu magiſtri, multis ſemuſtulatis, non nemine interfecto, adeo ſeruauit incolumem, vt hoc etiam exemplo ſe pro viris fortibus ſemper ſtetiſſe glorietur. Quod tamen ipſum, magis vt proprie loquamur, tribuendum eſt diuinæ prouidentiæ, qua eum fuiſſe ad ſalutem multorum tutiſsimo veluti clypeo circumdatum, & muro ſeptum firmiſsimo, dicere non veremur. Addita eſt ſummæ hominis virtuti pulcherrima eius merces, & honeſtiſsimus fructus, gloria: vt nihil ſit, quod ad perfectam iuſti imperatoris effigiem iure deſideretur. Suis certe militibus tanto fuit in honore, tantam admirationem excitauit, vt quod olim factum legimus in legionibus Romanorum, vt qui bene geſsiſſet rempublicam, gaudio & impetu victoris exercitus imperator conclamaretur, ſalutatus ſit communi conſenſu omnium & gratulatione, in clariſsima victoria, eo nomine, quod eſt ſecundum Reges in imperio celſiſsimæ dignitatis. Quæ militum voces, Alexander Sereniſsime, tuorum expreſſæ magnitudine meritorum, non ambitu extortæ, a conſtanti conſilio profectæ, non ab aſſentatione veri affectus veneno, tuorum factorum conſciæ, tuarum virtutum altitudinis teſtes atque indices fuere. Et preuenerunt illi ſtudio, quod Regum ſapientiſsimus ſuo poſtmodum iudicio comprobauit: cum iiſdem in caſtris eodem concelebrante lætitiam exercitu, immani bellicorum fragore inſtrumentorum, fauore

illo

illo plauſuque militari, latum illum & inſignem torquem , ſcintillantem , vt ſilicem percuſſam chalybe, flammulis aureis, cum auguſtiſsima appendice regifici velleris radiantis, triumphale ornamentum, dedit: iuſtum præmium victoriarum Alexandri : vel ex eo, quod ſolutus legibus accepit viuo adhuc patre iiſdem inſignibus honorato: rarum alias decus, ac ſine vllo exemplo geminatum in patre filioque viuentibus: niſi in domo regnatrice. æquum videlicet videbatur, vt extraordinarius honos extraordinariæ virtuti tribueretur. Ad Regis exemplum Sixtus Quintus ſummus Pontifex imperatorium gladium cum capulo gemmeo ſollemni cærimonia conſecratum: & tegmen capitis ritu Heduo e villoſo ſerico margaritis diſtinctо, felicis vnum belli, alterum pacis inſigne, magnorum munera principum, miſit ad principem maximum, qui in debellandis rebellibus Catholicæ religioni operam daret. Nec vero illud prætermittendum eſt, quod Stephanus Bathoreus Polonorum Rex inclytus, miſsis donis ingentis pretij virtutis ergo, eidem Balthaſarem fratris filium iuuenem magni animi commendauit: vt eo magiſtro militiam tolerare, præclaraque eius facta cernere aſſueſceret. Quod porro maius atque illuſtrius teſtimonium quærimus, quam ab inimicis? Hoſtes illi perpetui amicorum ſuorum Heretici, quamuis armis animiſq; infeſti, virtutem eius plurimum laudabant, cui maxime iraſcebantur. Tantam apud omnes venerationem habebat: tanta erat, etiam apud inimiciſsimos, incredibiliũ ipſius fama virtutũ. Quæ ſi vberes omnes ac ſplendidæ fuerũt fuerunt autem vberrimæ ac ſplendidiſsimæ: vbertatem ac ſplendorem ab illo fonte ac Sole virtutum Pietate hauſiſſe credendum,

dum

dum eſt. Pietas P. A. Chriſtiana inquam pietas, cuius lumenq; atque origo demanauit e cælo, mater eſt officiorum omnium, ac magiſtra vitæ: ſine qua recte facta (ſi quid tamen ſine ea ſit recte) & exareſcere ſiti, & luce carere perfectæ laudis videntur. Hæc autem ſic eluxit in Alexandro Farneſio Parmenſium ac Placentinorum Duce Sereniſsimo, vt, ſi licet, quod ſæpe eſt vſurpatum, principibus viris imponere nomina a virtutibus, in quibus excellunt, ab ea, qua vna omnes complexæ ſunt, multo iuſtius ac verius, quam Metellus, Antonius, Boleſlaus, Ludouicus, & ſi qui hoc ſibi nomen adſciuere alij, Pius dicendus eſſe videatur. Multi quidem a rerum gerendarum vſu & cognitione Sapientes, a geſtarum præſtantia Magni, a proſpero earum exitu euentuque Felices, vocati ſunt: ſed ſapientes illi, diſsimulauere: magni, non agnouere: felices, contempſere pietatem. quanto igitur maior debetur laus Alexandro, qui cum ad res omnes ſuas adhiberet pietatem parentem illam ac nutricem laudatarum actionum, & ſapientes grauitate, & ratione magnos, & felices animi moderatione ſuperauit? Percurrite omnes regiones huius ſanctiſsimæ virtutis, in ſingulis apparebunt pij principis non preſſa leuiter ad præſentis prædicationem temporis, ſed ad poſterorum memoriam atque incitationem omnium ſempiternam, fixa veſtigia. Bellum complures annos fere continenter geſsit: ſed quod commiſit auctoritas auunculi Regis: impoſuit amor Chriſtianæ religionis: perſuaſit eorum miſeratio populorum, quibuſcum bellum gerebat: qui: vt affecta corpora etſi tentata leuiter incidunt in grauiſsimum morbum: coquentibus iamdudum animis ſæua conſilia, fortuita occaſione cum erupiſ-

ſent

ſent in apertam inſaniam, non agnoſcentes quibus affligerentur malis, malorum remedia differebant: & quoniam recuſabant conſilium, vi cogendi fuerunt. Qua in re nulla cupiditate vltionis, nulla crudelitate ductus eſt: quæ ab eo vitia longiſsime aberant: ſed pacis ſtudio, & eorum vtilitatis: vt illa eſſet finis belli, hæc victoriæ: neque aliud quæreretur quippiam, niſi vt miſera Belgica in veterem ditionem, religionem, dignitatem vindicaretur. Ergo hæc erat ratio bellandi: vt priuſquam armis ac ferro decerneret, intenderet minas: ac lente agendo, malorum, mutationi conſilij, bonorum conſenſui ſpatium daret: miſsis etiam legatis inuitaret ad pacem. vt non ſatis mirari queam, cur multæ ciuitates, dum amittentes præſentia futura ſemper ſua ſponte recte ſe habitura opinantur, oblatam non acceperint iis condicionibus. quas impudentes fuiſſent, ſi auſæ eſſent optare. Tum deinde, ſatis cito ſe vincere ratus, vbi prouiderat ne vinceretur, cum fieri poterat, adeo prudenter & caute ducebat bellum, vt mallet deductis exercitibus in anguſtias, aut compulſis vrbibus ad famem, deditionem hoſtium, quam necem: pulchrum illud eſſe, & Chriſtiano imperatore dignum exiſtimans, non ſi perderet plurimos, ſed ſi omnes ſeruaret. Vbi porro parta erat victoria, ac militum iram finierat miſericordia principis: quis illo clementior? quis caſtior? quis facilior? quis ad dandam veniam ſubiectis more Romano paratior? Nam quid dicam de lenitate ac manſuetudine in vrbes captas? non verebor hoc affirmare P. A. plerumque cum eius iuſſu reſtinguerentur ignes, prohiberentur cædes, prædæ reſtituerentur, poneretur modus ei, quæ natura eſt in-

eſt inſolens, victoriæ, plus fere in illis conſeruandis quam in capiendis, laboris fuiſſe: cum interea, & veteres domus extruerentur, & opera publica reficerentur, ipſæ etiam ſacræ ædes & templa conſurgerent: hæc enim, & pias religioſorum familias, a quibus & preces effunduntur ad Deum, & inſtruuntur populi ad Deum, dicebat eſſe oppidorum munimenta, non aggeres, non propugnacula, non mœnia, non foſſas. Quas ob res, & illam operam dabat, vt quemadmodum medici in perpurgatis corporibus nullam relinquunt cauſam nouæ offenſionis, ſic ipſe in populis ſubactis, ne iterum ſe efferrent, ac reuireſcerent ad perfidiam, omnia euelleret ſemina ſtirpeſque bellorum. Et vero potuit illis extorquere gladios, & eripere de manibus faces: mentes conſceleratas & nefarias, nec ſanare potuit, nec tollere. Sed tamen, vt quos deuicerat bello, deuinciret beneficio, Regique ſuo & Catholicæ religioni obligaret, nullum nec humanitatis, nec officij, nec pietatis reliquit locum. Nempe, vt olim Hercules, quod finxerunt poëtæ, perdomandis monſtris ac tyrannis toto orbe terrarum, conſulebat ſecuritati ſæculorum: & Romani veteres eripiendis Achæorum populis e ſeruitute, illorum libertati: Magnus deniq; Pompeius ſubactarum gentium titulos patriæ retulit: ſic pius imperator, extinctor hæreſum, religionis aſſertor, Romani non minus pectoris, quam generis, in diuinæ ſolum ſpem gloriæ, & ſanctiſsimi amplificationem nominis bellum omne militabat. Hoc ille in Gallijs duabus, reciperata vna, pacata altera: Nouæſio Bonnaque ad Rhenum, ad Matronam Laniaco, Metioſedo ad Sequanam, receptis: hiſque redditis ſocietati ſacri fœderis, illis autem Archiepiſcopo Colonienſi: totieſq; victis hoſti-

hoſtibus, aut cedentibus & detractantibus certamen, vt pro victis haberi poſſent, victoriis omnibus oſtendit. Et dubitamus Deum non adfuiſſe in prœliis Gedeoni ſuo, qui conſilia factaque omnia ad religionis amplitudinem referret? qui clementia ſic vteretur, vt alieno ſanguini, tamquam ſuo, parcendum putaret? Id adeo cum ex dictis, tum etiam ex hac breui narratione intelligi poteſt. Quo tempore, vt diximus, ad circummuniendam Antuerpiam catenas iniecerat Oceano, adoleſcens quidam e Batauis annorum fere duum & viginti, magna agilitate corporis, frequens ad principem vario cum piſcatu ventitabat, quo eum munerans, ampla cum pecunia viciſsim accepta domum redibat. cum eſſet iam magna ſpecies familiaritatis: ſiue quia ſunt milites plerumque curioſi, ſiue quia difficile eſt premere facinoroſa conſilia, vt non aliqua erumpant: ducti ſunt nonnulli coniectura ad ſuſpicandum, ne fraus aliqua ſubeſſet: nec fefellit opinio. Comprehenſus iuuenis ab eo qui præerat in exercitu iuri dicundo, confeſſus eſt ſe magni ſpe auri, quod Anglorum Regina & neſcio qui e Belgarum ordinibus offerebant, Alexandro cædem iamdiu machinari: captare opportunitatem temporis ac loci, ſecundum littus: tum facile futurum ſibi re perfecta elabi, ea nandi peritia & conſuetudine, vt ſubter aquas tamdiu latere natando poſsit, dum non longe ad conſciorum præſidia emergat, ſontis confeſsionem enuntiauit iudex Alexandro, vt grauiſsimam pœnam ſtatueret in eum. a quo tantum non fuerat interfectus. At heros Chriſtianus auertens culpam ab imprudentia ætatis in munera potentium, qui alienis manibus ad peſsimum facinus vti vellent, vt quod armis non poterant, tentarent dolo: cum hæc præfa-

præfatione: Quandoquidem iam corpori meo obeſſe non poteſt conſilio detecto, proſit animæ, remiſsione offenſæ, ad delictorum veniam a Deo obtinendam: Si ita videretur iis, qui cognoſcerent cauſam, ſaluum ac liberum dimitti poſſe dicebat. recuſantibus illis, quod vt priuatam ipſe iniuriam remitteret, publicam non condonandam, nec cum bonorum periculo malis ignoſcendum eſſe cenſerent: imperauit, quoniam ex eorum ſententia ſcelus capitale eſſet, darent operam, vt ſimplici genere mortis quamminimo doloris ſenſu moreretur. mitiſsimus princeps cum eius ageretur cauſa in vlciſcendo: cum alioqui adhibuerit perſæpe ſeueritatem in puniendis maleficiis, ſine qua ſocietatem hominum adminiſtrari non poſſe intelligebat. Hinc quieta omnia & pacata in caſtris atque vrbibus, in quibus verſabatur: vt cum concurſaret vndique victrix multitudo, & perſonaret laſciuia militaris e variis nationibus, cum plenæ eſſent viæ interdiu noctuque virorum ac mulierum ad res ſuas euntium, ad mutua etiam conuiuia, quæ, vt mos eſt in illis terris, aſsidue celebrabantur; nullus vacuus vagina gladius videretur, nullum audiretur verbum paulo petulantius. Quod ſi talis fuit in hoſtes, in inſidiatores, in fraudulentos, qui eius ſanguini inhiabant mercede pacta: qualem tandem arbitramur fuiſſe in amicos, quorum opes atque honores augebat, inopiam liberaliter ſuſtentabat: ad quorum morbos ac vulnera medicos, fomenta, & miniſtrantes adhibebat: quorum funera magnifice ac pie procurabat? Qua fuit pietate in viuentem, ac mortuam Mariam coniugem feminam ſanctiſsimam ex antiquiſsima ſtirpe Regum Luſitaniæ? Qua porro in Ranutium & Ale-

xan-

xandrum patruos Cardinales? Quæ in Octauium parentem, qui cum ſuis laudibus, tum vero eo filio ſuperauit ſpem omnium & vota multorum? Hæc omnia properans ipſe percurro: ſed vnum, quod hanc ad rem magnopere pertinet, præteriri non poteſt. Nemo veſtrum eſt qui neſciat, iam inde a Petro Aloiſio Alexādri auo paterno Parmenſium ac Placentinorum Duce primo, Placentiæ arcem Hiſpanorum præſidiis ſtetiſſe: amplum autem erat & optandum, ſi Ducibus ipſis daretur: viſum eſt Philippo Regi ea in re gratificari Alexandro, per quem Belgica fere tota conſtituta eſſet. itaq; miſsis litteris ſignificat facere poteſtatem: hoc addito, vt meminerit patri nihil in eam iuris eſſe. Quid hic princeps inſigni pietate præditus? accipiet rem diu expetitam? ſed ſi pater excluditur, vbi obſeruantia filij? recuſabit? effugiet occaſio non tam cito fortaſſe reditura. hinc prudentia, illinc pietas diuerſa ſuadent. ſed vicit pietas: remiſit munus quāuis per ſe gratum, quod cum exceptione tali daretur: malle enim ſe reſcripſit carere fructu optabilis voluptatis, quā vt patri quicquā de auctoritate detrahatur. ſuſpexit & collaudauit Rex optimus cum prudenti concilio ſingularē viri modeſtiam, & caritatē patris: nouaq; deliberatione habita traditæ titulum arcis cum vtriuſq; honore communicauit. Sed in Regē ipſum, quem vnum eſſe ſibi putabat in parentis, aui, patrui, vno verbo, omnium loco, propinquitate auunculum poteſtate dominum, dignitate regia proximum Deo, qua propenſiſsima volūtati inclinatione fuit, quo obſequio, quo ſtudio, qua fide? quā ille ſæpe ſe, vt eius exhauriret mandata, telis hoſtium, dimicationi capitis, morti obiecit? Et certe ſi rem ipſam exiſtimemus, omnes & animi & corporis labores, quin,

quin, & magnam vim pecuniæ ſuæ, ætatem omnem, ſanguinem denique ac vitam, in adducendis ad eum deſciſcentibus populis, reducendiſque errantibus in viam, cunctis rebus poſthabitis, omni ratione collocauit. Cogitabat enim pius imperator rationes prope omnes Catholici Regis cum rationibus Catholicæ religionis eſſe coniunctas. Venio nunc ad fontem illum & caput præſtantiſsimæ pietatis, quam moderatricem ſemper habuit factorum omnium, dictorum & conſiliorum ſuorum: cui ſe totum dedit: in qua ſua poſuit omnia & ſine retractatione conſecrauit: ad quam ita ſe exercuit, vt quod ei conueniret, nihil non faceret, quod repugnaret, nihil: ea eſt ſcientia pure & caſte colendi Dei. Hanc vero tanto ſtudio coluit, vigilantia, aſsiduitate, attentione animi, labore, diligentia, vt propemodum eius amoris quodam ardore vicerit ſe ipſe, quẽadmodũ ab hac vna pietate pietatis genera vincũtur vniuerſa. Nihil agebat aliud, nihil optabat: in hoc intendebat curas omnes, huc cogitationes conferebat, vt in intimæ mentis veluti theatro, vitæ integritate, ſanctitate morum, conſcientia rectæ voluntatis, vni, quem habebat & ſpectatorem, & teſtem, & arbitrum omnium operum, placeret Deo. Sciebat breue eſſe ac fragile mortale æuum: & in vita, nulla eſſe de re magis alia, quam de morte cogitandum: optandam illam non tam longam, quam plenam: ad hanc autem ſic componendum animum quotidie, ac ſi ſupremus dies quilibet illuxiſſet: eſſe enim aditum & viam ad æternitatem: quam in vnoquoque ornato ex ipſius virtutibus, aut beatorum gloria, aut miſerorum pœna conſequatur. hinc illa in animo mortalitatem aſsidue contemplante, mortis, qua nihil eſt homini formidoloſius,

ſius,

ſius, perpetua contemptio. Numquam extulit ſe in rebus ſecundis: vt ab ambitione, a glorioſa oſtentatione, ita etiam ab improba cupiditate omni remotiſsimus: ſemper ab alienis rebus, manus, oculos, mentem abſtinebat: laudatores ac præcones rerum ab ſe geſtarum, quas mandari litteris intereſt gloriæ præſentis ætatis, tantum abeſt vt quæreret, repellebat etiam ſe offerentes. Quod ſiquis Alexandros, Cæſares, alioſque prætexeret, qui flagrauerunt cupiditate huiuſmodi laudum, non ſtatim reprehendebat, ſed excuſabat, quod Chriſtiani non fuiſſent. ipſe enim numquam hominem ſe, & Chriſtianum eſſe obliuiſcebatur. Hinc illæ regiæ, belli comites, paciſque adminiſtræ, æternaque memoria & admiratione digniſsimæ virtutes: in ſubeundis periculis conſtantia: in incipiendis prœliis prudentia: in conficiendis celeritas: in deditis fides: in captis clementia: in rebus omnibus temperantia: quæ nunc pleniore ore laudantur: neque tunc occultari potuere, quoniam ipſius vita, in quadam quaſi ſcena, verſabatur in omnium luce: vt quamquam gloriæ cauſa nihil faceret, eius tamen facta omnia, inſignia, illuſtria, magnifica, &, vti ſua vi & natura erant, glorioſa eſſe viderentur. Ad quæ cum accederet religio, apparebat, quæcumque gerebantur a perfecto principe, eximia ſemper omnia ac præſtantia fuiſſe. Id perſpectum præcipue in extremo actu, id eſt in morte, quæ maxime qualis hominum vita fuerit declarare conſueuit. Erat propter aſsiduorum perpeſsionem laborum longaſque vigilias affecta iam & afflicta valetudine: quam ob cauſam cupiebat, quamquam ferente vento, terram legere, vt qui in freto vixiſſet, moreretur in portu. Verum cum cauſa reipublicæ mitteretur tertio, cum ro-

buſto

buſto exercitu, in Galliam: etſi perparuam ſpem habebat eo perueniendi, nullam reuertendi. Quod ij perhibent qui nouiſsimis eius interfuere ſermonibus: maluit ſibi deeſſe, quam abeſſe vocanti religioni, pro qua non pie ſolum emori poſſet, ſed etiam libenter. Et mortuus eſt. quod veterum neſcio quis imperatorum imperatorium eſſe dicebat, fere ſtans: nempe Atrebatibus, intra fines Galliæ iam exercitu perducto, feſſus prœlijs, & expletus victoriis, anno ſuperiore III. Non. Dec. *cum annum ageret quadrageſimum octauum: matura, ſi quæris, ætate: ſed, ſi votum reſpicis Chriſtianorum omnium recte ſentientium, morte immatura. Nam quem cuperent, ſi fieri poſſet, immortalem fuiſſe: quem, etiam poſt vitam, quantà eſſe poteſt longiſsima, doluiſſent mortuum, quia bonum propter publicum videbatur mori numquam debuiſſe: quanto eum deſiderio requirunt, cum ceciderit in reliquo curſu operum maximorum, in ipſo limine ſenectutis? Et videbatur fortaſſe aliquot iam interiectis menſibus ab eius morte audita dolor mitigari debuiſſe: ſed etiam nunc ſi recens, perſcriptus nempe ab amore & admiratione virtutum, legitur in frontibus omnium, vt eum conſtet nulla vmquam aut inobſcurandum obliuione, aut temporis diuturnitate delendum. Raro P. A. rarius omnino quam oportet, naſcuntur tales imperatores: atque vtinam ſinguli in ſingulis ætatibus: &, vt homines ſumus, plus ſentimus quod habebamus, poſtquam habere deſiuimus. Quo æquior doloris cauſa eſt. Sed tamen qui in ore viuit ac mentibus hominum, non videtur obiiſſe. Deinde magnorum virorum memoria non ſecus ac præſentia prodeſſe ſolet. Accendit nempe commemoratio imitationem: & vir-*

& virtus æmula alitur exemplo alieni honoris. Quod autem vos amaſtis, & admirati eſtis in Alexandro, manet & manſurum eſt in omnem æternitatem: id eſt animus: qui, & ſecum auferens magnam vim benefactorum ad cælum ſibi aperuit viam, & magnorum in Rempublicam reliquit in terra illuſtrem gloriam, famamque meritorum. Et gauiſus es tu quidem, fortis ac pie dum vixiſti, illis tuis tam excellentibus bonis: nunc vero etiam ſancte & glorioſe imperator, frueris credo, & frueris in perpetuum cum fama & gloria, tum & præmio laborum, & fructu virtutum tuarum. Tu Alexander Farneſi, dudum amor, nunc & honor noſtri ſæculi, præclarum iſtud decus & ſpem nominis factorum magnitudine viciſti. Tu tuarum ſplēdore virtutum tui claritatem generis auxiſti. Tu deuictos mari Turcas terreſtri prœlio in fugam vertiſti. Tu parua manu innumerabiles hoſtium copias profligaſti. Tu non minus conſilio quam gladio rem gerens furentes aduerſariorum impetus retardaſti, conatus cohibuiſti, audaciam compreſsiſti. Tu potentiſsimas & maximas eorum vrbes, arceſque munitiſsimas, aut tua allectas humanitate, aut vi edomitas, ad deditionem compuliſti, ad Catholici obedientiam Regis, Romanique Pontificis auctoritatem redire coëgiſti. Tu audaciam ferrumq; impiorum tua prudentia ac virtute retudiſti: illorum duces ad te ſupplices captoſue venire perſpexiſti. Per te factum eſt, vt quæ iudicabantur fieri non poſſe, facta eſſe, quæque audiebamus in veterum hiſtorijs vt maiora vero, minora eſſe iis quæ abs te ſunt perfecta, cernamus. Te vero non funeris hæc pompa: non tot puellæ magnifice & ample dotatæ ab Odoardo filio Cardinale: qua inuſitata bene-

ficentia

ficentia & Chriſtiano principe digna non ſolum ad tempus vtilitatem attulit viuis mortuiſque, ſed etiam ad exemplum: non hæc qualiſcumque laudatio: ſed totus terrarum orbis, omniſque ætas, vt victorem ſemper, ſemper inuictum cum maxima admiratione celebrabit. Et recte quidem ac merito P. A. Nihil eſt enim, quod non ceſsiſſe videatur virtuti, induſtriæ, pietati, innocentiæ Alexandri. Belgica illum vindicem ſuum, liberatorem Celtica, defenſorem Catholica Religio, Romana patria reſtitutorem antiquæ bellicæ dignitatis, aſsidue prædicabit: eruntque in illis oris, quas vincendo peragrauit, victoriarum quas retulit, trophæorum quæ ſtatuit, pontium, arcium, propugnaculorum, quæ erexit, viarum quas ſtrauit: perennis etiam fluminis, quod aptum nauigationi ab Steecho vſque ad Scaldem decem milliarium deriuatione perduxit, cui & a Parma nomen impoſitum eſt, perpetua monumenta. Atque ne quid eſſet quod non vinceret, humanam quoque gloriam in ipſa morte ſuperauit: corpus ſuum efferri voluit Franciſcano habitu. ita quo ſe magis demiſit vir exaggeratiſsimæ virtutis, eo iuſtiorem de omnibus triumphis triumphum agere viſus eſt. Quãquam non reliquit ſolum has virtutum ſuarum imagines, & quas Thebanus Epaminondas immortales filias imperatorum appellauit, victorias: ſed viua & ſpirantia ſui animi & corporis ſimulacra. Te Ranuti Farneſi Dux Sereniſsime, abſentem appello, ad quem hereditas paternæ vt rei, ſic etiam gloriæ, & factorum imitatio pertinet: quem aquila illa victrix ad volandum prouocans ſuo volatu inſtruxit. Tu enim ſecundis eius prœliis, & conſiliis fere vltimis interfuiſti. Sed quod improbum fulmen ex infero ſubmiſſum ſpecu,

non

non ex ſupera ſede demiſſum, attingere auſum, non dico eximiam alitem commentitiam armigeram Iouis, ſed Alexandrum Farneſium immortalis Dei adminiſtrum aduerſum impios in bello, cui ſeſe pia iamdudum religione deuouerat? Quo tum ſilentio ictum pertulit pater? qua prudentia diſsimulauit? qua beneuolentia te eius comitem ac ſocium, facti neſcium, clam omnibus, quia id percrebreſcere nihil intererat, pium medicum requiſiuit? O pulcherrimam faſciam, tuiq; redimiculum pectoris, qua vulnus compreſsiſti, qua patris brachium obligaſti. Crediderim ego, eo potiſsimum tempore & fortitudinem patris, & pietatem filij ſeſe amantiſsimis contuentes oculis in mutuos veniſſe complexus. At tu Ranuti tali patre digniſsime, eius diei facti, patriſque perpetuo memineris. Tibi autem Odoarde Cardinalis gratulatio potius neceſſaria eſt: quia ita imitaris pietatem cumulatiſsimam parentis, vt in filio creſcat: cuius quidem pietatis, ſicuti quadriennio ante in patruum magnum, ſic hodierna luce in patrem, non tam ſplendido in ſpeciem, quam in rem ſolido ſupremo functus officio, in religioſiſsimo hoc templo, nec magis inſigni gentilitiis floribus Farneſianæ domus, quam ciuſdem odore virtutum, coram hoc conſeſſu illuſtriſsimo, exemplum maximum dediſti. Iam te vitæ auctor & bonorum omnium clementiſsime Ieſu, in cuius honorem nominis hanc magnificentiſsimam ædem Farneſii extulerũt, tuere, rege, amplifica, oramus, atque obſecramus, nobiliſsimam familiam datam iamdudum tuo munere ac conceſſu Catholicæ religioni, ad eius auctoritatem & ſanctitatem vel retipiendam, vel augendam: conſerua ambos fratres pari inter ſeſe voluntatum conſpiratione, & in patri-

patritarum auitarumque laudum æmulatione concordes: quorum alter efficiet, vt clariſſimam virtutem patris in bello, alter vt ampliſſimam magni patrui dignitatem in toga minus deſideremus. vt quoniam gratulamur tibi de Duce Alexandro, iam, vt confidimus, in beatorum numerum recepto, gratias agimus de filiis in ſpem certiſſimam relictis domeſticarum virtutum, excellentiſſimæ etiam ſobolis Chriſtianoque orbi vtiliſſimæ (quo permaneat æternum quod optimum eſſe voluiſti) tuo propagandæ beneficio expectatione lætemur.

DIXI.

ORATIO XXI.

In funere ANTONII Carafæ Cardinalis.

ANTONIVM Carafam Cardinalem, qui mortalis cum eſſet, ita vixit, vt immortalem memoriam moriens reliquerit, ſimplici quadam, ſed vera laudatione proſequimur. iuſtum officium P. A. & magnum: iuſtum, quia ſupremo tribuitur honori: magnum, quia excellentiſſimæ virtuti. neque enim aut æquum eſt, virum maxime laudandum, in communi omnium deſiderio, ſilentio præteriri: aut facile, perſequi ampliſſimas eius

laudes: quæ publica velutí materia expoſita ſingulis eſſe poteſt, vel ad celebrandum, vel ad imitandum. Neque vero opus pigmentis fuit, ac fuco nimium elaboratæ orationis, cum & vita ipſius abfuerit ab omni ſimulationis artificio, & quodlibet oſtentationis genus non careat ſuſpicione mendacij: ſiue quod veritas non deſiderat ornatum, ſiue quod quæ extrinſecus aſſumuntur, vt propria ac ſincera non putantur. Et quãquam is, vel inter homines cum ageret, abhorruit ab omni humana commendatione, ne dum eam nunc, collocatus in illo cæleſtium cœtu, magnopere requirat, quoniam tamen facilem aſſenſum inuenit conſenſio virtutum, & ſimilitudo audientium: & ornamentis maiorum incitatur æmulatio poſterorum: non vereor ne hic noſter, qualiſcumque futurus eſt, labor laudandi hominis omni honore ac laude digniſsimi, in re parua, aut ingrata vobis, minus denique fructuoſa atque illuſtri conſumptus eſſe videatur.

Non ignoro, qui idem conentur eſſe multos: neque id iniuria: vbi enim vincuntur ſinguli rei magnitudine, opus eſt induſtria plurimorum, vt ſimul laborantium numerus indicet oneris perferendi difficultatem: ſed tamen, vt de me ipſe loquar, maioris ingenij laudatorem cauſa deſiderat, & meum hoc defendet officium, oneris, quod ſubterfugere non poteram, excuſatio recepti. Quod ſi de te nihil dixero, ANTONI Cardinalis, quod ſit legendum, attingendis fortaſſe rebus, quæ ad nos allatæ ſunt, inſtruam alios ad ea ſcribenda quæ legantur: nos ſatis copioſi videbimur, ſi quorum nutui nobis obtemperandum eſt, eorum imperio obſecuti fuiſſe iudicemur.

Atque vt a patria, a genere, a parentibus, quod ipſum

natura ratioque præſcribit, capiamus exordium: eſſe enim poteſt hoc oratori argumentum, quod eximium pictori ſimulacrum, e quo ducatur ſimilitudo: de patria & genere nihil dicam, tum quod propter eorum nobilitatem, ignota nemini, tum quod de vrbe Neapolitana antiquiſsima & opulentiſsima, vnde regimen in ceteras regni vrbes, deque ſplendidiſsima Carafarum familia, & florentiſsima, vnde præcellentiſsimi Duces, Principes illuſtriſsimi, Patres ampliſsimi, ipſi etiam ſanctiſsimi Pontifices extitere: quæcunque commemorari poſſent, non eſt neceſſe me perſequi voce, cùm vos mente videatis.

Parentes habuit, id quod eſt proximum, ANTONIVS, *ſummo Dei munere, qui eum eſſe voluit rebus omnibus ornatum, mirabiliter morum ſimilitudine, atque omni virtutum laude conſentientes, Rinaldum, & Ioannellam, ex vna eademque gente Carafarum: fuit enim ſemper ſtirps illa generoſa: & tamquam ex vna arbore complures ſati ſurculi, ita etiam ex ea præclariſsima aliquot domus, ſoboleſque propagatæ. fuit autem Rinaldus a prima ætate ad ſummam vſque (egit enim longiſsimam) cum omnibus inſtructus corporis & naturæ bonis, tum armorum in primis vſu, & militari gloria excellens: incidit videlicet in ea tempora, quibus ardebat bello Neapolis, vt nemo fere eſſet in ea ætate, quæ fuit virtutum maxime ferax, cuius Ferdinandus primum, deinde Fridericus, Aragonei reges in capiendis deliberationibus, rebuſque grauiſsimis conficiendis, fideli magis opera, aut ſagaci mente vterentur. erat enim is, quod raro admodum reperitur in multis, vt quicquid ſuaderet, facere auderet, & priuſquam conaretur aliquid, cogitare conſueſſet:*

fuiſſet: ex quo etiam fiebat, vt proſperæ pugnæ, euentuſque rerum, non duces, ſed comites eius conſiliorum eſſe viderentur. Nec vero Ferdinandus expertem penitus muneris eſſe voluit incredibilem viri virtutem, quem etiam vulnera in pluribus prælijs aduerſo corpore excepta admirabilem omnibus inſignemque faciebant. nam & ei in Calabria oppidum, cui a ſancta Catharina nomen, & annuos præterea redditus non mediocres aſsignauit, cum certa præmiorum (vbi res compoſitæ melius fluerent) oſtentatione maiorum.

Sed nihil æque, mea quidem ſententia, aut ad rem glorioſum, aut ad memoriam illuſtre, atque cum cauſa finiendi belli adeo ancipitis ac diuturni, Catholico rege imperante, ex Aragonenſibus Galliſque ternideni viri delecti ſunt, qui, vtra pars vtri cederet, ſine cæde aliorum & ſanguine, ſuis ipſi viribus armiſque, equeſtri prœlio decernerent: & ex illis quidem, ſumma omnium expectatione ac lætitia ſecundos ſibi deſpondentium exitus, Rinaldus fuit: nec profecto ſine cauſa: cum enim vtrinque concitatis equis, aduerſis cuſpidibus concurreretur, & erecti hinc atque illinc ſtarent ſpectatores periculi magis quam curæ expertes, aduerſarium Rinaldus robore præditus incredibili, primo impetu proſternit, atque affligit ad terram, porrigentemque ſupplices manus, & captum, perducit victor in caſtra: quod ſimiliter cum ceteri feciſſent, peroptata parta victoria, & iucundiſsima quiete, qua etiam nunc Neapolitani fruuntur, terribili regnum hoſte, & ingenti regem ſolicitudine liberarunt. Sed non eſt huius loci aut temporis, quæcumque mihi ſe de Rinaldo obijciunt, in quo ſumma fuerunt omnia, effundere: tacebo enim & illud inter cetera, Oliuerio eum Caraſæ Car-

 dinali,

dinali ampliſsimo, mox etiam ſanctiſsimo Pontifici Paulo Quarto egregie carum fuiſſe: ſatis eſt dixiſſe vnum, quod erit inſtar omniũ, Rivaldum Carafam, qui præclaris ſuis virtutibus obſcuram quamlibet familiam honeſtare potuiſſet, vbi naturam expleuit ſatietate viuendi (cum enim ſecundum & nonageſimum annum ageret, integris ſenſibus menteque incorrupta pie ac religioſe deceſsit e vita) immortalibus editis operibus, genus quod accepit ampliſsimum, maius auctiuſque poſteris reliquiſſe.

Atque hæc pauca de patre ANTONII. *quid de matre? Ea vero cum maxima pietate ac virtute prædita eſſet, viri æmula, & memor maiorum ſuorum, hoc vnum egit, hoc laborauit, vt illis quam digniſsima eſſe reperiretur. Sileamus nunc, neque enim illud agimus, ſingularem eius pudicitiam, frugalitatem, continentiam, diligentiam, plurimaque animi & corporis ornamenta, quibus etiam aliæ fortaſſe gloriantur: eius certe religionem & ſcientiam Dei colendi, diſsimulare non poſſum. Paſcebatur illius animus aſsiduis precationibus, ieiuno corpore, & cum ceteras negligeret oblectationes ac voluptates propter Deum, totam ſe ad eum diligendum, ſubleuandam ope & conſilio inopiam pauperum, ſancteque ac pudice educandam familiam, vnum in votum coniungens omnia, conſtantiſsime transferebat: ter quotidie, Auditores, mane, meridie, veſpere, puras manus in cælum tendens, ſeſe proſternebat ad terram, vt iuſtis precibus Deum ſibi, viro, liberiſque placaret, nec niſi poſt horam, etſi veſpere, poſt binas ternaſue, a ſancto opere diſcedebat: quam conſuetudinem non intermiſit vmquam ad annum vſque octogeſimum quintum, qui anno huius ſæculi octogeſimo ſe-*

mo ſecundo, poſt viri mortem vigeſimo, fuit illi ſupremus. quominus mirum eſt, e tam ſanctis hominibus & piis, tam pium ac ſanctum virum prodiiſſe: vt & digni parentes tali filio, & dignus filius tantis parentibus fuiſſe videatur. etſi ANTONIVS *ſua ipſius virtute talis fuit, vt non ita multum fuerit nobis e ſuorum laude repetendum.*

Natus eſt autem, vt ad rem propius accedam, anno poſt Chriſtum natum, milleſimo quingenteſimo trigeſimo octauo, menſe Martio, eo die, quo magni conſilij angelus miſſus eſt e cælo, vt proximam humani generis ſalutem Mariæ Virgini nuntiaret: in cuius diei peruigilio, anno poſt trigeſimo, vt ſuo loco dicetur, in veſtrum fuit numerum, Cardinales Illuſtriſsimi, referente Pio Quinto Pontifice maximo, cooptatus. Hic erat locus excurrendi, ſi de alio dicerem, non ſatis vbere materia, in ſigna aliquot præcurrentia, aut conſequentia, quæ in tanti viri ortu veriſimilia viderentur: ſed nos ita abundamus, vt ſint potius circumcidenda multa de rebus neceſſariis. quam, quominus inanis videatur oratio, aliquid de probabilibus corradendum. Ioannis tamen Baptiſtæ Boſii Liguris vox prope diuina prætermittenda non eſt, qui eo in oppido, vbi natus eſt ANTONIVS, *paternæ ditionis (ei oppido, Monti Falconi nomen) ſacerdotio præfuit: is enim cum officij cauſa puerperam inuiſeret, cæleſti, vt res ipſa oſtendit, afflatu, Gratulare, inquit, Domina, virum dediſti, quo nullum vmquam habuit veſtra familia maiorem. nec vero multo ſecus apparebit, ſi momenta rerum non ſplendore quodam ac ſpecie, ſed certo iudicio & ratione ponderentur. Is enim denique magnus eſt, quem non homines, quibus*

ſæpe officit caligo rerum humanarum. ſed quem Deus, ille qui in clariſsima ſemper luce verſatur, talem eſſe iudicarit.

Quamquam in aliquibus etiam fit, vt cum Dei ſentẽtia opiniones hominum videantur eſſe congruentes: id quod in ANTONIO *videmus perſpicue conſtitiſſe: qui quidem ita a natura factus, ita a parentibus, vel ab ipſa infantia, educatus eſt, vt nihil faceret, niſi honeſtum: neque expeteret quidquam, niſi idipſum eſſet cum laude & cum dignitate cõiunctum. Apud Perſas legimus regum filios, a quinto ætatis anno ad vigeſimum, traditos eſſe in diſciplinam magiſtris, a quibus illud diſcerent præter cetera, vt viri boni, & ſimplicis amici veritatis eſſent. quod cum facerent, neque honeſtius poterant inſtituere regem, neque melius reipublicæ rationibus prouidere: neque enim humilis modo paruique animi, ſed fœdum etiam ac ſeruile vitium eſt, vti mẽdacio, cum id non niſi ex inopia naſci, aut e timore videatur: omniſque tollitur & ſecuritas animi, & tranquillitas vitæ, cum infidelitatem metuis in amicis, & ad tempus aptam ſimulationem. quanto id magis in principibus viris, a quorum arbitrio ſalus pendet, & ab exemplo æmulatio multorum. Et fraus quidem cum in omnibus eſt turpis, tum vero in iis, qui maiore ſunt præditi dignitate, turpior, quam aperta violentia. his præceptis, timorem ante omnia Domini, illud initium ſapientiæ, inſtillantibus, imbuebatur adhuc tener & recens pueri animus: his aures vocibus perſonabant: & præbebat ſe, vt erat natura candidus, ac ſimplex, quam maxime docilem ad eiuſmodi diſciplinam. ita cum vix eſſet in veſtibulo pueritiæ, vſu compertum eſt, etſi excuſare ſe puerili more, ac defen-*

dere

dere aliquo mendaciunculo poſſet, maluiſſe vapulare, quam mentiri.

Vtinam ex hac illius indole haurirent aliquid plerique puerorum, qui nunc quidem, vt leuiſsime dicam, apud domeſticos plus æquo indulgentes, clamores faciunt, cum deprehenſi varia comminiſcuntur, quibus effugiant pœnam, & crimen auertant: cum ſenſa animi vultu tegunt, cum ſentire aliud ac loqui videntur. Et miramur deinde, ſi, quæ conſuetudo in pueritia, cum omnia & condiſcuntur facilius, & retinentur arctius, altas radices egit, ea corroboretur, & ſerpat latius in ætate firmata, vt euelli difficile poſsit? Namque, illam quis exiſtimet eſſe vocem Chriſtiani ad Chriſtianum, immo vero hominis ad hominem, quam nonnulli vt effatum fortaſſe vſurpant, & arcanum imperij, Qui neſcit ſimulare, neſcit regnare? Sed aderit profecto dies, & propius abeſt, qui in infinito theatro patefaciet latebras mentium, & in lucem proferet abdita cogitationum. Sed redeamus ad ANTONIVM.

Quartum agebat annum, cum celeritate ingenij præcurrente ætatem, rectori commiſſus eſt & docto, & probo, quem protinus ſic amare ac vereri cœpit, non, vt magnam partem, auerſari, ac metuere: ſic facile, & feliciter ea quæ monſtrarentur arripere, vt admirationi omnibus, & voluptati eſſet: nempe, quemadmodum a pueritia, vt ita loquar, diei, coniicitur plerumque qualis eſſe debeat eiuſdem ſenecta, ita etiam a matutino tempore illius ætatulæ, intelligebatur, quod veſpertinum eſſet, atque adeo ipſe vitæ occaſus futurus: & procedebat in dies longius, ea fere ratione, vt nihil noui addiſcere, ſed quæ dudum ſciuiſſet, reminiſcendo reco-

recognoſcere videretur. erat autem in puero, præter docilitatem, ingenij acumen, quo dictante (ſicut etiam ſcribitur de Catone) habebat quidem docenti fidem, ſed cauſam tamen & rationem exquirebat rerum ſingularum. Otium porro, illud malorum ſeminarium, & pueriles luſiones, conciliatriculas interdum obſcenarum voluptatum, ita non amabat, vt illud non agnoſceret; his vero ita ſe oblectaret, quatenus honeſte relaxare animum poſſet.

Memoriæ proditum eſt, magnos interdum viros, cum pueri eſſent, ludicra aliqua exercitatione, ſeriarum ſpeciem rerum, & virilis ætatis ſpecimen dediſſe. mitto Romulum, Cyrumque, reges, L. Septimium Seuerum iudicem a colluſoribus nominatos. Athanaſius certe ab æqualibus ſuis dictus Epiſcopus, multos eorum, qui nondum antetincti eſſent aqua ſalutari, rite atq; ordine in littore baptizauit: quam rem Alexander Epiſcopus diligenter inquiſitam & cognitam ita ratam eſſe voluit, vt etiam approbaret. Ambroſium, qui poſtea Mediolanenſi Eccleſiæ præfuit, Sanctus Paulinus ſcriptum reliquit, cum adhuc eſſet puer, per iocum ſolitum eſſe manus oſculandas ſororibus, more ſacerdotum, dare: quod diceret ſe aliquando Epiſcopum fore. Horum conſimilem ferme ludum, cum relaxare animum, & dare ſe iucunditati vellet, luſiſſe videtur ANTONIVS: neque enim gaudebat

„ Ædificare caſas, ploſtello adiungere mures:
non pulchrum ſibi aut decorum putabat,

„ Equitare in arundine longa,
& volubilem chartam inſertam calamo curſuque incitatam reſlanti vento opponere, ſed e cubiculo quan-

quantum ſatis eſſet adumbrato ſacello excludere, ædiculam fingere, modicam aram extollere, adornare imaginibus, & ſtragula veſte, redimire ſertis & roſa, &, ne quid deeſſet ad imitationem veritatis, incenſis odoribus colere, & luminibus accenſis: hunc vnum ad vſum quicquid haberet pecuniolæ, conferre: huc feſtis diebus ſocios euocare, &, quaſi res diuina fieret, vti aſſolet in templo, alternis verſibus recitantibus pſalmos, ſollemnique cærimoniæ, ipſe præeſſe: diceres puſillæ quidem ædis, ſed ornatæ, & inſtructæ, in qua nihil admodum deſiderares, ipſum æditum, ſacerdotem & pontificem eſſe: vt ex iis quæ faceret puer, poſſent homines ſapientes, & proſpicientes in poſterum, quid vir eſſet facturus, ſi ei vita ſuppeteret iudicare.

Hæc leuia ſunt, dicet aliquis. ſed loquimur adhuc de puero: & hæc tamen ſunt rerum indicia grauiſsimarum. Quid illud? quod deducebat ſibi non parum de cibo meridiano, totum etiam interdum detrahebat, vt egentibus daret? quod numquam verborum ſcurrilium, nam quid dicam improborum, & turpium? eſt auditione delectatus? quod ſi in eiuſmodi ſermones incideret, aut grauiter obiurgabat loquentes, aut ab iis quam citiſsime refugiebat: vt quantum a turpium cogitatione rerum ſeuocauerat animum, tantum etiam a fœdorum contagione verborum puras aures integraſque ſeruaret. Hæc pauca de multis, quæ mihi ſe obtulerunt in eius pueritia, quibus quaſi lineamentis adumbrabatur forma firmioris ætatis. Et ſane de illa, Auditores, plura potuiſſem dicere, plura debuiſſem, in quam tot ſimul laudanda congruerunt: ſed moderandum eſt orationi meæ, & fugienda ſatietas veſtra, vitandaque ſuſpicio, ne,

quia careamus magnis, in paruis ac leuibus hæſiſſe videamur.

Cum igitur tam præclaris religionis ac doctrinæ ſtudiis fundamenta ieciſſet adoleſcentiæ, atque ex eadem Carafarum gente, Paulus Quartus Pontifex maximus ad ſupremum faſtigium euectus eſſet, in hanc vrbem ſe contulit, cum annos iam ſedecim haberet, vt apud ſuum gentilem eſſet: a quo perhonorifice acceptus, & peramanter tractatus eſt: tam enim egregiam & præclaram indolem iuuenis, de quo permulta fama & auditione acceperat, perſpexit ſimul, & probauit ſenex ſagaciſsimus. Itaque eum ſtatim habuit non a ſecretioribus modo miniſteriis, ſed etiam (qui honos in aula Principum eſt honeſtiſsimus) a potione. quin eum quoque, ne ceſſaret illa vis ingenij, neue abduceretur a ſtudio litterarum, quarum erat, vt dixi, flagrantiſsimus, operam dare voluit homini diſertiſsimo, omniq; doctrina & virtute ornatiſsimo, Gulielmo Sirleto, quem poſtea vidimus factum eſſe Cardinalem: hunc ille cum celebraret aſsidue, ac diligēter, auctorum præcipue peruolutatione Græcorum, breui tempore ita profecit, vt non doctus Græcis, ſed pene Græcus haberi poſſet. quod cum faceret, quo longius progrediebatur ætate, honoribus, doctrina, eo magis pudorem in rebus omnibus virtuti cognatum, & modeſtiam parem natalibus retinebat: vt enim omnibus erat innocentia gratus, ita etiam animi moderatione iucūdus. Quem ille bonum non coluit? cuius commodis non fauit? cuius dignitati non conceſsit? quem ille vmquam re vel minima, verbove offendit? Et erant quidem ea tempora, quibus fere poſſet, quātum vellet, ſed religionis tamen ſuæ putabat eſſe, velle quantum poſſet: multumq;

tumque ſibi additum arbitrabatur ad honores, quia de cupiditatibus multum detraxerat. neque enim erat ex eo hominum genere, qui cum adepti ſint aliquid boni, ſemper maiora concupiſcunt. etſi Pontifex ipſe (vt poſt eius mortem repertum eſt in ſuo chirographo incluſo in arculam) Antonium Rinaldi filium repoſuerat in eorum numero, quos proxime deſignauerat Cardinales.

Secuta eſt (vt nihil reperitur in rebus humanis, quod ſtabile poſsit eſſe atque diuturnum) Pauli mors, qua communis velusti procella quibus neſcio ventis excitata, omnem fere Carafarum familiam vno calamitatis genere comprehendit: a qua neque ipſe ANTONIVS *intactus fuit: etſi numquam fuit animo imminuto, tantum abeſt vt infracto. quemadmodum enim paulo ante breuem illam felicitatem tulerat ſine luctu alieno, ita etiam præſentem ærumnam ſine ſuo ferendam ſibi eſſe cenſebat: & quemadmodum nubes infra Solem ſemper feruntur, eumque, vbi euanuere, clariorem faciunt videri; ſic etiam, ſi quid ipſi aduerſi acciderat, non penetrabat illius mentis excelſitatem, ſed potius illuſtrabat. Ceſsit tamen, vt virum prudentem decebat, circumſtantibus malis: conceſsit in Montem* Falconem, *oppidum illud, vbi, vt diximus, pater dominabatur. Hic cum eſſet a ceteris curis vacuus ac liber, nactuſque tempus idoneum atque opportunum, non tam aberrationem a moleſtiis quærens, quam vti conſtaret otij fructus, omnem ſuam operam poſuit in vſurpatione Chriſtianæ pietatis, atque doctrinæ. Cum enim benigne omnibus faciendo, animum ab obſequio corporis abſtrahendo, non de hac exigua cogitans vita, ſed de illa perpetua, propius accederet ad Deum, præ-*

ſtantiſ-

ſtantiſsimum ingenium contulit ad ea pertractanda, quæ circa res diuinas ſanctiſsimi patres, & ipſi religioſiſsime coluerunt. & nobis poſteris ſuis conſtantiſsime obſeruanda prodiderunt. huic Antonianæ commorationi, quid enim dicam fugæ? Theodoreti viri eruditiſsimi præclaros commentarios in Dauidis pſalmos, varioſque auctores in quinque libros Moiſi, quod Pentateuchum appellant, ſumma fide ac diligentia Latine redditos, debemus. & ſi hoc quoque tempore Patauium, ad adipiſcendam ſcientiam iuris ciuilis fide Venetorum publica, profectus eſt: ſed hinc quoque eodem fluctu perſequente, diſcedere coactus, rediit ad terram natalem, &, non dico ad animi tranquillitatem, quam numquam deſeruit, ſed ad ſecuritatem ſuam: & ſi illi res aduerſa propter proſperas olim modeſte habitas, miſerationi fuerunt. Et declararunt hoc multi, ſed præcipue is, qui Catholici Regis auctoritate & nomine Neapolitano regno præpoſitus erat: hic enim, cum contra ANTONIVM *incitatus eſſet a nonnullis, modeſtiſsimi iuuenis integritatem & innocentiam ſibi notam eſſe reſpondit: neque opus fuiſſe, vt eum quiſquam maleuolorum in inuidiam vocaret. ita illi ad ſummam laudem contigit, vt cum vel in media verſaretur criminationum flamma, ne afflari quidem, aut perſtringi eius vapore poſſet. quod ſimiliter Deus, quem ipſe pro inimicorum ſalute precari non deſinebat, quodam quaſi miraculo oſtendit: multa enim huic viro ſupra communem morem, & conſuetudinem, diuinitus obtigerunt: vt veniat mihi interdum in mentem vereri, ne ornandi cauſa fingere videamur: cum contra futurum ſit, vt qui* ANTONII *vitam & mores perſpectos habent, multa a nobis prætermiſſa,*

vbi

vbi peroratum fuerit, iuſtiſsime conquerantur. hoc certe, quod paulo ante eram aggreſſus, relinquendum non eſt. oro vos, Auditores, quoniam nonnihil pertinet ad comprobandos ritus Catholicæ religionis, vt facitis, diligenter attendite.

Ego rem ipſam breuiter & ſimpliciter explicabo. Septimodecimo Calendas Quintiles, qui dies Vito eſt & Modeſto & Creſcentiæ ſacer, qua tempeſtate permagni æſtus eſſe ſolent, in quamdam ædium partem Dynaſtæ Montis Nigri, apud quem eo tempore verſabatur ANTONIVS, *improuiſo caſu adhæſit ignis, tanta vi, atque impetu, vt cum iam corripuiſſet lacunar cubiculi, materiam ad exardeſcendum aptam, & proxima quæque populando, anteiret remedia velocitate mali, timendum eſſet, ne deflagraret domus, & vno incendio concideret vniuerſa. Hic, quod in eiuſmodi rebus fieri amat, cum conſilium darent omnes, periculum ſibi ſumeret nemo, magno animo, ſed maiore in Deum fiducia,* ANTONIVS *(cum rediſſet in memoriam Pauli Quarti, a quo tale aliquid aliquando factum accepimus) ſcalas miræ longitudinis in parietem poſcit, & omnibus mirantibus, veroq; vultu, & trepido pectore, tantum ne facinus auderet; neue ſe in apertum diſcrimen coniiceret, magno opere diſſuadentibus, contento curſu, ſupremos gradus arduo ſuperat aſcenſu, in tectum peruolat: hic vero, cum miraculo audaciæ obſtupefacti viri pauidi ſtetiſſent, & exanimatæ metu mulieres duplicarent vota, & nihilo ſecius bacchare tur ignis, nec longius abeſſet ab* ANTONIO, *flexit ille ſuppliciter genua ad Deum preces effundens: quas veluti ſenſiſſet auditas, diuini plenus ardoris exurgit, ſacramque cæleſtis agni effigiem,*

quam

quam habebat ad collum, impreſſo crucis ſigno, omnibus inſpectantibus, in medios ignes iacit: mirum dictu, ſed verum: quæ indomita dudum furebat, omniaque ſe hauſturam minitabatur flamma, reſedit repente, ſuaque ſponte ſopita primum, mox etiam extincta eſt.

Auxit religionem ANTONIVS, *qui virginali quadam modeſtia, Dei virtutem extollens, cum fieri negaret poſſe, vt ſacra planguncula fuiſſet igni obnoxia, ſeduloque perueſtigaſſet, illam illibatam omnino inter medias prunas, atque integram prorſus offendit: quæ etiam nunc, ad rei memoriam, ab eodem Dynaſta, ſancte pieque ſeruata venerationem habet. breue factu, Auditores, idemque breuius dictu, ſed, quod & inter faciendum, plures habuit admirationis, & nunc etiam inter narrandum, ſi paulo inſpiciatur attentius, non pauciores habere poſsit laudationis gradus. Fortuito igni abſumuntur tecta, flammam ac terrorem late ſpargentia, quid terribilius? cunctantibus cunctis, aut diſsimulantibus, in præſens periculum per præcipites ſcalas celeriter contendit* ANTONIVS, *euadit in ſummum, quid audacius? proxime accedit incendium, prouolutus in genua intentis Deum oculis, & immoto corpore orat, quid animi ſecurioris? coniecta cerula, quæ alioqui primo ſtatim afflatu colliquefieri poſſet, peſtem abſterret valide dominantem, quod maius argumentum pietatis? ex ardentibus adhuc reliquiis, & fauillis parum fideliter extinctis, recipit ſacroſanctum pignus, quaſi depoſitum commiſiſſet, quæ clariora indicia conſtantis religionis? Et quidem in re deſperata illud cogitare, Chriſtianæ fuit prudentiæ: audere velle, fortitudinis: nihil timere, conſcientiæ: perficere, ſanctitatis: puram ceram nec tactam igni, ac ne*

leui quidem fuligine reſperſam ex incendio tollere, cognitæ Deo acceptæque virtutis. vt tantæ rei narratio ademptura ſit alteri admirationem, quam tamen breuiter curſimq́; perſtringam: tum quoniam Dei enuntiare opera, & confiteri, valdè decorum eſt, tum etiàm, ne qui propter egregiam voluntatem & amorem diuinorum myſteriorum, res eiuſmodi ſitientibus auribus, & libentibus animis accipiunt, debita voluptate fraudentur.

Eo igitur tempore, quo inuicta ANTONII *virtus in cæcis tenebris eluxit, per illos ſemper honoratos, & acerbos dies, quibus anniuerſario ritu ſalutis noſtræ auctoris mortui ac ſepulti memoria renouatur, in quoddam cœnobium religioſæ familiæ, vt excluſis ceteris, Deo melius vacaret, ac ſibi,* ANTONIVS *diuerterat: exornauerat magnifice, atque inſtruxerat, ea ſcilicet arte, quam didicerat per puerilem oblectationem, textili ſtragulo, conchyliatiſque peripetaſmatis, multo item argento, honorarium monumentum: in quo condita cum eſſet ſacroſancta Euchariſtia, plurima face collucens, & cuſtos, de more qui excubaret, relictus, ſera iam nocte, cum reliquis diſceſsit in interiorem domum: hic cum modica cœnula, cibo potuque tenuiſsimo, procurarent corpora, ſurgit confeſtim e menſa* ANTONIVS, *aliquid animo præſagiente: &, imus hinc, inquit, in templum: vereor ne ſepulcri ornamenta corripuerit ignis, dormiente cuſtode. nec fruſtra erat diuinitùs iniecta præſagitio: ſopitus iacebat excubitor, audacior flamma volitabat, magno quidem damno, ſed periculo maiore, niſi* ANTONIO *ad tempus occurrente, & hic fuiſſet excitatus, & illa compreſſa. Ex quo patuit aperte, hunc ab eo atq; illum ignem,*

ignem, non ſine ope diuini numinis extinctum.

Equidem cum de vtroque facto cogito, ſimulque amorem incredibilem pulcherrimæ pudicitiæ, quo ANTONIVS ſemper exarſit, conſtituo mihi ante oculos, Dei prorſus beneficio factum videtur, eius vt corpus inuiolatum eſſet ignibus, cuius animus inuictum ſe præſtitiſſet ſemper ab omni flamma impuræ libidinis. declaratum id maxime, iiſdem fere annis, vno atque altero, quæ proxime ſubiicientur, exemplis: facit enim veſtra nobilitas, vt iſtam auram benignitatis, quæ iamdudum impleuit vela noſtræ orationis, conſtantem ac perpetuam, dum ex alto inuehar in portum, ſperem futuram: cum præcipue nemo libentius audiat laudes aliorum, quam illi, qui ipſi quoque laudabilia fecerunt.

Erat iam ANTONIVS annorum circiter duorum & viginti, eadem ſemper naturæ bonitate, voluntate, & inſtituta ratione vitæ, vt quanta ad ætatem, tanta etiam ad probitatem atque doctrinam fieret acceſſio. Factum eſt, vt hiemali quodam die, cum multo mane focum famuli accendiſſent, ad aliaque negotia digreſsi eſſent, attente legens librum, quem cum lumine popoſcerat, ſe teneret in lecto: hic oblata, an captata occaſione, mulier, quam ſuæ pulchritudinis non pœnitebat, inſtigante diabolo, hortante libidine, per pſeudothyrum in cubiculum clam omnibus ingreditur, & nullum ſtrepitum pede faciente, peſſulum oſtio obdit: furem diceres theſauro inhiantem: & ſane ita erat: ad lectulum obrepſit propius, quam neceſſe erat probæ: iamque adhibebat illecebras prænuntias flagitij, iamque tendebat impuriſsimas manus: quod vbi animaduertit pudentiſsimus adoleſcens, indigniſsime

ferens

ferens impudentiſsimam mulierculæ audaciam, recordatus, quid olim in ſimili periculo feciſſet Bernardus peradoleſcens, quam poteſt maxima voce famulos inclamat: vaſtum erat cubiculum, & clauſum: nemo accurrebat, nemo reſpondebat, exaudiebat nemo: ſolus erat ipſe, nulla extrinſecus ſpes auxilij: intentabat furia teterrimas faces, & rurſum diabolus ſolita arte per præſtigias mulieris ſolicitabat ANTONIVM.

Quid faceret oppreſſus, & obſeſſus, cum angeretur ſumma rei cariſsimæ, neque, in tantis difficultatibus, conſilij vllius exitum inueniret, & celeritas periculi cogitandi ſpatium auferret? excitauit memoriam (nec dubium quin admonitus a Deo) ad cogitationem Thomæ Aquinatis, quem miro ſemper honore coluit, eumque tacite veneratus, pulcherrimum ipſius facinus in re præſenti ſtuduit imitari. cum enim eſſet camino proximus luculento, repentino impetu batillum, quem habebat ad manum, implet prunis ardentibus, eaſque omnes, vt ignem igni reſtingueret, in vultum ac ſinum veneficæ violentus effundit: quæ fauilla ac cinere oppleta, non tam dolens ſuo damno, quam mœrens non expugnata pudicitia aliena, protinus aufugit: dicerem pudore perfuſam, niſi iam illum vel in cogitato ſcelere perdidiſſet. Taceat nunc prodiga laudis vetuſtas, exaggerari non poteſt huius facti gloria, cum verba non occurrant niſi re ipſa minora. Video locum, in quo ſimilibus exemplis, & contrariis, afferendis & conferendis, excurreret atque exultaret ſpecioſa cuiuſlibet eloquentia: ſed quoniam ita res magna eſt atque ampla, vt dici pro dignitate non queat, eã in admiratione veſtra, Auditores, relinquo,

eoque libentius prætereo, quod ad alterum, & par in eodem genere ANTONII *factum feſtinat oratio: quod ſi item verbis æquare non potero, oro vos atque obteſtor, ipſum vt potius a ſua magnitudine, quam a noſtra tenuitate, exiſtimandum arbitremini: ex quo etiam a me nihil augeri, ſed exponi tantum omnia ſimpliciter, intelligere debetis. Victus erat priore prœlio dæmon, neque tamen defatigatus, aut fractus: alteram admouit machinam ad arcem demoliendam: credo etiam plures, ſed victorias ſtudioſe occultabat modeſtus adoleſcens, qui ſuarum rerum teſtem atque arbitrum Deum volebat eſſe, non homines, præclaraque fretus conſcientia non inani gloriæ laborabat, ſed ſolidæ virtuti. & hæc duo, vti ſe habuerunt, cognita, non ex ipſius narratione, ſed ex aliorum prædicatione, habemus. Vt igitur paucis expediam.*

Cum aliquando ſe in bibliothecam abdidiſſet, vir quidam, cum coniuge perhoneſta facie ac liberali, ad famulos accedit; ad dominum aditum orans: &, quoniam neminem vmquam a congreſſu neque ianitor neque negotium abſterruit, & erat in miſeria multorum perfugium miſericordiæ, admiſſus cum eſſet, orationem habet demiſſam ac ſupplicem: ſuam exponit inopiam, vt ſubueniatur orat: atque, vt eſt interdum paupertas peccandi magiſtra, vxorem præſentem offert, qua ipſius conceſſu ad ſuum arbitrium abutatur. O lutum, o tenebræ, o ſordes. Tu ne coniugem tuam, cuius tibi pudicitia, quam vtriuſque vita carior eſſe debuit, quaſi venalem habuiſti? Tu ne, hominum nequiſſime, caſtiſſimas adoleſcentis aures, tam acerbo conuicio vulnerare non horruiſti? Et grauius quidem, Auditores, hoc conuicium ANTONIO *viſum, quam vt*

patien-

patientes ipſius aures ferre poſſent: vſque adeo commotus eſt, vt male acceptum verbis hominem, vltimum ſupplicium illi minitans, ſi reuerti cum tali procœmio auderet, ex templo dimiſerit: quamquam poſtea, ne videretur pecuniæ magis, quam pudicitiæ pepèrciſſe, per fidelem virum, ac prudentem, miſit aureos aliquot nummos, cum ſeuerißimo interdicto, ſi non hominis cauſa, at certe humanitatis. Hoc erat robore animi, hac indole virtutis & continentiæ, A N T O N I V S.

Quod ſi fluuius fuit quiſpiam, aut eſſe creditur, qui mari acceptus, non receptus, per ſalſas aquas, dulces vndas, & ſuas dumtaxat perpetuo trahẽs, olei modo ſupernatet; aut animal, quod medios ignes peruolitet impune, hoc ipſe profecto fuit: qui quibus temporibus inuictus a calamitate, de rebus ſuis aduerſis, iiſdem etiam integer a libidine, de vitiis egit triumphum: vt qui attente hoc conſiderarent, non ſperarent ſolum, ſed plane confiderent, procreatorem mundi Deum, qui ex turbido tranquillum facit, non permiſſurum diutius, vt tanta lux deliteſceret in angulo, quæ illuſtris etiam poſſet eſſe in hac luce Romana. accedebat mater pleniſſima pietatis, quæ quotidianis illis, vti diximus, precationibus, pro filio vota faciebat. quamquam & ipſa quoque inter orandum audire vocem viſa eſt clariorem humana, qua & nominatim compellata, & bene ſpèrare de filio iuſſa eſt: neque vero aut huius ſpes, aut illorum fides, ludibrio fuit. conuerſus enim eſt orbis Chriſtianæ reipublicæ, atque ad eius gubernacula admotus commemorabili vir pietate, & nulli Pontificum ſecundum, Pius Quintus magnus auunculus tuus, Alexandrine Cardinalis, qui, cum olim A N T O N I O *familiariter fuiſſet vſus, eumque propter*

admi-

admirabiles ipſius virtutes amaret plurimum, eum ad ſeſe per litteras accerſiit, eiuſque cauſam cui fideliſſime confidebat, voluit de iure cognoſci, ac diligenter diiudicari: quo experimento ſingularis ANTONII integritas atque innocentia clarius apparuit: vt non tantum inuidiæ collegerit olim promiſcue delatus, quantum nunc meruerit laudis ſeorſum abſolutus. O rerum omnium præpotens, immortalis Dei fili, patris veritas, & ſapientia, Deus etiam ipſe, Chriſte maxime, qui, humana natura aſſumpta, inter mortales vnus e mortalium numero eſſe voluiſti: vt ſunt vera omnia tua effata, ſapientiaque dicta? Tu, cum homines pietatem doceres, atque ad cœleſtem vitam inſtitueres, admonere ſolebas, vt quærerent præ ceteris rebus regnum Dei: facilè enim reliqua omnia in cumulum acceſſura. oraculum magiſtri, tum alij perſæpe multi, tum etiam ANTONIVS ipſe comprobauit: qui cum reſtitutus eſſet in priſtinam dignitatem, cohortemque Pontificis, ſuis recte factis, quæ omnes virtutis numeros continerēt, breui conſecutus eſt, vt ſummam omnium opinionem, quæ erat de ipſius virtute, admiratio ſuperaret: & ſuperior ille diſceſſus optandus fuiſſe & expetendus videretur, quo carior videlicet omnibus atque expectatior rediret.

Cum igitur iam videretur locus virtutibus patefactus, excellenſque gloria ſua luce depuliſſet omnem vmbram inuidiæ, maximus idem & ſanctiſſimus Pōtifex Pius, qui acerrimo ſemper fuit iudicio in deligendis viris, & decernendis honoribus, ANTONIVM virum religioſiſſimum, prudentiſſimum, optimum, ſingulari virtute ac modeſtia præditum, ampliſſimo veſtro cœtu & concilio, Cardinales illuſtriſſimi, dignum

gnum eſſe iudicauit: cum fere eo ipſo die expleret annum, quo inuentor veritatis & magiſter vitæ Chriſtus Deus incepit dare hominibus præcepta viuendi. & intellexit ille tanto honore auctus, quantum oneris impoſitum ſuſtineret: quam ob rem totum animum, omnem curam, operam, diligentiamque ponendam ſibi putabat in amplificatione honoris & gloriæ Chriſtianæ religionis: quod niſi ab illis fiat, quorum humeris innixa eſt, altiſsimum iſtum gradum honoris ſummo proximum, plus inuidiæ, quam dignitatis afferre: hocque ipſum, quod Deo auctore cupiebat, eodem adiutore adeo præſtitit, vt cogitatis, dictis, factiſque omnibus, formam expreſſerit veri ac perfecti Cardinalis.

Iam vero, quoniam nos, dum ſumma rerum faſtigia perſequimur, eum in locum narrationis ordo deduxit, vnde emergere propriis viribus nullo pacto poſſumus: vt poëtæ, cum maius opus mouentes non reperiunt quemadmodum expediant exitum inſtituti poëmatis, confugiunt ad Muſas, multo verius, & iuſtius, in hac magnitudine rerum, & copia, tuum ego Sancte Spiritus præſidium, tuam opem, tuum numen appello: tu tibi deditiſsimum A N T O N I I *Cardinalis animum puræ religionis veræque laudis cupiditate incendiſti: tu illum ab omnibus aliis cogitationibus ad propagationem Chriſtiani imperij contuliſti: tu ab illo exoratus in multis tenebris ac tempeſtatibus clariſsimum lumen eius menti prætuliſti: vt laudandis ipſius virtutibus, tua etiam beneficia, atque adeo te ipſum laudare videamur.*

Vos quæſo, Patres ampliſsimi, dum quæ per tres & viginti annos, tot enim A N T O N I V S *Cardinalis*

egit,

egit, exemplum illud virtutis, & quod eſt ſummum in rebus humanis, innocentiæ, ſumma cum laude geſſit, curſim delibo, mecum breuiter recognoſcite: dabo operam, quantum in me erit, vt hæc ipſa nec ſine ratione prolata, nec ſine cauſa commemorata eſſe videantur. Ac primum, pono illud, quod veriſsimum eſſe oportet, veſtram, Cardinales, dignitatem, vbi a ſumma diſceſſum eſt, eſſe altiſsimam, atque ampliſsimam: vt exiſtimare debeatis rempublicam Chriſtianam, cuius vos eſtis ornamenta dignitatis, & præſidia ſtabilitatis, in veſtram fidem ac tutelam, eſſe collatam: eſſe vos, duces quoſdam & quaſi ſigniferos populi, eſſe veluti ſocios laborum. & adminiſtros Pontifici datos, vt & illi proſitis conſilio, & omnibus gentibus, quarum non ſolum animis, ſed etiam oculis ſeruire debetis, præluceatis exemplo.

Vidit hoc ANTONIVS *Carafa Cardinalis, eamque ob cauſam tot annos ita vixit, vt maxime ſemper Dei gloriam intueretur, ad eamque vnam, & ad proximorum vtilitatem, quæ non eſt ab illa ſeiuncta, omnia dirigeret, ab eoque ſtudio nulla nec difficultate rerum, nec voluptate corporis, nec hominum iniuria demoueretur. ita factum, vt quo excelſiore erat loco, eo magis eius virtus emineret. Nam quid dicam de pietate, procreatrice & quaſi parente reliquarum virtutum, quæ non niſi a Deo dari poteſt? cum qua homines viuere ſtudent, pro qua mori concupiſcunt? quantam in illo fuiſſe dicendum eſt, quæ cum eo, & creuit ab infantia, & ab vtero eſt matris egreſſa? Nam ſi talem taciti admirati eſtis pueri, atque adoleſcentis, cum erat teneritas quædam, qualem in viro fuiſſe creditis, firmata ſtirpe virtutis? id præcipue temporis, quo cui*

plus

plus datum erat, plus ab eo exigebatur? Quamquam enim eſt illa de earum genere virtutum, quæ magis cõſcientia, quam fama lætantur, vt de ea plura ſuſpicari mente, quam conſequi oratione poſſimus, & ANTONIVS omnem plauſum fugiens popularem ſibi tantum canebat, & Deo: ex ipſis tamen oculis, ore, vultu, tacita illa imagine mentis, coniiciebatur, quam ſuauis eſſet concentus omnium actionum, quamque diſſimiles & diuerſos motus animi & corporis vnà regeret conuerſio diuinæ voluntatis.

Prætermitto, ſtatis quotidie precationibus Deum orandi, explorandi animi, atque excolendi, corporis caſtigandi voluntariis verberibus, & cilicio interiore per ternos dies ſingulis hebdomadis, diligentiam: ſileatur moderata illa, & non a quærendi, ſed a ſtudio placendi Deo profecta in victu veſtituque parſimonia: non dicatur ne illud quidem, e menſa, immo vero ex ipſis epulis, quibus veſcebatur, ſemper miſſam partem ad pauperes, quos etiam largiore pecunia ſuſtentabat: vt nullus eſſet dies, quem amiſſum iure conqueri poſſet: horum atque talium facile patior fieri iacturam, quæ etſi in aliis merito admiramur, tamen propter facientis perſonam, quæ in eam conſuetudinem erat adducta, magna quidem fatemur fuiſſe, ſed non ita admirabilia videntur: natura enim comparatum eſt, vt nouitas potius rei, quam magnitudo ſit cauſa admirationis. ita enim ſe in rebus omnibus gerebat Cardinalis, vt nec ipſi maleuoli, qui curioſius ſingula ſcrutantur, inuenirent quid in eo reprehenderent: quæ certa laus à viro principe abeſſe non debet.

Sic enim cogitate cum animis veſtris, Auditores. Priuato quidem homini ſatis eſt, erraſſe non videri, male

male agitur cum eo, qui aliis præſidet, ſi aliqua quamuis leuis errati ſuſpicione perſtringitur. In rudi panno, craſſoque vitro, macula etiam magna vix apparet: purpuræ pulchritudinem, & ſplendorem gemmæ, vel labecula inquinat & infuſcat. Si qua peccantur a priuato, eorum pœna culpaque in auctorem redit: ſi quid aduerſum leges committitur ab iis, quorum lucem accendit Deus, vt luceat hominibus, illud & ipſis turpe eſt, & aliis perniciosum. Neque enim tam facile vaporis vitium concipit proximus aër, mox etiam tranſfundit in animantes, vnde origo peſtis; quam corruptis moribus principum inficiuntur populi, qui ad eorum exempla ſe fingunt. Neque tamen ignoro etiam ipſos homines eſſe: ſed illud etiam ſcio, geri ab illis vicem, atque imaginem Dei: vt cum externa ſpecie ſint ſimiles aliis hominibus, internis animi bonis, & ſanctimonia, Deum ſtudeant æmulari: nec minus dignitate ceteris, quam virtutibus antecellant. Proponant ſibi ſtellarum ſimilitudinem, quæ vocantur errantes (ſunt enim & ipſi ſtellæ) vt, quemadmodum illæ, etſi eadem cæli conuerſione cum reliquis mouentur, ſua tamen natura, iiſdem ſpatiis curſibuſque, diuerſum omnino & contrarium motum tenent; ſic etiam ipſi, etſi communem agere videantur vitam, ſint tamen a vulgo, & nobilitate morum, & viuendi ratione ſeiuncti. addam vnum, Auditores, quod ipſum quoque mihi aſſentiamini neceſſe eſt: principum benefacta, & virtutes, minus ſuſpiciuntur, quia debita putantur: vbi vel tantulum declinarunt ipſi ab officij religione, permagnam inurunt ſibi ignominiæ notam. Sic Solem illuminantem terras quotidie vix attendimus, deficientem interdum defixis oculis intuemur. Neque eſt, quod

cuiquam

cuiquam imponat ſpes latendi, in impunita libertate peccandi. Pronuntiatum eſt Veritatis. Nihil opertum eſt, quod non reueletur, neque abſconditum, quod non ſciatur.

Praetereo angorem animi, ſtrepitumque conſcientiae, qui ſi non auditur a pleriſque, ſentitur tamen: interpretes conſiliorum, & conſcij, vt exprobratores aſpiciuntur: ipſimet, quaſi augeatur laetitia, ſi communicetur cum pluribus, narrare geſtiunt ſimilibus ſui: fumat interea domus, multaque redolent indicia turpitudinis. & quo premuntur magis, erumpunt taetriora: caeca denique nox aperit flagitia, muti parietes loquũtur. Quanto Carafa ſapientius, in cuius domum omnibus patentem, non pedes modo quilibet egenus, ſi vellet, ſed curioſus etiam oculos (quod Liuius Druſus optaſſe dicitur) inferre poſſet? Quoniam enim nihil agebat in occulto, quod fieri non poſſet in oculis multitudinis, nullius timuit importunum interuentum, qui arcana domeſtica introſpiceret: ad eamdemq; laudem, ſuos omnes familiares, & inuitabat imperio, & incitabat exemplo. Quod ſi quis, quantumuis diligens & ad domeſticos vſus neceſſarius, duriorem ſe praeberet, aut minus audientem, malebat carere eius vtilitatibus, quam, ne vnius vitio corrumperetur familia, in periculum venire. Didicerat nempe, eamq; ſententiam crebro ſermone celebrabat, patrifamilias eſſe totius domus non ſolum facta omnia, ſed etiam dicta praeſtanda: nec ſatis eſſe, ſi ipſe ſit integer, niſi etiam velit, vt ne ſui cuiquam re aut verbo noceant, omni ratione prouidere: propterea quod vt a domino peccante influit contagio in domum, ſic etiam a peccatu domus

infamia in dominum redundat. Ita in eius ædibus nihil vidiſſes niſi pium, niſi pudicum, niſi ex optimo more, ac ſanctiſsima diſciplina. ipſum autem numquam offendiſſes domi, non dico tempus terentem alea, aut pila: nam huiuſmodi luſionibus dicebat Cardinales animum amittere, non remittere: non languori deditum ac deſidiæ: ſed aut colloquentem cum viris doctis & piis, qui eum vt parentem beneficum venerabantur: aut cum iis, quibus commiſſa cura rerum publicarum, de negotiis grauiſsimis agentem: aut legentem auctores, qui res diuinas humanis litteris tradidere: aut ea ſcribentem, quæ commendarentur immortalitati: numquam denique otioſum aut vacuum reperiſſes.

Is præfectus libellis ſupplicibus, quibus quod conceditur, apponitur gratiæ, obſignandis, vigeſimum fere annum: quam integer rectuſque fuerit in eo munere, propterea minus arbitror a me dicendum, quia quod laudari debet ab omnibus, non eſt permittendum vnius tantum laudationi. illud profecto omnium ſermone celebratum eſt, nullum ab eo vmquam, ne leue quidem, munuſculum acceptum: vt a corruptæ fidei iudiciique non tantum crimine, ſed etiam ſuſpicione abeſſet. Is laborauit omnium maxime (cum apud ipſum eſſet ius de quibuſlibet rebus referendi) in clariſsimo virorum cœtu, qui decreta Tridentini concilij, ſiqua videntur difficilia, & controuerſa, & feliciter expediunt, & fideliter interpretātur: qua in prouincia ita modeſte ſe geſsit, atque prudenter, vt nec quicquam detraxerit moderatio animi de exiſtimatione ſcientiæ, nec minorem fecerit moderationem animi ſcientia quæſtionum difficillimarum.

Vt de quo viro, ſacrorum Antiſtites, vel e remotis regionibus (erat enim celebritate famæ, quæ vires plerumque capit ex longinquitate locorum, etiam abſentibus notus) mirificam præcepiſſent opinionem, in eo, cum ad vrbem ratione ſui officij accederent, maiorem prædicatione virtutem ſe inueniſſe dicerent: & cognitione expectatio, aures ab oculis vincerentur. Is præſes fuit & cuſtos bibliothecæ Vaticanæ, qui honos non niſi Cardinali eruditiſſimo ac ſapientiſſimo tribui ſolet: quem ipſum honorem ita honeſte atque vtiliter obtinuit, vt & bibliothecam auxerit libris vndique conquiſitis (huc enim transferendum putabat, quicquid vſquam eſſet egregium) & ornauerit præclaris commentariis: quibus ipſe, magnas ingenij vires negotiorum mole non onerante, edendis, omnique cura & ſtudio elucubrandis, non interfuit ſolum, ſed etiam præfuit. Huc enim ſummorum epiſtolas Pontificum. Huc Caſsiani opera emendata, & notis illuſtrata. Huc publica Patrum concilia, quæ generatim ad omnes pertinent, in priſtinam formam redacta. Huc Tridentinum explicatum. Huc ſacroſancta biblia Græce, ex fide vetuſtiſſimorum codicum correcta (& ſi nondum omnibus hiſce operibus extrema manus impoſita) e Pontificum auctoritate, vt inferrentur, curauit. Quæ cum omnia ſint, a ſuis, & a ſe plurimum elaborata (totos enim dies atque noctes, apud eum, atque etiam ab eo, legebatur, ſcribebatur, ſumma contentione & induſtria) nemo eſt quin intelligat Carafæ domum domicilium fuiſſe doctrinæ, officinamq; virtutum. Hinc non ita frequens per vrbem: cum domi ſapientiæ ſtudiis atineretur: cum ſuſciperet negotium pro otio, & intermiſsionis loco arbitraretur eſſe mutationem laboris.

Quod ſi interdum urbanam commemorationem Tuſculano rure diſtingueret, modicus ille receſſus, & rarus, homini non ſatis firmæ valetudine ſolatio videbatur eſſe, non voluptati. Neque vero, inter tam multa agenda, & conſultanda, ipſe, atque ipſius beneficia omnibus non patebant: aut quiſquam erat, qui eius congreſſum aut facilitatem ſermonis deſideraret: quin etiam, cum perſæpe præſtandi celeritate occuparet tempus optandi, egregiamque erga omnes voluntatem declararet opere, non oſtentaret promiſsis, vt vir demerendis hominibus genitus, vtilitati multis omnibus admirationi erat. Nulla fere fuit religioſorum virorum aut virginum familia, quæ non eum vt patrem agnouerit: nullus locus piis operibus deſtinatus, quin eius beneficio ſit plurimum vſus: vir pæne nullus, non Romæ ſolum aut in Italia ſed in toto fere orbe Chriſtiano, litterarum ſcientia & doctrina excellens, aut diſcendi cupidus adoleſcens, in quem non ſint officia profecta a Cardinale tam multa, vt merito ipſe non pietate modo ac litteris excultus, ſed piorum quoque & litteratorum bonus parens, & fidelis tutor eſſe videretur.

Video, Auditores, quam in me attente audiendo conſeruatis benignitatem: & eo modeſtius vti debeo, quo maiorem experior. Sed tamen, veſtram non vereor, aut ſatietatem in iis audiendis quæ libenter auditis, aut defatigationem in rebus recordandis, quibus ille, diuturno licet labore, faciendis non eſt defatigatus. Neque enim ita ſancte ac laudabiliter viuere incepit, ſed non perſeuerauit: neque perſeuerauit quidem, ſed non vicit factis ſequentibus priora: neque vicit quidem priora ſequentibus, ſed humanam gloriam ex

petijt:

petijt: virtute fuit pro laude contentus, & cum ſe abderet in benefactis, ipſa etiam benefacta abdere cupiebat. Quo magis æquum eſt, vt, quoniam vox, & memoria ſuperſtitum, eſt vita mortuorum, & ego hac qualicumque oratione, & vos iucunda commemoratione, quæ etiam eat in poſteros, tantam virtutum magnitudinem ab hominum ſilentio, & obliuione, id eſt ab interitu, vindicemus. Et certe cum mors immineat omnibus neceſsitate naturæ, hoc inter improborum exitum, ac proborum, non ignoramus eſſe diſcrime, quod eorum fama cum corpore celeriter interit, horum autem æterna eſt, eoque maior atque illuſtrior, quod & dies auget deſiderium virtutis, & mors, vmbram gloriæ, inuidiam extinguit.

Sed vt, vnde digreſsi ſumus, eo reuertamur. Apud ANTONIVM, *domi nihil audires quod non laudares, nihil videres quod reprehenſum velles: admirareris tamen eius & moderationem in priuatis rebus, & in publicis ſplendorem: illæ, etſi fuere minus in ſcena, tamen cum ſunt prolatæ laudantur: hæ vero, cum Romam habeant theatrum, incurrunt in omnium oculos, magnoque viſentium plauſu, & gratulatione celebrantur. Quis enim eſt, qui religione locoque inclytam beatorum Ioannis & Pauli ædem, in Cælio monte, ſibi adeundam putet, quin ipſo in aditu veſtibuloque, magnificentiam ſuſpiciat Carafæ Cardinalis? qui, cum eius templi titulum obtineret, expolitum illud, & ornatum, ac pæne redditum priſtinæ dignitati, egregiis picturis, non iis modo, quas euaneſcentes vetuſtate, iiſdem coloribus, quibus fuerant, renouauit, ſed aliis etiam additis eiuſdem artificij, locupletandum locauit. quod & in aliis templis, quorum tutela ac*

patrocinium ad eum pertinuit, curauit ita diligenter, vt cum ipſis gratulatus eſſes, gratias ageres ipſorum patrono.

Quamquam præclaram hanc voluntatem, etiam antequam illa indole virtutum, & beneficiorum gradibus aſcenderet ad faſtigium Cardinalis, declarauit ANTONIVS. *Simulacrum ſanctiſsimæ Virginis Dei matris, filij corpus e cruce depoſitum in ſinu gremioque habentis, præclare factum e marmore, excellentiſsimi manu artificis, qui, & ſi ſua ſemper opera faſtidioſe probauit, vt manum fere neſciret tollere, hoc ita delectatus eſt, vt nomen ſuum minutis litterulis in eo inſcribendum exiſtimarit. Hoc igitur ſimulacrum, quod mirando non ſatiamur, in templo Vaticano poſitum eſſe ſcimus omnes: erat aliquot ante annis, in eiuſdem templi loco obſcuriore: in hanc porro lucem, vbi nunc eſt,* ANTONIVS, *cum adhuc eſſet ex ampliſsimo eorum ordine, quorum debito officio ac diligenti cultu ſacrorum cærimoniæ celebrantur, transferendum curauit.*

Ex quo videtis perpetuam fuiſſe in viro optimo, rerum agendarum ex virtute conſtantiam. Ad quam enim pietatem erat natura factus, voluntate exercitus, conſuetudine firmatus, eam, ad religionem diuinam, quoad fieri poſſet, illuſtrandam, & propagandam, libentiſsimè conferebat. Sed hæc properantes percurrimus, quaſi minora: maiora videamus. Quid ni enim appellem maiora, quæ eius religioni ac diligentiæ committebantur certatim a principibus Chriſtianis, a Catholico rege, ab ipſis etiam Pontificibus, qui maiora quædam negotia aut per illum explicabant, aut certe non ſine illo? Erat videlicet in ANTONIO *acerrima vis*

ma vis quædam animi, & ingenium præſtantiſſimum: ita cum magnis magna mandentur, grauiora plerumq; ad eius fidem ac prudentiam deferebantur.

Et ego, de ANTONIO *cum cogito, magni quidem facio eximiam eius prudentiam, ſed multo pluris ſingularem religionem. Nam etſi talis erat ipſe, vt de rebus futuris, quantum conſequi humana ratio poteſt, optime coniiceret, nihil tamen aggreſſus eſt vmquam, quin ſe ante ſuppliciter commendaret* Deo, *& piorum precibus apud* Deum. *Nouerat quippe rerum omnium initia, quæ bene homines euenire vellent, a bonorum auctore omnium duci oportere: hoc qui faceret, ei nihil contra vtilitatem accidere dicebat, etiam ſiquid accideret præter opinionem. addebat idem, vt in re ſuſcipienda æquitatem, & prudentiam, ita etiam in perficienda requiri conſtantiam, & fidem. Hinc egregia illi libertas, & magnitudo animi, non ignota vobis, Patres ampliſsimi, in dicenda ſententia, in conſeſſu veſtro pleniſsimo ſanctitatis, & conſilij, in illa arce regum omnium, & perfugio nationum. Non ignorabat, in eo qui ſuſcipit aliquam deliberationem, hæc inprimis requiri: vt cognoſcat quid opus ſit facto: vt explicare dicendo poſsit: vt ſit ſtudioſus reipublicæ: denique, vt ne priuati vllius commodi ſpe, aut incommodi timore ducatur. Qui enim acri eſt iudicio, & quæ recta ſunt nouit, neque explicat tamen oratione, perinde eſt, atque ſi non noſſet: hac enim in re infans a non intelligente nihil differt. Qui vtrumque præſtare commode poteſt, & eſt non amantiſsimus reipublicæ, nihil ſuadere videbitur, quod in commune ſit vtile: multo minus, ſiquis metuit alicuius offenſam, aut omnium vtilitatem non anteponit ſuæ. Ipſe igitur, qui hanc certam*

optimi conſiliarij normam exiſtimauit eſſe, perfectamque rationem, nec quicquam dixit vmquam, quod tacere, nec tacuit, quod dicere præſtitiſſet: ex quo factum eſt vt quod ſentiret animo, id vultu promptum haberet, & lingua: æquum ſcilicet ratus, vt, vbi ſentire, quæ velles, ibi etiam quæ ſentires, dicere liceret, ita non tantum bonum virum illum eſſe crederes, ſed etiam magnum.

In comitiis autem Pontificiis, vbi maxime declaratur veſtra, Cardinales illuſtriſsimi, voluntas, & poteſtas, quibus ipſe quaternis interfuit, quid niſi prudenter, grauiter, religioſe, fortiter geſsit? quam rem aliam propoſitam in illis habuit, niſi gloriam diuini nominis, & vtilitatem populi Chriſtiani? Iam de eius ſpectata in multis magniſque rebus integritate, admirabilique iuſtitia (qua interdum etiamſi aliqui offenderentur, eos prædicebat futuros poſtea amiciores) & longum eſt vobis commemorare, aliquem exitum expectantibus, & non neceſſarium ſcientibus, plura reperiri in eo, quæ tacui, nulla ex iis deeſſe, quæ dixi. Quid dicam de contemptis rebus humanis, quas aut periculum afferre docebat poſsidentibus, aut onus? de honorum cupiditate neglecta, quam quidam ſolam dixerunt eſſe ſenectutis expertem? Semper ille quidem, ſed præcipue extremis hiſce temporibus, quibus grauium laborum ſuorum maximus fructus erat bona conſcientia, & mala valetudo, de rebus cæleſtibus, & de proxima ad illas via ianuaque, id eſt de morte, cogitabat. Sed quid me flentes aſpicitis Maronitæ, quid me vultu appellatis? Etiam, ne tacitos vos relinquam, veremini? non vero ita impius. recte clariorem gemitum extuliſtis. parentem amiſiſtis. Carafa Cardinalis veſter defenſor,

propu-

propugnator, tutor, cuſtos, patronus, parens fuit. ille vos a Gregorio Tertiodecimo (iucundam cuius Pontificis memoriam Quartuſdecimus eius cognominis repræſentat) ſibi commendatos, quo non beneuolentiæ ac liberalitatis genere proſecutus eſt? ille vt institueretur Collegium, vbi optimis imbueremini litteris, ac moribus, effecit. ille in vobis ſuſtentandis, alendis, ornandis, nullum ſtudij aut officij genus reliquit. vnum illud omnibus opibus viribuſque videbatur elaborare, vt & veſtrum adiuuaret cœtum, qui Romæ informatur ad Romanam diſciplinam, & veſtram nationem Catholicæ ſemper ſtudioſam religionis, Romanoq; ſubiectam Pontifici, quo duce errari nullo pacto poteſt, in officio retineret. itaque ea ſemel atque iterum, ipſius ope rogatuque, per Nuntios Apoſtolicos obita, confirmataq; eſt: eademque opera, ſacra veſte ac ſupellectili inſtructa templa, eruditi ſacerdotes, larga pecunia adiuti pauperes, typus denique conflatus Chaldaicis litteris, librique editi, quorum lectio Catholica addiſcentibus myſteria neceſſaria eſſet.

Quid plura? non ita mater vidua dilexit vnicum ſuum, vt vos ille amauit vniuerſos. veſtro ille, vbi per negotia licuiſſet, delectabatur alloquio, recreabatur aſpectu: in veſtra ſpe requieſcebat: quin etiam nouos in dies excogitabat beneficiorum gradus, quaſi inconſtantem putaret amorẽ, qui non accipit incrementa. Nam illud, quod vltimo teſtamento, quod eſt index cuiuſq; voluntatis, bonorum ſuorum vos hæredes inſtituit, non explicari verbis, ne capi quidem mente, aut cogitatione poteſt. Ergo hoc litteris poſteritatique tradetur, hoc celebrabitur per omnes ætates, ac regiones, hoc nulla lingua conticeſcet: virum fuiſſe genere,

doctrina, integritate, grauitate, virtute, fide, dignitate præſtãtem, qui religionis conſeruandæ cupidus ac propagandæ, longinquorum iuuenum & alienigenarum cœtui, certis deuincto legibus, ſuam non mediocrem reliquerit hereditatem. perpetuo hoc in animis ſenſibuſque veſtris penitus affixum manebit, & inſitum: & dum Maronitarum genus, dum vrbis Romæ nomen extabit, ANTONII Carafæ Cardinalis incredibilis erga vos beneficentia nominabitur. præceſſerit antea deflagratio cæli, atque terrarum, quam extinguatur tam inſignis facti memoria, aut obliuione deleatur.

Conſeruate vos gratum iſtum animum, & excitate veſtram diligentiam ad Catholicæ fidei, in veſtris terris, propagationem: neque vobis in omni vita tam ſit res vlla propoſita, quam vt tanti viri iudicium laudetur a poſteris: & ipſe, qui de cælo vos ſpectat, & intereſt veſtris actionibus, ſe de vobis optime meritum eſſe lætetur. Et illum quidem in cælo eſſe, tum vita integre caſteque acta, tum mors ſancte & religioſe obita, perſuadet. Cauete enim exiſtimetis, Auditores, Carafæ Cardinali, quamquam non ita ſenex eſt mortuus, parum enim aberat, quin expleret tertium & quinquageſimum annum, quicquam mali contigiſſe. Neque enim mors aut immatura homini, aut inopinata Chriſtiano poteſt accidere, aut pio miſeranda. Homo quippe, vt natus eſt, a primo ſtatim exortu morti debetur: vir nomine animoque Chriſtianus, meditatus ſemper ac paratus eſſe debet ad tempus ſupremum: at pius quilibet & purus a ſcelere, non finit vitam, ſed mortalitatem, cum excedit e vita. Neque ego te dicam mortuum, ANTONI, quem placidiſſimo ſcimus

ſopitum eſſe ſomno: itaque abiſſe, vt e valle lacrimarum in locum lætitiæ & exultationis, ab exilio in patriam profecturum te eſſe indicares.

Iam diu videtis, Auditores, tam copioſo laudationis argumento, multa a nobis potius detrahi, quam quicquam affingi. id etiam ex hoc perſpiciatis velim, quod ſileo nonnulla, quæ præcurriſſe eius mortem, atque etiam prænuntiaſſe, dicuntur: non, quod vera eſſe non potuerint, ſed ne quæ iaciuntur poſt factum, vt dicta facilius, & ficta impunius, congeſsiſſe videamur. Hæc igitur ſileo. Ipſe enim, ipſe inquam ANTONIVS, *cum affectum corpus morbo haberet, & ſentiret defectionem virium, præſenſit ſibi diſceſſum imminentem. Ergo paucis ante obitum diebus, res ſuas omnes ordinauit: teſtamentum condidit: præſcripſit modicam, & perexiguam funeris pompam. erga familiares omnes, e quibus multi ante erant eius benignitatem experti, itemque erga illa Cælitum templa, & piorum cœnobia, quæ curæ illius aliquando fuere commiſſa, largum ſeſe præbuit ac liberalem. cumque ingraueſceret vis morbi, quæ eum in lecto iacere non permittebat, ſacroſanctum viaticum Chriſtiano inſtituto, & conſuetudine popoſcit: quod cum attuliſſet ſacerdos, magno viri animo, & conſtanti in Deum fide, multis audientibus viris grauiſsimis, qui aderant vt hunc illi honorem haberent, & lacrimas non tenentibus, teſtificatus eſt, ei ſeſe Deo, quem animo magis videret, quam cerneret oculis, totum dedere: orare vt abſtergeret maculas, quas fragilitas humana contraxerat: in eius manibus animam ſuam poſitam & conſecratam eſſe velle. vt hac etiam in re, admirabile illud Thomæ Aquinatis renouarit exemplum. quod ipſum fecit, cum oratione adhuc*

adhuc & mente conſiſteret. Iam corpus hominem, iam vires, non dum pietas deſerebat: cumque ceteris ex partibus oppreſſa mens eſſet, cælum proſpectans, & ad Deum euolare cupiens, extremum ſenſum ad memoriam diuinæ clementiæ, & vocem, ad opem implorandam Dei matris, quæ adeſt illo modo morientibus, reſeruabat: compreſsis deinde faucibus, cum ægre traheret ſpiritum, ſedens (ſedens enim illum efflauit) ſe pauliſper ſomno dedit, quem cum morte coniunxit: quamquam non ſum locutus eo modo quo debui: non eſt mortuus ANTONIVS, *ſed dormit. Et animæ quidem Deus virtutum præmia perſoluit: corpus autem tempore excitabitur ſuo, vt, cum quo labores olim & diſcrimina, cum eodem honores & munera communicentur.*

Quæ cum ita ſint, Auditores, quoniam ANTONIVS *gauiſus in vita tam excellentibus ſuis bonis, fruitur in præſens, fruetur que in perpetuum, inter mortales fama, inter cæleſtes gloria, fructu illo virtutum ſuarum: lætandum eſt immortali eius bono: ad vos autem non conſolatio, ſed gratulatio potius adhibenda eſt. Quippe, habuiſtis Cardinalem in veſtro concilio, Patres ampliſsimi, qui cuiuſlibet viri gloriam vel æquarit, vel antèceſſerit. Carafarum gens illuſtriſſima laudare poteſt e ſuo genere principem, in quo ſic virtus cum nobilitate certauit, vt nemo poſſet, vtrum nobilior, an melior eſſet, iudicare.. Roma denique & Chriſtiana reſpublica, huius nomine, quem & præſentis habuit æui decus, & ſuperiorum exemplum, gloriabitur.*

Supereſt illud vnum, Auditores, vt quem viuum admirati eſtis, mortuum veneramini, ille vos incitet

imitan-

imitandi cupiditate, & inflammet exemplis. is enim fuit, vt ad præclara eius ſtudia atque inſtituta quilibet impelli debeat. At te, auctor vitæ, ac vita ipſa, Chriſte optime, ſi fidelem adminiſtrum tuum, quod es olim pollicitus, ad tua gaudia iam admiſiſti, nouaque addita luce cælum auxiſti: ſi ANTONIVM *Carafam Cardinalem, pro vita, quam ducere ſtuduit ſimilem Cælitibus, in eorum numerum tranſtuliſti: obſecramus atque obteſtamur, vt vtamur auxilio eius: vt noſtram agat apud te cauſam, defenſoris adductus officio, ſeu certe amici: neque enim illos negliget in cælo, quos in terris fouebat: vt adiuuet Chriſtianam rempublicam, nunc vt maxime laborantem. Rege tu, ab illo, & a nobis exoratus, maxime Pontifex, & æterne, in hac difficultate rerum ac temporum, conſilia & actiones Gregorij Quartidecimi Pontificis optimi, & ſanctiſsimi, cuius nutum veretur orbis Chriſtianus. Da illi vires oneri ac menti pares: conſerua mentem, quam dediſti. Vt, quemadmodum verum eſſe intelligimus, quod a te dictum eſt, bene agi cum eorum animis, qui in corporibus cum eſſent, ſequuti ſunt præcepta bene beateque viuendi, ipſorum quoque precibus adductum te tribuere beneficia hominibus, veriſsimum eſſe reperiamus.*

DIXI.

ORA-

ORATIO XXII.

De ſancto Paulo Apoſtolo.

SI qua vmquam apud vllos homines beati Pauli Apoſtolorum principis, & gentium doctoris laudibus par oratio poſſet inueniri, Patres religioſiſsimi, erubeſcerem profecto, & puderet me, hac tenuitate dicendi, aut potius infantia, vobis præſertim audientibus, in eo laudando, id tentare, quod præſtare non poſſem.

Sed quoniam laudatiſsimi viri virtus omnem ſuperat laudationem, eademque omnium ſua admirabilitate animos excitat, & amplitudine licet inexercitatis dicendi materiam præbet: audaciæ apud vos notam, vt opinor, effugiam, ſi eius admiratione laudum excurram in campum late patentem, & hac imbecillitate ingenij, vbertate allectus argumenti, plus etiam experiar, quam me aſſequi poſſe confidam. Neque enim erit mihi turpe hoc tempore, aut officio meo alienum, & dicendo orationem, & de Paulo dicendo, veſtram exercuiſſe humanitatem. Quoniam autem dicere ingredienti plurima occurrunt, quæ non tantum ornare dicendo, ſed ne poſsim quidem percenſere numerando: ne infinite feratur, vt flumen in varios diductum riuulos, oratio: ad duos quaſi fontes & capita reuocabo omnem, vnde vniuerſus ſe Pauli laudum, non dico fluuius, ſed Oceanus erumpit. Quoniam enim vniuſ-

cuiuſq;

cuiuſque virtus duabus rebus maxime cernitur, & fortia agendo, & difficilia tolerando: cum vtriuſque gloria virtutis vir præſtiterit longe præſtantiſsimus, dum Chriſtum Dei ſapientiam æmulatur, & docet: quid eam ob cauſam magno animo fecerit, quid forti pertulerit paucis dicendum videtur.

Quamquam ea tot ſunt & tanta, vt & dictis omnium ſapientium voces, & factis imperatorum victorias, & laboribus eas, quas fabulæ de Hercule finxerunt, & itineribus cunctos errores Vlixis & naufragia ſuperarit. Etſi iniuriam viro ſanctiſsimo facio, qui eius virtutem, quæ non capitur orbe terrarum, cum quorumcumque hominum, ſiue eos poëtæ effinxerunt, ſiue expreſſerunt hiſtoriæ, laude coniungo. Sed hoc propterea indicabam, vt aliquo modo intelligeretur, qualis vir fuerit is, cuius imaginem virtutis, vniuerſa mortalium nec merita, nec etiam vota æquare potuerunt. Nam ſi eius agendi vim ac perſuadendi conſideres, quæ totum peragrarit terrarum orbem, inque omnibus gentibus ac nationibus ſanctitatis & religionis ad imitandum impreſſa reliquerit veſtigia: eam eſſe reperias, cuius Sol ipſe, qui luſtrat & illuſtrat omnia, nec curſum celeritate, nec lucem radiis videatur aſſecutus. Quippe cum ſe ſuperni æmulator luminis commouiſſet ab Oriente in Hiſpaniam, Italiamque deflexit, longoque terrarum circuitu in Italiam remigrauit, & in hac tandem vrbe, extremo videlicet die curſuque confecto, clariſsimus Sol ille defecit: qua in peregrinatione itinerum, & luſtratione regionum, gentes efferatas emolliit, ignaras erudiit, perpoliuit incultas, purgauit mortalium animos, ſuperſtitiones euellit, expulit tenebras, immani ſeruitute liberauit,

humanitatem intulit, attulit doctrinam, inſeruit religionem, iura & leges edocuit, aperuit iter ad cælum.

Ex quo nullus fere fuit angulus terræ ita cæcus atque abditus, nullus receſſus in Oceano inſulæ ita abſtruſus, quem non ex importunæ tenebris ac fluctibus vitæ, in clara admodum luce, & in tranquillo locarit. quod cum fecit, quocumq; peruenit ipſe, eodem etiam Christi immortalis gloriæ famaque penetrauit: quo in munere, & meliora multo, quam de Triptolemo dicitur, ſemina intulit mundo, & longe ſaniorem, quam ſenex ille Atticus, qui, vt aiunt, Philoſophiam deuocauit de cælo, mortales edocuit, ſanctioremque doctrinam. Hinc illud eſt quod legimus, cum pulcherrima illa ſancti Spiritus cithara e dulci pulſorum neruorum ſono attentas permulcere cœpiſſet aures, & diuinæ fidicen lyræ ſcientiſsimam vocem mittere e ſacro pectoris penetrali, & ex aureo illo vaſe gemmis eboreque diſtincto ſuauiſsimum vnguentum, Ieſu illud nomen ſanctiſsimum, quod coram gentibus & regibus & filiis Iſraël portabat, effundere, attonitas hæſiſſe hominum mentes, ac plurimos delenitos carmine, ad eum ſe applicuiſſe, cucurriſſe poſt vnguentorum odorem, & Chriſto nomen dediſſe, cuius honeſtiſsimum teſtimonium, vel ſanguine ſibi, & morte præſtandum videbant. Addebat nempe hominibus animum, animo ardorem, materiam ardori ſuggerebat, perſuadendi peritiſsimus, vt Tyrtæus olim Lacedæmoniis, cum e ſuperiore conſpectus loco multa magnaque afferebat damnorum ſolatia, incitamenta virtutis: cum vitæ docebat perbreuem eſſe curſum, gloriæ ſempiternum: cum oſtendebat, hæc, quæ tanguntur omnia, oculis cernuntur,

tur, incerta eſſe ac fugacia: quæ ſub aſpectum non cadunt, ac videntur animis, certiſsima, ac ſine fine manſura: quæ tamen ipſa cum diceret, non verbo tantum vera eſſe docebat, ſed firmabat exemplo.

Quis enim vmquam Paulo fuit in audendo conſideratior, in aggrediendo fortior, in agendo conſtantior? quis excellentiore animi magnitudine & præſtantia? quis tetriora monſtra expugnauit? quis difficiliora ſuſtinuit certamina? quis pulchriores victorias adeptus? quis fidentiore pectore ſingulis prope diebus ac momẽtis progreſſus ad mortem? Nec mirum ad mortem gradiebatur excelſo animo ille, qui quotidie per fratrem gloriam moriebatur, cui viuere Chriſtus erat, & mori lucrum. Sed iam mihi videor delapſus in alteram partem orationis, qua docendum eſt, virum ſanctiſsimum, qui maximam operam Chriſtianæ religioni nauauit, ac plus laboris quam omnes alij in ea propaganda pertulit, ea perpeſſum eſſe, dum hæc ageret, vt niſi ſcriberentur ab illo, qui mentiri neſcit, quaſi ad amplificandum compoſita, ficta eſſe viderentur. res enim (quod vobis non eſt ignotum, auditores) ſic ſe habet: quanto quis magis amatur a Deo, qui amor eſt, tanto magis amatorem diligit Deum: probatio porro dilectionis, effectio eſt operis. nihil autem præclarum & magnificum ſine laborum dolorumque perpeſsione perfici poteſt.

Iam quis veſtrum ignorat, qua pietate & amoris ardore ferretur in Deum Paulus, a quo ita prouocatus eſt amando, vt, cum maximè fureret audacia, ſcelus anhelaret, peſtem religionis nefarie moliretur, Chriſtianis omnibus viris feminiſq; vincula mortemque minitaretur, & eſſet impie, vt ſibi videbatur, pius:

quo,

quo, inquam, tempore inſtructus properabat, & paratus ad Chriſtianorum exitium, eo ipſo tempore occupatus ſit, & obligatus beneficiis, ab ipſomet Chriſto, quem imprudens perſequebatur: ſic vt eum paruo momento ex inimico familiarem, ex hoſte amicum, ex aduerſario adminiſtrum, e lupo agnum, e Saulo denique Paulum reddiderit: hac addita amoris nota, quod oſtendit illi quanta ipſum oporteret pro eius nomine pati. Nihil enim accidere homini poteſt optatius, nihil magis ad memoriam inſigne, quam pro Chriſto, proq; eius ſalutaris promulgatione legis, contumeliis affici, plagis contundi, vulneribus peti, morte mactari: quod & honor cum contumeliis, & cum plagis deliciæ, & vnguenta cum vulneribus, & vita cum tali morte non videatur eſſe comparanda. Age iam quam ærumnoſus Paulus, vt communi loquamur more, & calamitoſus fuit? quam multos hauſit dolores? quot acerbitates exorbuit? Profecto, ſi diligenter intenderis animum in ea omnia, quæ ſuis ipſe reliquit litterarum conſignata monumentis, nihil inueneris in hac rerum vniuerſitate, quod non exercuerit ac vexauerit hominẽ: nihil, quod non ei fuerit infeſtum: vt vnum contra, & terra, & mare, & omne hominum genus, & cuncta vis inferorum funeſtis armata facibus coniuraſſe, & quaſi ſigno dato irruiſſe videantur.

Mitto illud, quod ab inimicis obſeſſus, & per ſportam e muro demiſſus, tantum quod imminentem mortem effugit. aduerſariorum taceo inſidias, quibus cum ſemper peteretur, magno ſemper conſilio & prudentia occurrit. Nihil attingam de periculis, quæ non tantum intra domeſticos parietes in ciuitatibus, ſed in ſolis etiam locis deſertiſque vitauit. Non commemo-

rabo, ne illud quidem, fame eumdem ſæpius fuiſſe, ac ſiti, frigore, egeſtate, ſpoliatione rerum omnium, vigiliiſque confectum. Quæris quæ aduerſum ſe tulerit hominum odia? cum amplius quadraginta aliquando ita exarſerint, vt eius ſanguine icerint fœdus, capitaque ſua vltro deuouerint, niſi eum interficerent? quæ verba audierit? qui ſeditioſus dictus eſt, turbulentus, præſtigiator, ſacrilegus? Quoties plagas & quot ſuſtinuerit? A Iudæis quinquies, citra quadrageſimam, virgas? cæſus eſt ſemel, iterum, ac tertio: vt a ſe etiam mortem non niſi opinione mortis depulerit. At ne virgis tantum cum eo actum fuiſſe credatis, eſt etiam appetitus lapidibus: proiectus quoque ad beſtias cum eis Epheſi depugnauit. At in tantis itineribus tranquillum expertus eſt mare: ter fecit naufragium. at non eiectus eſt: quod ſi eiectus, qua ſe ſeruaret, tabulam arripuit: noctem integram, & diem conſequentem iacuit in profundo.

Quem vnum vidit vmquam omnis hominum ætas ab orbe terrarum condito, aut audiuit, aut legit, in quem tam multa incurrerint incommoda? ſed eſto incurrerint: qui æquiore animo pertulerit vniuerſa? Et ego quidem de te beatiſſime Paule quotieſcumque cogito, ita iuſta quædam admiratio defigit atque alienat animum, vt obſtupefactus hæreat, nec vllam eliciat orationem: quia nihil te dignum videri poteſt. Tu incluſus ne in corpore, an a corpore abſtractus, incertum (huius enim tantæ rei conſcius, idem qui & auctor fuit, Deus) ſed tu tamen ſublatus in cælum, iis interfuiſti rebus, ea audiſti verba, quæ indicari homini in vulgus nefas. Tu ab ægrotorum corporibus morbos & febres, tu ab obſeſſorum animis dæmonas expuliſti.

Tu ab

Tu ab inferis mortuum excitaſti. Tu mirabilia multa, quorum nihil fieri poterat ſine diuinæ oſtenſione virtutis, continenter patraſti: & tamen, quaſi hæc omnia contemneres, & pro nihilo putares, nullum in iis gloriandi cauſam eſſe voluiſti: quod ſi faceres, non mentireris in gloriando: gloriatus es tantum in infirmitatibus tuis, id eſt in iis, quæ Chriſti cauſa, dictu grauia, perpeſſu difficilia tuliſti: neque id tamen militum glorioſorum more, qui pugnas narrant, cicatrices oſtentant, ſua extollunt facinora: ſed ad eorum potius exēplum, qui certaminis gloriam conferunt in æquitatem belli, neque ita ſibi euentum rei, vt voluntatem ipſam conſiliumque gratulantur. Hoc certè apoſtolicæ indicauit auctor hiſtoriæ.

Cum enim de Apoſtolis cæſis, in quibus & poſtea Paulus fuit, more ſuo, pauca dixiſſet, addidit, Et illi quidem ibant gaudentes a conſpectu concilij: quam ob cauſam? quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati. Quippe, non ob illud erant anxij, quod iniqua perpeterentur: quia glorioſam putabant eſſe cauſam talium rerum perpeſſionis. Iam ſi hæc corpore paſſus eſt Paulus, quid arbitramur animo, cuius grauiora ſunt tormenta? quot illum ſolicitum habuerunt curæ, quas appellat quotidianas, cum tempus nullum intermitteret de Chriſtianorū republica, tum primum nata, non cogitandi ſolum, ſed etiam agendi? Videor mihi illum videre excubantem animo, nec partem vllam capientem quietis, nullum relinquentem locum coram & per litteras prouidendi, monendi, incitandi, caſtigandi: omnem vigiliam, induſtriam, diligentiam in eo ponentem, vt firmaretur religio, ciues ſtabilirentur vires, lux & lex proferretur per omnes

natio-

nationes ac gentes, & nulla ex parte nutaret: cum autem hoc ſpectaret, cum ad illud omni ſtudio ac labore contenderet, quod aduerſus inferna monſtra quæ in illum acerrimis ſuccincta odiis implacabili mente ſe erexerant, aduerſus principes & poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarum harum, prœlia ſuſtinuit? ſuſtinuit? quoties immanes illas furias non ignarus victoriæ prouocauit ad pugnam? Et ſperabat quidem teterrimus ille Dei hominumque hoſtis, qui perpetuo ſcelere & maleficio paſcitur, Diabolus, cum per ſuos miniſtros properauit mortem viro immortalitate digniſsimo, magna ſe moleſtia liberare: vana autem euaſit illius ſpes, fruſtra omnis ſuſcepta cogitatio. nam præter quam quod fortiſsimus imperator belli, iugulum obtulit, vt vinceret morte: & lacteus e ceruice ſanguis non magis cæco lumen oculo reſtituit, quam ipſius a quo cædebatur ſicarij & aliorum præterea triginta quinque, quos Chriſto peperit animo lucem: & manſit inſignis ille truncus pulcherrimæ victoriæ monumentum: vſque adeo creuit mortui gloria, tamque iuſtum agit quotidie triumphum, vt plus ei profuerit hoſtis odio, quam prodeſſe potuiſſet obſequio. Viſitur enim, neque vno tantum in loco (quando non vno tantum in templo ſunt ſitæ eius reliquiæ) omniſque Chriſtiani orbis, qui eam omnino ob cauſam hanc ad vrbem capit iter, religioſo cultu & veneratione celebratur.

Quo maior tua eſt gloria, regina vrbium, magiſtra, & parens. Roma, quæ, vt omittantur cetera, cæleſtem hunc theſaurum diuinamq; lucem illam, cum altero illo terrarum lumine ac principe, felici gremio complecteris. O te Paulum, vt ſimpliciter dicam, vere

beatum,

beatum, qui tam multa Chriſti extollendi cauſa egiſti, tam præclara ſcripſiſti, tam grauia tuliſti: qui illuſtrem & glorioſam adeptus es laudem, in agendo conſtantiæ, in ſcribendo veritatis, in ferendo victoriæ: quibus ego in rebus omnibus nullum tibi fuiſſe parem inter mortales exiſtimo: neque ego tantum, ſed Chriſtiani etiam omnes, & hi præcipue, qui renouato propemodum veteris ſtudio diſciplinæ, tuas mira quadam alacritate admirantur laudes, & pro virili parte imitantur. Iam quoniam in cælum recepta tua mens Chriſti fruitur aſpectu, cum quo vt eſſes, diſſolui, & corporis liberari cuſtodiis cupiſti: cuiuſque receptaculum, & quamdam imaginem habemus in terris, corpus videlicet, & quas reliquiſti epiſtolas, auratamque tuam conſpicimus ſpeciem quaſi præſidem vrbis, & de imperatorum triumphis triumphantem: euolue his præcipue temporibus tuum illud volumen, quod manu geſtas, in pertinaces: diſtringe fulgentem gladium in perduelles: luceat lux illa tua auro pulchrior, & ſplendidior Sole, non in hac vrbe modo, ſed in omni orbe terrarum: vt quoniam ab immortali Deo datus es nobis & doctor, & præſes, tuæ auctoritate doctrinæ, qui tam fortia egiſti, tui firmitate præſidij apud eum, pro quo tam libenter, tam difficilia tolerasti, & in præſens fruamur, & in perpetuum gloriemur.

DIXI.

ORA-

ORATIO XXIII.

De Chriſti Domini exceſſu, ad Gregorium XIII.

CVM multis magniſque in rebus clariſsima apparent diuinæ erga humanum genus beneficentiæ & largitatis argumenta, B.P. tum maxime in hodierno beneficio, cuius memoria nobis propter dantis animum ſcilicet grata, commemoratio vero propter eiuſdem in dando laborem acerba eſſe debet: tanta eſt enim huiuſce benignitatis magnitudo, tamque admirabilis, vt ſi omnia beneficia, quæ ex omnium ſæculorum memoria a bonorum auctore omnium Deo in homines profecta ſunt, vnum in locum conferantur, non ſint cum hoc vno, ſiue ipſius ſpectemus vbertatem, ſiue benigne facientis volūtatem, ſiue eorum quibus benigne factum eſt, vtilitatem, vlla ratione comparanda. Erant ſiquidem cetera illa riuuli quidam, non fontes: hoc autem ab ipſo capite tamquam vniuerſum flumen erupit. Nimirum Chriſtus, qui quaſi aër quidam terræ proximus, ac propterea calidior humanæ infirmatis humorem colligens, ſancti Spiritus aura conflante, intra virginei ſinus anguſtias, ſeſe in nubem, hoc eſt mortalem figuram induerat, vbi affuit piacularis maturitas temporis, mirificam ex interno illo ceu tritu fulgorem exprimens, tonante ac fulminante Iudæorum perfidia, ita ſo-

ita ſolutus atque diffuſus eſt, vt omnia longe lateque ſanguineo illius imbre redundarint.

Voluit enim ſalutis noſtræ parens, auctor, Deus, omnem ad ſe pœnam calamitatemque deriuare: vt cum excepiſſet vnus eas faces, quæ coniici in omnes debuiſſent, earum vim atque ardorem ſui ſanguinis effuſione reſtingueret: & quod mortiferum erat mortalitati vulnus impoſitum, acceptis ipſe vulneribus, plagiſque ſanaret. Quod ſi qui hodieque extant, vti adhuc extiterunt, quibus ſtudioſe in diuina inquirentibus incredibile videatur, Deum ipſum, quo nihil fingi maius, aut excogitari excellentius poteſt, ſui quodammodo immemorẽ memorem noſtri, noſtræ ſalutis cupidum, prodigum ſuæ, extremã ſibi propemodum, neceſſitatem vltro impoſuiſſe: næ illi, ſi rei cauſam intelligant, oppreſſi miraculi magnitudine exclament. omnem ab eo ſuperari admirabilitatem, quod ad incredibilem efferri admirationem arbitrantur. Vt enim ruſticani homines, & imperiti, ſi quando Solis defectionem intuẽtur, rerum omnium perturbationem ex eo prodigio conſecuturam putant: cum tamen ij, qui obſeruant motus curſuſque ſiderum, ſciant naturali ordine ſtatiſque temporibus id fieri & prædici etiam poſſe: cum Luna videlicet Soli ſubiecta, & noſtris oppoſita ſenſibus, illius lumen obſcurat: ſic etiam cum Chriſtus, Sol ille omnia clariſsima luce colluſtrans, in cruce noſtræ humanitatis oppoſitu extinctus eſt, vt non eſſet ei neque ſpecies, neque decor, quorum in diuinarum cognitione rerum peregrinantur animi, quamdam diuinæ potentiæ infractionem, æque imperite, vt impie, ſuſpicantur: cum tamen duæ illæ ſcholæ ſapientiſsimæ, quibus veræ fidei magiſtris vtimur, apoſtolorum. & prophe-

prophetarum, quorum alteri viderunt factum, alteri prouiderunt faciendum, facti cauſam tribuant diuinæ erga homines voluntati.

Magna eſt enim, quod neminem fugit, vis amoris: mira, & ſane incredibilis potentia caritatis. Triumphat de Deo amor, quamquam Deus ipſe amor eſt: & ita eum, abſit omnis verbo impietas, non modo de cælo, ſed prope de ſenſu mentis abſtractum cum hominis condicione copulauit, vt geminam naturam in vnam colligarit hypoſtaſin: vſque eo vt ſumma inter eas eſſet conſiliorum voluntatumq; conſenſio: qua in coniunctione diuinitus effectum eſt, vt cum deteriora Deus ab homine accepiſſet, ipſe meliora cum eo communicarit: humanam quippe ſpeciem induit, atque vt caritatem latius explicaret, maieſtatem abdita prorſus ac retruſa ratione coërcuit, in anguſtumque deduxit. Dilexit ille nos, ac vere dilexit: cum interpoſitu, & quaſi clypeo quodam capitis ſui, omnem noſtro a corpore perniciem peſtemque deiecit, & nulla indigentia, nullaque vtilitate quæſita, non crudeliſsimæ ſolum, ſed etiam turpiſsimæ ſe pœnæ obtulit, vt noſtrum omnium vitam ſua vnius morte redimeret. Quod ſi pro amicorum, iuſtorum, piorumque incolumitate, ſe, ac vitam ſuam deuouiſſet, magnum id ſane fuiſſet, ſed cum aliquo fortaſsis exemplo.

Nunc, pro conſceleratis iuſtum, pium pro impiis, quotquot ſunt, erunt, fuerunt, iniuria affectum, pro iis, quos ſibi iniquos fuiſſe, & ingratos in poſterum futuros intelligebat, nullo adductum officio, nullo iure, nullo fructu, vicariam mortem occubuiſſe, hoc vero tantum eſt, tamq; omnem excellentis beneuolentiæ magnitudinem ſuperat, vt ſi qui diuina quadam mente

ac iudicio præditi dum hoc gereretur interfuerunt, quaſi vix auderent credere quod viderunt, illud non modo præter ſpem gerendi, ſed etiam ſupra geſti fidem, & effectu maius, quam voto fuiſſe fateantur. Calamitoſi quidem eramus, ſed calamitate digniſſimi: capitis damnati ſed capitali maleficio: miſeri, ſed turpes. En tibi, qui vt a nobis arceret miſerias, ſuſcepit ærumnas: vt calamitatem depelleret, acerbitates ſuſtinuit: vt mortem auerteret, cædem expetiit. Nimium quantum tuorum atrocitas ſupplitiorum, Chriſte benigniſſime, noſtrorum ſuperet maleficiorum fœditatem. Tu quidem in crucem actus toti terrarum orbi conſeruando magnus es: tibi in crucem acto totus terrarum orbis conſeruatus, etiam ſi infinitis partibus eſſet amplior, anguſtus eſt. Occidiſſet quidem ille, niſi occidiſſes. At par fuiſſet ſudori præmium, labori merces, pugnæ victoria. Ita ne vile tibi fuit caput iſtud beatiſſimum, vt illud pro re lutea, ac nihili facienda, in apertum diſcrimen adduceres? ita nullius pretij pulcherrimum iſtud corpus, vt pro cæno illud, ac ſordibus, tot doloribus, vulneribus cruciatibus obiiceres? Illa illa ſapientia ſtultitiæ notanda fuit infamia? ille ſplendor maculis aſpergendus ignominiæ? O inflammatas ſcelere parricidarum mentes: o nefaria, ac furioſa impiorum hominum, aut potius ferarum in figura hominum conſilia.

Vos ne hominem, quem propter beneficentiam optimum, propter poteſtatem maximum venerari debuiſtis, illum ipſum effectorem hominum, probris appetere criminationibus inſequi, maledictis inſectari, verbis lacerare, ſpurciſſimo ore concidere, ac conſputare: vos ne taterrimi ſanctiſſimum corpus virgis tamdiu cædere,

cædere, vt plurimus ſanguis omnibus e venis vberrime diffluerct? Vos ne palmarium illud immanitatis commentum, tegmen hamatis & aculeatis conſertum ſpinis diuino capiti ad contumeliam inſerere, ad dolorem intrudere potuiſtis? Vos ne pleniſsimas illas cruoris ac perfidiæ manus, illos lacertos impellere, vt exemplum vnum de cælo lapſum ſanctimoniæ, pietatis, virtutum omnium, acerbiſsime cruci ſuffigeretis? O truces & crudeles oculi, ita non ſubito offuſa nocte obcæcati: ita, cum mundi lumen obſcurabatis, non perpetua caligine obtecti fuiſtis? O Solem, ſolum propemodum tanti animaduerſorem parricidij, qui in tam acerbo miſeroque ſpectaculo, ne tantam rei indignitatem videres, eripiens funeſto facinori diem, diei lucem luci ſplendorem, ſplendori te ipſum, obuolutum tenebris caput abdidiſti.

At enim parua ſunt, quæ pro nobis perpeſſus eſt noſtri amantiſsimus Chriſtus. Immo vero ea tot tantaque ſunt, vt neque ab omnibus hominibus vno ſupplicio, neque ſuppliciis omnibus ab vno homine perferri poſſe meritiſsimo prædicemus: ita tætra, ita acerba, ita triſtia, vt ea fugiat ac reformidet oratio. Arripuerunt homines ſacrilegi hominem, quicumque nati ſunt aut etiam naſcentur, ſanctiſsimum, ipſius auctorem ſanctitatis, & innocentiſsimi ſanguinem exorbere, odiumque quod in eum inueteratum habebant, ſaturare cupiebant. ita porro afflixerunt, iactarunt, vexarunt, nihil vt integri in eius corpore, quaſi viuo quodam cadauere, loci eſſet ad noua vulnera, niſi forte, quæ per cicatrices imprimerentur accipienda: nihil ſuperfuerit ſanguinis, quod ab eo dari, qua erat tum dolorum patiẽtia, tum amoris abundãtia, noſtra pro ſalute poſſet:

ut mors pœnarum eius leuiſsima fuerit. neque enim tantum inſatiabilem illam crudelitatem exercuerunt in viuo, ſed etiam in mortuo: nimirum, quorum vltra mortem progreſſa crudelitas fuerat, ij oſtendebant, ſe, non quia mitigati eſſent, furere deſiiſſe, ſed quia nihil erat præterea quod furerent, mitigari cœptos eſſe. Immortale odium eſt, quod morte extingui non poteſt. Quæ tamen tum fortiter ille excepit omnia, tum etiam libenter: placabat enim nobis, ac plane reſtituebat, apud quem offenderamus, parentem, & ſacroſancto ſanguine firmiſsimum fœdus inter hominem ſanciebat & Deum. ita vbi vidit, Deo pro homine, ſe quidem Deo atque homine pacificatore, ſatis eſſe factum, extremum vitæ ſpiritum reddidit, vt in vulnerum dolore cum incredibili quadam voluptate moreretur.

Nefas eſt enim putare, quamquam infinitum quiddam fuit, quod Chriſtus dominus in illis cruciatibus pertulit, atque tormentis, tantam horum vim eſſe potuiſſe, vt vmquam in noſtra cauſa eius fides virtusve contremuerit. Plus ille diligebat, quam perferebat: plus perferre cupiebat, quam ferre per humanitatem poterat. Ingenti vero humaniſsimum eius pectus caritate conflagrabat: & ex illo ipſo, qui intus deliteſcebat, igne, per tot patefactas partes corporis, totidem erumpebant amoris incendia: efferueſcebat maior calor, quam vt vllo cruciatuum quaſi imbre refrigerari: exardeſcebat vehemētior flamma, quam vt vllis reſtingui tormentorum quaſi fluminibus poſſet. Magnum quidem eſt, quod mihi bonum pepererunt labores tui, o bone Ieſu: maiores porro labores, quam quod per ipſos eſt partum: ſed longe maximus amor, qui te, mihi vt proſpiceres, te vt deſpiceres, coëgit.

Multum

Multum tibi ex eo debeo, quod mihi facis: plus ex eo, quod mihi pateris: longe autem plurimum ex eo, quod te ad faciēdum ſimul ac perpetiendum impellit. Iam vero, quoniam & humanitas ipſa admonet, & vir ille, cuius tanta ſapientia fuiſſe dicitur, vt ſapientiæ cognomen præ ceteris inuenerit, ſapientiſſime præcipit habendam fideiuſſori gratiam, qui pro nobis animam poſuit ſuam: quo tandem nos animo, qua mente, qua voluntate, qua religione eum colere ac venerari oportet, qui, vt nos morti addictos e mortis ereptos faucibus conſeruaret, noſtram non modo cauſam vt ſponſor, ſed perſonam quoque ſuſcepit vt reus? Quid non ei referamus acceptum, a quo cuncta accepimus? quid non eius cauſa feramus, per quem effectum eſt, perferre vt omnia valeamus? quæ erit nobis ratio ineunda, vt ei cari ſimus: niſi quod eo cariores habet, quo maiore labore ſeruauit? qui ei amoris fructus eſſe non meritus poteſt, qui cum omnes nos plus pene, quam ſe ipſe, plus plane, quam nos ipſi, dilexerit, illud præſtitit, vt in ſe amando, non officij ſolum, ſed pietatis laudem quærere debeamus?

Quo magis noſtrum omnium P. A. eſſe debet, vt cum hæc amplificari oratione, a nulla, ne angelorum quidem, dicendi copia poſſint, minuendi enim metum afferunt, quæ ſpem amplificandi magnitudine abſtulerunt: quando Deus immortalis bene nobis fecit, quia bene voluit, peſſime acceptus eſt, cum benefaceret: æternam eius memoriam, qui tam male acceptus, tam bene nobis & fecit, & voluit, gratiſſimis non modo animis, ſed etiam ſermonibus proſequamur. Quod ſi propter meriti præſtantiam, illud aſſequi non poſſumus, vt grati ſimus, hoc ſaltem ſequamur,

ne ſimus ingrati: & ſi tanto indigni ſumus beneficio, at certe ne immemores fuiſſe videamur.

DIXI.

ORATIO XXIIII.

De eodem Chriſti exceſſu, ad Sixtum V.

LVCTVOSVS *& qualibet obſcurior nocte dies, P. B. cuius commemoratio gratiſsimis animis ſolemnique cærimonia anno vertente celebratur, quo ſuprema rerum poteſtas confixa ligno, lux tenebris obruta, vita deniq; morte affecta eſt, parenti maximo tanquam iuſta ſoluente, & parentante natura, ita conturbat animum cogitationemque dicere incipientis, vt excutiantur ſenſa, & voluntati verba non reſpondeant. audire videor concuſſum petrarum, motum terræ fremitum inferorum: videre Solem deficientem, conſciſſa a ſummo ad imum cortina templi, patuiſſe grande ſecretum, & mortuorum ſepulcra. Quo minus mirum eſt, hoc ipſo tempore, cum eius repræſentatur memoria locum hũc alioqui ornatiſsimum, eſſe ſine ornatu, altare ſine amictu, muſicam ſine voce latante, rem diuinam ſine conſecrante: conſpici te in ſinuoſo & lugubri pallio: admiſſum me ad tuos pedes ſine oſculo, dimiſſum ſine obuia*

obuia omnibus liberalitate manus benedicentis. & certe, ſi habitus mentis ducendus eſt ab ore dominorum, nullus locus hilaritati eſſe debet. cum Chriſtus auctor lætitiæ, totam generis humani culpam in ſuum transferens corpus, omnem voluptatem ſibi negauit, & ob liberationem mortalium mortalitate damnatorum ſuo capiti non pepercit, vt pluris eſſet remedium quam morbus, & res expianda piaculi pretio vinceretur.

Quo quidem facto vniuerſorum vota hominum, quorum ea erat errati conſcientia, vt ſpem veniæ haberent ſolum in diuina miſericordia, vſque adeo ſuperauit, vt nec meliora expeti ab ipſis, neque ab hoc qui omnia poteſt, præſtari aduerſum illos maiora poſſent. Sic enim prolixa & ſingularis fuit Dei erga nos beneuolentia, vt vnicum filium de ſinu propemodum decerptum ſuo, cederet deſiderio noſtro, qui & architectus eſſet reſtituendæ ſalutis, & reſtitutæ deinceps relinqueret argumentum. Is autem in ſuſcepto libenter munere ita fortiter ſe geſſit ac pie, vt non niſi eo perfecto conquieuerit, & ipſe quoque acerbiſſimorum perpeſſione dolorum amorem oſtenderit eximium, cuius maior eſt fides, quæ oculis approbatur. nempe, cum extulit vexillum caritatis in monte, eadem opera ſuſtulit ſignum, in quod infenſis odiis incitarentur homines teterrimi & diuinæ iuſtitiæ tela, quaſi prior clementia ad vnam illam ſeueritatem eſſet collecta, iacerentur.

In vnius perniciem hominis, omnis ætas, ordo gens, populus, mente, voluntate, conſpiratione ſtudio, voce conſenſit. coquitur a Iudæis parricidiale conſilium, conflatur ab Ethnicis, accuſatores ſubornantur illi, qui ſe reos non eſſe mirantur, viri principes, profani, ſacriq; æque tamen ſacrilegi, æque execrandi ſine iure,

ſine lege, ſine crimine, inaudita cauſa, in viri caput, quem inſontem eſſe conſtabat. ſubiicientibus materiam calumniæ miniſtris, iniuſta decernunt: vt ambitioni videlicet, atq; auaritiæ, innocentiæ ſanguine litaretur. Iam quid dicam de duodecimuirali collegio, e quo vnus mercede obſtrictus vt proderet, metu alter vt denegaret: fracto animo reliqui, & fide dubia, vt magiſtrum relinquerent, fuere? O ſcelerum furor: conſputari, obnubi, cædi faciem pulcherrimam. Sed quæ tam crudeles manus, in nudati corporis verbera, & cruentas plagas, durare potuerunt? O facinus infandum, etiam ne iocularias veſtem, & ſpineam coronam? ecce autem, horret meminiſſe animus, & dicere reformidat oratio: producitur in publicum lacera effigies mortui ſpirantis, nec inuenit miſerationem, ſed acuit iram: & mortuorum ſuſcitator, præ infami ſicario, & ſcelerato homicida, præ peſtifero monſtro ac turbulento, dignus morte iudicatur. induitur rurſum, rurſum exuendus: per male obducta vulnera recens cruor effunditur. vix ſuperat cadaueri anima ægre retenta: cum impar oneri, titubãte greſſu non portat, ſed raptat graue robur impoſitum humero, mox ſuper ipſum imponendus.

Omnes hominum ærumnæ, Chriſte benigniſsime, per te tranſierunt, vt illis homines eximeres: & actus in crucem omni te ſolatio priuare voluiſti, vt prorſus nihil abeſſet, quin haberi poſſes miſerrimus. alios vexant inimici, ſed amici conſolantur: contemnunt amici, cognati non deſerunt: pars corporis afflicta eſt, reliquæ valentes: ſummus dolor, ſed interueniente fine non ita diuturnus. ſæpe etiam, quem extingui voluere multi, extinctum miſerantur. Te vnum poſt omnem

memo-

memoriam noti ignotique luctu afficiunt, propinqui mærore: & in longo quaſſatorum artuum cruciatu mors adire non audet, niſi inuitata: audet tum denique, cum inuictum ſpiritum non effundis, ſed tradis: tum quæ efferatorum hominum ſæuitia in viuo corpore ſe fatigauerat, in exangue conuertit. nec vero vicino iam obitu cum paucis comitibus mater ægra ſolatur: ſpectat illa filium pendentem in cruce, tu de cruce parentem: neuter ſuis doloribus angitur, ſed alterius: & ſunt vtriuſque grauiſsimi. emanant interea e manibus pedibuſq; flumina, amoris ne dicam, an ſanguinis? at quanta eius vis permiſta aqua, e mortui latere, quaſi e fonte, quantoque cum impetu erumpit? Nam quid illud eſſe dixerim, quod videtur, cælum inhorreſcere, terra contremiſcere? an altera cæli noui, nouæque terræ fundamenta iaciuntur? & certe ita eſt.

Dei enim filius, vt peccatum noſtrum affixit cruci, delens quod aduerſum nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, iuſtamq; parentis iram ſuo ſanguine reſtinguens, lapidem poſuit, quo hiulcam compagem gemini parietis aſtrinxit, nullo vmquam tempore diſtrahendam: & effracto vaſe ſacri corporis, tantum lumen enituit, vt quamquam antea more Solis obſcuri vim ſuam exerceret in occulto, emergens e tenebris, & in excelſo poſitum loco, non illuſtrarit modo, ſed etiam ad ſe traxerit vniuerſa. reſpicit filium pater iam placatus e cælo, vt det veniam mortalibus in terra. aſpiciunt homines ad eum, quem confixerunt: hi quidem, vt credentes habeant vitam æternam: hi vero, dum adhuc contumaces veluti gladium exacuunt linguam, vt ad inferos detrudantur morte mactandi. hoc enim in conſpectu eſt

 omnium

omnium ſalutare ſignum ſine quo ſalus eſt nulla: hoc ipſum apparebit in cælo, cum ſummus ille laturus ſententiam de omnibus ſæculis dies illuceſcet.

Nunc quidem futurus iudex ad ſe venientes expectat vtroque pede transfixo. En inclinato capite oſculum, paſsis brachiis pollicetur amplexum: & quo nulla ſit ſuſpicio tectæ voluntatis, apertum pectus oſtendit. Etſi P. B. cum de te, cuius nutum omnia firmantem totius mundi tremor ſentit, qui Dei vicem in terris obtines & de illo cogito, ille immenſus eius dolor in ſplendorem tuum, illa humilitas in iſtam maieſtatem redundaſſe videtur. Spoliari ſe paſſus eſt, vt indueret tibi decorem: crucem deſpicatiſsimus aſcendit, vt te in humani generis faſtigio locaret: caput habet redimitum ſpinis, vt ſanctiſsimum tuum verticem triplex circumdet corona radianti auro gemmiſque diſtincta: profoſſas, &, vt ita dicam, oculatas manus, vt vim diuinam transferret in iſtas auctoritate fideque præſtantes: traiecto pedes, vt ad te omnium ordinum homines flexo genu procumbentes, beatiſsimos tuos non venerentur ſolum, ſed etiam oſculentur: nudum pectus, & patens, vt cum clauibus cæli ianuam cæleſtiumque theſaurorum diſpenſationem pernoſcat orbis terrarum tibi eſſe commiſſam.

Quas ob res, cum Chriſtus dominus, hoſtis ſui victoriam morte vincens, regnarit a ligno, omniſq; eius ærumna conuerſa ſit ad noſtram felicitatem, non tantum ad ſalutem, ad nos omnes pertinere debet, vt perpetua eius diei factiq; memoria in pectore, laus in ore verſetur: & qui participes fieri cupimus matutinæ lætitiæ, non ſimus expertes veſpertinæ querelæ: quod vt faciamus, vel exanima ipſius imago pendentis in cruce

commo-

commonere debet. At tu auctor vitæ, & reſtitutor, Chriſte optime, cuius beneficio melior multo & pulchrior gens humana ſurrexit, vt quodammodo profuerit cecidiſſe: qui dilexiſti nos, & lauiſti nos in ſanguine tuo, & feciſti nos regnum, & ſacerdotes, Deo, & patri: abſolue munus tuum, tuum tuere iudicium, qui ſecutus es mandatum parentis: inſere in pectoribus noſtris, cum amore tui nominis, tui dolorem exceſſus: vt qui propter te ſi hoc tempore dolemus, tecum commorimur, reuiuiſcere tecum, & per te in æternum cæleſtis conſortes gloriæ gaudere poſſimus.

DIXI.

ORATIO XXV.

De comparatione nauis & reipublicæ, audiente Aſcanio Columna Cardinale.

M*AGNVM hoſpitem accepimus, adoleſcentes nobiliſſimi, plane magnum, Aſcanium Columnam Cardinalem: apponemus illi ex iis quæ olim comparaueramus, quantum noſtra tenuitas feret, hoſpitalem cœnam: vtinam lautam poſſemus ac ſplendidam. Qua in re idem efficiam, quod apud Latini principem carminis, Euandrum, qui in his locis habitaſſe dicitur, multis*

multis ante annis quam Roma conderetur, feciſſe legimus, cum regem illum,

quo iuſtior alter

Nec pietate fuit, nec bello maior & armis,

optimum illum Aſcanij parentem, & Romani auctorem generis, excepit hoſpitio. Attulerat in has partes Æneam ille articulus temporis, quo Euander inter ſacra facienda Herculi, ſubitæ perterrefactus rei ſpectaculo, & quis ille eſſet, qui adueniret, cognoſcere cupiens, menſas deſeri iuſſit: quas deinde lætus atque alacer reponi mandauit, cum & hoſpitem vidit Æneam, & cauſas audiuit aduentus.

Tu vero Aſcani Columna, vir optime, & præſtantiſsime, iſtoque in Chriſtiana republica, qui eſt ſummo proximus, gradu digniſsime, quoniam hoc quoque argumentum eſſe placuit, eximiæ humanitatis tuæ, & prouehendarum voluntatis litterarum, in quibus maxime excellis, veniſti in eam diſputationem, quam etſi ſuperioribus diebus indicaui leuiter auditoribus meis, ſimulatam tamen & quaſi integram ad tuum aduentum, qui fuit ſemper mihi eritque longe ampliſsimus, ſeponendam & quaſi reſeruandam putaui: hac præcipue ſpe, & opinione, quod res ſaltem ipſa, de qua locuturi ſumus, tibi pro tua ſapientia non probari non poterit, ſi pro iſta, quam habes, dicendi facultate, minus probabitur oratio. Quoniam enim M. Tullius, quodam loco, quem haud ita pridem ſumus præteruecti, contra quidem illa, ſed valde appoſita ad id quod egit, ſimilitudine, rei cuiuſque publicæ adminiſtrationem dicit eſſe nauis gubernationi comparandam: oro te atq; obteſtor, vt per te mihi liceat, hac in comparatione diutius immorari, & longiorem ſuſcipere ſermonem,

nem, qui tibi fortaſſe non iniucundus, huic certe vtilis erit, quæ nobis dat operam, ſtudioſæ iuuentuti, quamquam cumulatius agam hoc munus, nec cum republica ſolum oſtendã, ſed cum orbe terrarũ, ſed cum ipſa conſociatione hominum, ſed cum ſingulis hominibus, rem naualem, eiuſq́; moderationem conferri oportere.

Proſpicio, quam difficilem curſum & longum ingrediar, qua nauicula, nimirum nec inſtructa nec proba, quam ego imperitus nauigandi: quo magis adiuuandus ſum P. A. tua aura benignitatis. Qua in re, C. Cæſaris, qui poſtea dictator cum eſſet, in hac vrbe, orbis terrarum fundauit imperium, venit in mẽtem. erat nempe C. Cæſari, neceſſario, propter imminens periculum mare traiiciendum, nocte intempeſta, ventoq́; vehementi: conſcendit obuoluto capite, ne agnoſceretur, actuariolum, portitorem admonet, vt nauem ſoluat, ac remis impellat: ille eminuero negare ſe nauigaturum cum mortis periculo, neq́; hominem ignotum fore tanti, vt pro eo vitam, qua nihil iucundius, in diſcrimen adducat. Hic vbi dialogus Cæſari feſtinationis cupido longior videtur, quam vellet, vt ſermonẽ nautæ praecideret, tortum nauta funem, ſeſe ipſe aperiens, Bono animo es, inquit: Cæſarem vehis, eiuſque fortunam. Quo ſtatim nomine perculſus, atque omine confiſus ille ſine vlla tergiuerſatione ſilentio nauem dirigere, eamque ventis etiam reflantibus in aduerſam ripam conſtituere auſus eſt. Tantum valuit anticipata apud hominem de Cæſaris felicitate opinio. Etſi tuam ego humanitatem, non tantum fama cognitam, ſed re ipſa vſuque perſpectam & ſpectatam habeo: neque vereor, ne hodie clauſus mihi ſit flatus ſecundus, quem antehac ſæpius parere voluiſti.

Sed vt vela faciam aliquando. & egrediar e portu, id eſt, ad caput aliquod aggrediar propoſitæ diſputationis: illud principio ponam, quod etſi apud aliquem fortaſſe plus eſſet admirationis habiturum, quam adſenſus, tibi tamen pro ſumma rerum omnium cognitione veriſsimum videri neceſſe eſt: infimam hanc mundi ſedem, quæ medium complexa locum, terra dicitur, naui ſimillimam eſſe, cum & anguſtos habeat vertices, & latera latiora, magnoque circumfuſa mari, quem appellamus Oceanum, haud ſcio magis ne inſulæ, vt quidam dixerunt, an vero nauigij ſimilitudinem exprimat, nec defuit tamen e ſapientum numero, præſtanti vir ingenio Nicetas Syracuſius, qui cælo, Sole, Luna, ſtellis, ſuperis denique omnibus in ſuo ſtantibus loco, nullam rem in mundo præter terram, diceret moueri, vt retulit Theophraſtus. fluitat enim tellus, & certis interdum fatiſcit momentis, quin & aliquãdo, quod vos neſcitis, feciſſe dicitur naufragium. Innabat quidem illa, &, vt ſibi videbatur, in tranquillo, in omni rerum affluentia & copia, quo felicius, hoc audacius: præceps enim ferebatur in omne ſcelerum genus humana mortalitas, ſuæque tantum cupiditatis memor, diuinæ immemor iuſtitiæ, nihil agebat aliud, nihil moliebatur, nihil cogitabat, niſi vt illam omnibus expleret modis, hanc quomodocumque laceſſeret. Ingens interea exoritur cum turbinibus procella, totumque inuoluit Oceanum. vno enim eodemq́; tempore, leues ſpiritus, id eſt venti, qui infra aluntur, & qui ſupra, terram flamine exercent, exoluti veluti vinculis impune bacchantur: foras illi magno impetu erumpunt, hi reſiſtunt venientibus: mare inter vtroſque medium, non propellitur, ſed inflatum augeſcit:

pandit:

pandit fauces, aquarum ille pater, Oceanus, eaſque omnes iunctis in vnum opibus emittit: iiſdem ſeſe incitat ſtudiis quicquid aquæ eſt vbique terrarum.

Confluunt amnes, fluminaque, ex condicto, an magis ex edicto? eumdem in locum, ſuis excita capitibus: aggerant ſe facto agmine omnium fluxione fontium: & quantumcumque eſt liquidi humoris in terra, quaſi concretum, in altum extollitur. Neque aër hoc interim ſpatio, metuens videlicet ne ſua de poſſeſsione deturbetur, quietus eſt: cælum omne denſis obcæcat nubibus, atraque caligine & terreſtrem illam, vt ita dicam, nauem, perflantium opplet terrore ventorum. fulgores vndique, & tonitrua, & fulminum iactus, imberque largiſsimus. quæ quidem omnia eam præbebant ſpeciem, vt nihil eſſe vbique niſi aqua volitans videretur. maria vndique, & vndique cælum: ſi modo cælum diceres, cuius, effuſa pluuia, & tenebrarum intentus, omnem abſtulerat aſpectum: ac ne pluribus morer, eo res deducta eſt, vt ſolidum illud, atque ex omni parte conſtans terrarum nauigium, quod non ita natauerat diu, pauliſper fluctuans, diris abſorptum fluctibus, profundo gurgite mergeretur. & actum profecto erat de mortalibus, niſi immortalis Dei beneficio, qui, quantum in ſe eſt, opus ſuum perire non patitur, in paruam, vt ita dicam, ſcapham ſeſe pauculi eieciſſent, vt omnium ſemina ſeruarentur, atque e reliquiis, collectiſque tabulis, ſi quæ ſuperfuere, nauigij, quædam alia reficeretur ratis, quæ per idem nauigaret mare, ſed prudentiore nauigandi arte, remigeque meliore: namque ipſum genus humanum, quod aſpicitur, vna quædam nauis eſt, quæ etſi in ipſo ſtatim portu, primaque remigatione, fracta eſt, reſtituta tamen ac reconcinnata

cinnata fortaſſe melius,eum curſum tenet, vt cynoſuram illam proſpiciens diuinæ benignitatis, in cæleſtem portum,vtra vtatur nauigatione, ſecunda,an aduerſa,tandem aliquando inuehenda eſſe videatur. quòd ſi plures obeunt quotidie, & intereunt, vt quærere poſsit aliquis,quomodo ſit res vna tam multis occidentibus, dicendum eſt plures viciſsim oriri,atque exiſtere,vt in ſingulorum interitu maneat genus vniuerſum: ita vt quemadmodum campus ille Sophiſtarum trecenorum remorum nauis, qua Theſeus Cretam aduectus, immani Athenarum vrbem vectigali liberauit,quoniam in cuiuſcumque tabulæ locum, quæ vetuſtate deficeret, alia ſubſtituebatur, atque alia, vt mutata licet materia,eadem quaſi manente carina, vt iuriſconſulti docent,maneret eadem forma,id:m ſemper obtinebat nomen, & honorem habebat: ſic eadem ſit humani appellatio generis, etiam ſi natura comparatum ſit, vt melioribus decedentibus,quaſi aureæ ætatis, & recentibus a Deo viris, ferrei ſæculi, ac deteriores homines, paucos ſemper excipio, qui fulſiſſe videntur in multis, vt in ſentibus roſæ, ſucceſſerint. eſt enim quædam, vt dixi, veluti claſsis humana natura,quæ dum eſt, circumfertur hoc freto, & vix ferendo vexatur æſtu,flatuque ventorum: ſic vt interdum ad onus leuandum aliquot fuerint vectores in mare deiiciendi:quid enim dicemus fuiſſe peſtilentiam,famem, & vtraque magis infeſtum, vtriuſque videlicet caput atque auctorem, bellum? fuerunt quædam, hodieque ſunt, atque vtinam ne ſint,tempeſtates, & ſcopuli quidam, vt neque hi præteriri,nec quieſcere illæ potuerint, ſine plurimorum obitu, atque omnium metu.

Et vero magna ſunt in hoc genere, ac multa peri-

cula,

cula, quæ ſæpius exhauſit mortalium genus, ſed euaſit tamen: & incidet in ſimilia rurſus, & rurſus emerget, donec tandem obruetur in portu, cum ſua naui, id eſt terra, aut conflagrabit potius cæleſtibus incendiis. Sed nimium in altum inuectus videor ferentibus ventis: colligam vela, & accedam propius ad loca tutiora, id eſt, hiſce dimiſsis, quæ accerſita longe, & communia fortaſſe videantur, ad eam veniam diſputationis partem, quæ mihi quidem facilior, vobis etiam, vt ſpero, iucundior eſt futura: atque hanc, in qua verſamur, comparationem nauis, ad vnumquemque cœtum hominum, & rempublicam, ciuitatémque conuertam. quamquam hic quoque tempori ſeruiam, & amabo littus. neque tamen repetam, Adoleſcentes, quæ me ſuperioribus diebus, ex Æſchylo, Ariſtophane, ſancto Gregorio Nazianzeno, Platone, Cicerone, aliis, dicere meminiſtis. maiora enim multo hic dies poſtulat, qui ampliores attulit auditores, quibus vtinam ſatis poſſim facere. etſi hoc fuerat multo prouidendum ante, quam nauem conſcenderemus: nunc enim quocumque feramur, vela nimirum danda ſunt.

Vt reliqua igitur taceantur, illud quidem certe præteriri non poteſt, ex aliis omnibus rebuſpublicis & ciuitatibus, Chriſtianam maxime, Romanamque naui perſimilem ac geminam videri. expediamus hoc vtrumque breuiter, vt deinceps ad alia veniamus. Sed prius de Romana ciuitate, quæ antiquiſsimis olim temporibus tam multas habuit, hodieque habet notas, in quibus liceat rem nauticam agnoſcere, vt peccaturus non ſit, qui Romanam rem, nauem appellare voluerit animatam. Vbi enim vmquam ſpectati magis ſunt, varij, vt dicebant, caſus rerum, populi

populi motus, quaſi maris fluctuſque contionum? vbi ſæpius minus ad optatum nauigatio reſpondit? vbi plures, quæ voaante aura ſoluerant naues, ea deſinente, in medio defecerunt curſu, vel vehementius increbeſcente, ad aduerſos afflictæ ſcopulos corruerunt? vbi contra facta admirabilior conuerſio nauigationis, ac temporis? quam multi tempeſtate deprehenſi, ea via ac ratione vſi ſunt, vt quod perpetua non poſſent, mutata velificatione aſſequerentur? Nota eſt, ſeu fabula, ſeu nauis hiſtoria, ſeu, vt potius arbitror, narratio conflata ex vtraque, eorum qui lecti ex vniuerſa Græcia heroës, ad expeditionem velleris aurei, Minerua duce, dicuntur profecti: quorum memoriam referunt illuſtriſſimi ex toto Chriſtiano orbe viri, ac fortiſſimi principes, qui in aureis torquibus, e regali collo aptis, illa ipſa præferunt honoris inſignia: e quo cœtu auguſtiſſimo pater quondam fuit tuus, Aſcani Columna, vir ille immortalitate digniſſimus.

Quot autem Argonautæ illi (ita enim vocabantur) quot inquam labores exantlarunt, quot moleſtias deuorarunt, quot difficultates exorbuerunt, vt ad eam peruenirent prædam, quam ſibi, gloriæ ne? an, vt nonnulli cenſuerunt, opum, cupiditate deſtinauerant? Certe, vt nihil dicam, vel hoc vnum erit inſtar omnium, quod graue illud vehiculum, ex arena ad quam adhæſerat, per terram in mare deuexerunt, duodecim continenter dies ac noctes ſuis ipſi humeris ſublime tollentes. Quod ſi detracto inuolucro & integumento fabulæ, rem ipſam introſpiciemus. multo plures, ac ſtimulis incitati acrioribus magiſque ſudantes, ac laborantes vehementius, inueniuntur in hac vrbe, qui omnes captantes auras virorum illuſtrium, eo dirigere

viden-

videntur curſum, vt ex eo quaſi vellere, quod vt dixere quidam purpureo Mercurius veneno, id eſt fuco, infecerat, ornatum ſibi petentes, aucti honore ac dignitate præ ceteris florere videantur: qui quidem honos maximus atque ampliſsimus, tibi, Aſcani Columna, tibi inquam, & admirabili indoli, atque adeo virtuti tuæ, non tantum maiorum nobilitati ac generis, delatus vltro, cum abeſſes in Hiſpania, & tibi tantum attulit, & a te viciſsim tantum accepit ornamenti vt & ille te honor illuſtrauerit plurimum, & illi tu honori non parum ſplendoris attuliſſe videaris.

Sed reuocabo me rurſus, ne abſorbear: quoniam magnus mihi curſus orationis aperitur. & quamquam intelligo quo tacita me veſtra iamdudum vocat expectatio, vt ſcilicet de Chriſtiana dicam republica naui quam ſimillima, cuius precelſa arbor, crux Chriſti ſalutaris: ſpecula, ſanctus Dei ſpiritus, qui præſidet reipublicæ: antemnæ, decreta pontificum: armamenta, monumenta ſanctorum: vectores, populus: nautæ, ſacerdotes: nautarum præfecti, epiſcopi: gubernator, pontifex maximus. qui ſedens in puppi clauum tenet, ventoſque moderatur, vſque adhibet ſibi in conſilium admirabili prudentia & religione præditos cardinales. Quoniam tamen melius videtur, tanta de re nihil pro tempore, quam pauca dicere, ad illud quod poſtremo propoſueram loco, contento curſu ſtudioque veniamus. Illud enim reſtat, quod meminiſtis, vt doceam vnumquemq; noſtrum naui ſimilem eſſe, cum ſcilicet e materna aluo, quaſi e cymba tecta & fluuiatili, in apertam egreſsi nauem, quæ fertur Oceano, ex ipſo ortu tamquam e littore contendamus ad portum, quem tum denique inuenere omnes, diuerſo tamen

tamen exitu, ac fine, cum mortem obiere: vt recte ſumma vir eloquentia, & ſanctitate Gregorius Nazianzenus, a quo, vt ſoleo ſæpe cogitare, & crebris vſurpare ſermonibus, retunditur faſtus oratorum poëtarumque Græcorum, vt ita dicam, exterorum, hominem ipſum miro cuidam piſci, cui nomen nautilus, comparatit. ſupinus hic, de quo loquimur, piſcis (quid ni vtar Plinij verbis, quando fieri vt arbitror meliora non poſſunt?) in ſumma æquorum peruenit, ita ſe paulatim ſubrigens, vt emiſſa omni per fiſtulam aqua, velut exoneratus ſentina facile nauiget. tum vero prima duo retorquens brachia, membranam, inter illa, miræ tenuitatis extendit: qua velificante in auram, ceteris ſubremigans brachiis media cauda, vt gubernaculo ſe regit: ita vadit per altum, Liburnicarum ludens imagine. quamquam multo plura hic noſter agit terreſtris nautilus, quem non tantum nauigio arbitror eſſe ſimilem, ſed & ventis, & mari. eſt enim voluntas hominis tamquam mare, cui mens & intelligentia dominatur. quod quidem mare ſua natura tranquillum eſt: ventorum vi agitatur, atque turbatur. venti porro ſunt variæ perturbationes, permotioneſque animorum, quæ hominem perſæpe rapiunt in breuia, vnde emergere ſe atque explicare non poſsit.

Et quidam ſane ſunt, qui miſsis ceteris curis veluti moleſtioribus, voluptati dumtaxat velificantur. Qua in re vetus illud infelicis Cleopatræ, niſi me valde fallit animus, renouatur exemplum. Ad placandum Antonium, qui in Cilicia erat, diluendumque obiectum crimen, quod opem tuliſſet Caſsio, proficiſci ſtatuit Cleopatra, ſed inſtructu, aſtuque muliebri. apparat permulta dona: quibus etiam ſapientum animi conciliancilian-

uilantur: eaque eximia: ipſa ſe ornat veſtitu in primis inſigni & eleganti, quod quidem innatam adiuuaret pulchritudinem: tum Cydnum, leniſſimum illum curſu fluuium, viſuque clariſſimum, ingreſſa eſt, vt ad eum adiret: hac pompa. Eburneam cymbam conſcendit, magno ingenio atque arte elaboratam, cuius puppis ex auro, vela quæ circum eam obtendebantur ad excipiendum ventum e purpura: argenteam propellebant aquam remi & ipſi argentei, qui ad tibiarum, fiſtularum fidiumque harmoniam attemperate agebantur. Ipſa ſub conchyliato placidiſsime recubabat conopeo, eo ornatu atque amictu, quo pingebatur Venus. Aderant quieſcenti hinc atque hinc pueri cum Amorum imagine atque ætate congruentes, qui ſubtiliſſimo ventulum flabello miro ordine faciebant. Ancillæ porro forma egregia, Nereidum habitu, & Charitum, ad auratos rudentes & gubernacula ſedebant. ſuaues interea ſpiritus vel efflabantur ex odoribus incenſis, vel afflabantur e floribus. Fiebat ex omni parte concurſus hominum, complebantur ripæ, vndique effuſi omnes tantam rem tamque admirabilem ſuis oculis haurire cupiebant.

Vnus erat hic omnium ſermo, a Venere conueniri Bacchum: Bacchum ſe honoris cauſa Antonius nominari volebat: & erat profecto, ſi numerares ſcyphos, quos plenos vini meri audacter hauriebat. Sed ad rem. talem quemdã luſum mihi videntur quidam homines ludere, dum ſe miſeri volunt eſſe voluptarios: delicati ſunt, ac molles nimium, in viuendo, plus quam in nauigando Cleopatra: quos quidem non poſſum non mirari, cuius vitam imitantur, eius mortem non perhorreſcere: ita infatuati ac ſimiles ebriis non

aperiunt

multis ante annis quam Roma conderetur, feciſſe legimus, cum regem illum,

quo iuſtior alter
Nec pietate fuit, nec bello maior & armis,

optimum illum Aſcanij parentem, & Romani auctorem generis, excepit hoſpitio. Attulerat in has partes Æneam ille articulus temporis, quo Euander inter ſacra facienda Herculi, ſubitæ perterrefactus rei ſpectaculo, & quis ille eſſet, qui adueniret, cognoſcere cupiens, menſas deſeri iuſsit: quas deinde lætus atque alacer reponi mandauit, cum & hoſpitem vidit Æneam, & cauſas audiuit aduentus.

Tu vero Aſcani Columna, vir optime, & præſtantiſsime, iſtoque in Chriſtiana republica, qui eſt ſummo proximus, gradu digniſsime, quoniam hoc quoque argumentum eſſe placuit, eximiæ humanitatis tuæ, & prouehendarum voluntatis litterarum, in quibus maxime excellis, veniſti in eam diſputationem, quam etſi ſuperioribus diebus indicaui leuiter auditoribus meis, ſimulatam tamen & quaſi integram ad tuum aduentum, qui fuit ſemper mihi eritque longe ampliſsimus, ſeponendam & quaſi reſeruandam putaui: hac præcipue ſpe, & opinione, quod res ſaltem ipſa, de qua locuturi ſumus, tibi pro tua ſapientia non probari non poterit, ſi pro iſta, quam habes, dicendi facultate, minus probabitur oratio. Quoniam enim M. Tullius, quodam loco, quem haud ita pridem ſumus prætergreſſi, contra quidem illa, ſed valde appoſita ad id quod agit, ſimilitudine, rei cuiuſque publicæ adminiſtrationem dicit eſſe nauis gubernationi comparandam: oro te atq; obteſtor, vt per te mihi liceat, hac in comparatione diutius immorari, & longiorem ſuſcipere ſermonem,

nem, qui tibi fortaſſe non iniucundus, huic certe vtilis erit, quæ nobis dat operam ſtudioſæ iuuentuti, quamquam cumulatius agam hoc munus, nec cum republica ſolum oſtendã, ſed cum orbe terrarũ, ſed cum ipſa conſociatione hominum, ſed cum ſingulis hominibus, rem naualem, eiuſq́ moderationem conferri oportere.

Proſpicio, quam difficilem curſum & longum ingrediar, qua nauicula, nimirum nec inſtructa nec proba, quam ego imperitus nauigandi: quo magis adiuuandus ſum P. A. tuæ aura benignitatis. Qua in re, C. Cæſaris, qui poſtea dictator cum eſſet, in hac vrbe, orbis terrarum fundauit imperium, venit in mẽtem. erat nempe C. Cæſari, neceſſario, propter imminens periculum mare traiiciendum, nocte intempeſta, ventoq́ vehementi: conſcendit obuoluto capite, ne agnoſceretur, actuariolum, portitorem admonet, vt nauem ſoluat, ac remis impellat: ille eminuero negare ſe nauigaturum cum mortis periculo, neq́ hominem ignotum fore tanti, vt pro eo vitam, qua nihil iucundius, in diſcrimen adducat. Hic vbi dialogus Cæſari feſtinationis cupido longior videtur, quam vellet, vt ſermonẽ nautæ praecideret, tortum nauta funem, ſeſe ipſe aperiens, Bono animo es, inquit: Cæſarem vehis, eiuſque fortunam. Quo ſtatim nomine perculſus, atque omine confiſus ille ſine vlla tergiuerſatione ſilentio nauem dirigere, eamque ventis etiam reflantibus in aduerſam ripam conſtituere auſus eſt. Tantum valuit anticipata apud hominem de Cæſaris felicitate opinio. Etſi tuam ego humanitatem, non tantum fama cognitam, ſed re ipſa vſuque perſpectam & ſpectatam habeo: neque vereor, ne hodie clauſus mihi ſit flatus ſecundus, quem antehac ſæpius parere voluiſti.

Sed vt vela faciam aliquando. & egrediar e portu, id eſt, ad caput aliquod aggrediar propoſitæ diſputationis: illud principio ponam, quod etſi apud aliquem fortaſſe plus eſſet admirationis habiturum, quam adſenſus, tibi tamen pro ſumma rerum omnium cognitione veriſsimum videri neceſſe eſt: infimam hanc mundi ſedem, quæ medium complexa locum, terra dicitur, naui ſimillimam eſſe, cum & anguſtos habeat vertices, & latera latiora magnoque circumfuſa mari, quem appellamus Oceanum, haud ſcio magis ne inſulæ, vt quidam dixerunt, an vero nauigij ſimilitudinem exprimat. nec defuit tamen e ſapientum numero, præſtanti vir ingenio Nicetas Syracuſius, qui cælo, Sole, Luna, ſtellis, ſuperis denique omnibus in ſuo ſtantibus loco, nullam rem in mundo præter terram, diceret moueri, vt retulit Theophraſtus. fluitat enim tellus, & certis interdum fatiſcit momentis, quin & aliquãdo, quod vos neſcitis, feciſſe dicitur naufragium. Innabat quidem illa, &, vt ſibi videbatur, in tranquillo, in omni rerum affluentia & copia, quo felicius, hoc audacius: præceps enim ferebatur in omne ſcelerum genus humana mortalitas, ſuæque tantum cupiditatis memor, diuinæ immemor iuſtitiæ, nihil agebat aliud, nihil moliebatur, nihil cogitabat, niſi vt illam omnibus expleret modis, hanc quomodocumque laceſſeret. Ingens interea exoritur cum turbinibus procella, totumque inuoluit Oceanum. vno enim eodemq; tempore, leues ſpiritus, id eſt venti, qui infra aluntur, & qui ſupra, terram flamine exercent, exoluti veluti vinculis impune bacchantur: foras illi magno impetu erumpunt, hi reſiſtunt venientibus: mare inter vtroſque medium, non propellitur, ſed inflatum augeſcit:

pandit;

pandit fauces, aquarum ille pater, Oceanus, eaſque omnes iunctis in vnum opibus emittit: iiſdem ſeſe incitat ſtudiis quicquid aquæ eſt vbique terrarum.

Confluunt amnes, fluminaque, ex condicto, an magis ex edicto? eumdem in locum, ſuis excita capitibus: aggerant ſe facto agmine omnium fluxione fontium: & quantumcumq; eſt liquidi humoris in terra quaſi concretum, in altum extollitur. Neq; aër hoc interim ſpatio, metuens videlicet ne ſua de poſſeſſione deturbetur, quietus eſt: cælum omne denſis obcæcat nubibus, atraque caligine & terreſtrem illam, vt ita dicam, nauem, perflantium opplet terrore ventorum. fulgores vndique, & tonitrua, & fulminum iactus, imberque largiſſimus. quæ quidem omnia eam præbebant ſpeciem, vt nihil eſſe vbique niſi aqua volitans videretur. maria vndique, & vndiq; cælum: ſi modo cælum diceres, cuius, effuſa pluuia, & tenebrarum intentus, omnem abſtulerat aſpectum: ac ne pluribus morer, eo res deducta eſt, vt ſolidum illud, atque ex omni parte conſtans terrarum nauigium, quod non ita natauerat diu, pauliſper fluctuans, diris abſorptum fluctibus, profundo gurgite mergeretur. & actum profecto erat de mortalibus, niſi immortalis Dei beneficio, qui, quantum in ſe eſt, opus ſuum perire non patitur, in paruam vt ita dicam, ſcapham ſeſe pauculi eieciſſent, vt omnium ſemina ſeruarentur, atque e reliquiis, collectiſque tabulis, ſi quæ ſuperfuere, nauigij, quædam alia reficeretur ratis, quæ per idem nauigaret mare, ſed prudentiore nauigandi arte, remigeque meliore: namque ipſum genus humanum, quod aſpicitur, vna quædam nauis eſt, quæ etſi in ipſo ſtatim portu, primaque remigatione, fracta eſt, reſtituta tamen ac reconcinnata

cinnata fortaſſe melius, eum curſum tenet, vt cynoſuram illam proſpiciens diuinæ benignitatis, in cæleſtem portum, vtra vtatur nauigatione, ſecunda, an aduerſa, tandem aliquando inuehenda eſſe videatur. quòd ſi plures obeunt quotidie, & intereunt, vt quærere poſſit aliquis, quomodo ſit res vna tam multis occidentibus, dicendum eſt plures viciſſim oriri, atque exiſtere, vt in ſingulorum interitu maneat genus vniuerſum: ita vt quemadmodum campus ille Sophiſtarum trecenorum remorum nauis, qua Theſeus Cretam aduectus, immani Athenarum vrbem vectigali liberauit, quoniam in cuiuſcumque tabulæ locum, quæ vetuſtate deficeret, alia ſubſtituebatur, atque alia, vt mutata licet materia, eadem quaſi manente carina, vt iuriſconſulti docent, maneret eadem forma, idem ſemper obtinebat nomen, & honorem habebat: ſic eadem ſit humani appellatio generis, etiam ſi natura comparatum ſit, vt melioribus decedentibus, quaſi aureæ ætatis, & recentibus a Deo viris, ferrei ſæculi, ac deteriores homines, paucos ſemper excipio, qui fulſiſſe videntur in multis, vt in ſentibus roſæ, ſucceſſerint. eſt enim quædam, vt dixi, veluti claſsis humana natura, quæ dum eſt, circumfertur hoc freto, & vix ferendo vexatur æſtu, flatuque ventorum: ſic vt interdum ad onus leuandum aliquot fuerint vectores in mare deiiciendi: quid enim dicemus fuiſſe peſtilentiam, famem, & vtraque magis infeſtum, vtriuſque videlicet caput atque auctorem, bellum? fuerunt quædam, hodieque ſunt, atque vtinam ne ſint, tempeſtates, & ſcopuli quidam, vt neque hi præteriri, nec quieſcere illæ potuerint, ſine plurimorum obitu, atque omnium metu.

Et vero magna ſunt in hoc genere, ac multa pericula,

cula, quæ ſæpius exhauſit mortalium genus, ſed euaſit tamen: & incidet in ſimilia rurſus, & rurſus emerget, donec tandem obruetur in portu, cum ſua naui, id eſt terra, aut conflagrabit potius cæleſtibus incendiis. Sed nimium in altum inuectus videor ferentibus ventis: colligam vela, & accedam propius ad loca tutiora, id eſt, hiſce dimiſsis, quæ accerſita longe, & communia fortaſſe videantur, ad eam veniam diſputationis partem, quæ mihi quidem facilior, vobis etiam, vt ſpero, iucundior eſt futura: atque hanc, in qua verſamur, comparationem nauis, ad vnumquemque cœtum hominum, & rempublicam, ciuitatémque conuertam. quamquam hic quoque tempori ſeruiam, & amabo littus. neque tamen repetam, Adoleſcentes, quæ me ſuperioribus diebus, ex Æſchylo, Ariſtophane, ſancto Gregorio Nazianzeno, Platone, Cicerone, aliis, dicere meminiſtis. maiora enim multo hic dies poſtulat, qui ampliores attulit auditores, quibus vtinam ſatis poſſim facere. etſi hoc fuerat multo prouidendum ante, quam nauem conſcenderemus: nunc enim quocumque feramur, vela nimirum danda ſunt.

Vt reliqua igitur taceantur, illud quidem certe præteriri non poteſt, ex aliis omnibus rebuſpublicis & ciuitatibus, Chriſtianam maxime, Romanamque naui perſimilem ac geminam videri. expediamus hoc vtrumque breuiter, vt deinceps ad alia veniamus. Sed prius de Romana ciuitate, quæ antiquiſsimis olim temporibus tam multas habuit, hodieque habet notas, in quibus liceat rem nauticam agnoſcere, vt peccaturus non ſit, qui Romanam rem, nauem appellare voluerit animatam. Vbi enim vmquam ſpectati magis ſunt, varij, vt dicebant, caſus rerum,

populi

populi motus, quaſi maris fluctuſque contionum? vbi ſæpius minus ad optatum nauigatio reſpondit? vbi plures, quæ voatnte aura ſoluerant naues, ea deſinente, in medio defecerunt curſu, vel vehementius increbeſcente, ad aduerſos afflictæ ſcopulos corruerunt? vbi contra facta admirabilior conuerſio nauigationis, ac temporis? quam multi tempeſtate deprehenſi, ea via ac ratione vſi ſunt, vt quod perpetua non poſſent, mutata velificatione aſſequerentur? Nota eſt, ſeu fabula, ſeu nauis hiſtoria, ſea, vt potius arbitror, narratio conflata ex vtraque, eorum qui lecti ex vniuerſa Græcia heroës, ad expeditionem velleris aurei, Minerua duce, dicuntur profecti: quorum memoriam referunt illuſtriſsimi ex toto Chriſtiano orbe viri, ac fortiſsimi principes, qui in aureis torquibus, e regali collo aptis, illa ipſa præferunt honoris inſignia: e quo cœtu auguſtiſsimo pater quondam fuit tuus, Aſcani Columna, vir ille immortalitate digniſsimus.

Quot autem Argonautæ illi (ita enim vocabantur) quot inquam labores exantlarunt, quot moleſtias deuorarunt, quot difficultates exorbuerunt, vt ad eam peruenirent prædam, quam ſibi, gloriæ ne? an, vt nonnulli cenſuerunt, opum, cupiditate deſtinauerant? Certe, vt nihil dicam, vel hoc vnum erit inſtar omnium, quod graue illud vehiculum, ex arena ad quam adhæſerat, per terram in mare deuexerunt, duodecim continenter dies ac noctes ſuis ipſi humeris ſublime tollentes. Quod ſi detracto inuolucro & integumento fabulæ, rem ipſam introſpiciemus, multo plures, ac ſtimulis incitati acrioribus magiſque ſudantes, ac laborantes vehementius, inueniuntur in hac vrbe, qui omnes captantes auras virorum illuſtrium, eo dirigere

viden-

videntur curſum, vt ex eo quaſi vellere, quod vt dixere quidam purpureo Mercurius veneno, id eſt fuco, infecerat, ornatum ſibi petentes, aucti honore ac dignitate præ ceteris florere videantur: qui quidem honos maximus atque ampliſsimus, tibi, Aſcani Columna, tibi inquam, & admirabili indoli, atque adeo virtuti tuæ, non tantum maiorum nobilitati ac generis, delatus vltro, cum abeſſes in Hiſpania, & tibi tantum attulit, & a te viciſsim tantum accepit ornamenti vt & ille te honor illuſtrauerit plurimum, & illi tu honori non parum ſplendoris attuliſſe videaris.

Sed reuocabo me rurſus, ne abſorbear: quoniam magnus mihi curſus orationis aperitur. & quamquam intelligo quo tacita me veſtra iamdudum vocat expectatio, vt ſcilicet de Chriſtiana dicam republica naui quam ſimillima, cuius praecelſa arbor, crux Chriſti ſalutaris: ſpecula, ſanctus Dei ſpiritus, qui præſidet reipublicæ: antemnæ, decreta pontificum: armamenta, monumenta ſanctorum: vectores, populus: nautæ, ſacerdotes: nautarum præfecti, epiſcopi: gubernator, pontifex maximus. qui ſedens in puppi clauum tenet, ventoſque moderatur, voſque adhibet ſibi in conſilium admirabili prudentia & religione præditos cardinales. Quoniam tamen melius videtur, tanta de re nihil pro tempore, quam pauca dicere, ad illud quod poſtremo propoſueram loco, contento curſu ſtudioque veniamus. Illud enim reſtat, quod meminiſtis, vt doceam vnumquemque noſtrum naui ſimilem eſſe, cum ſcilicet e materna aluo, quaſi e cymba tecta & fluuiatili, in apertam egreſsi nauem, quæ fertur Oceano, ex ipſo ortu tamquam e littore contendamus ad portum, quem tum denique inuenere omnes, diuerſo tamen

tamen exitu,ac fine,cum mortem obiere: vt recte ſumma vir eloquentia, & ſanctitate Gregorius Nazianzenus,a quo,vt ſoleo ſæpe cogitare,& crebris vſurpare ſermonibus, retunditur faſtus oratorum poëtarumque Græcorum,vt ita dicam, exterorum, hominem ipſum miro cuidam piſci,cui nomen nautilus, compararit. ſupinus hic, de quo loquimur, piſcis (quid ni vtar Plinij verbis, quando fieri vt arbitror meliora non poſſunt?) in ſumma æquorum peruenit,ita ſe paulatim ſubrigens, vt emiſſa omni per fiſtulam aqua, velut exoneratus ſentina facile nauiget.tum vero prima duo retorquens brachia, membranam, inter illa, miræ tenuitatis extendit: qua velificante in auram, ceteris ſubremigans brachiis media cauda, vt gubernaculo ſe regit: ita vadit per altum, Liburnicarum ludens imagine. quamquam multo plura hic noſter agit terreſtris nautilus, quem non tantum nauigio arbitror eſſe ſimilem, ſed & ventis,& mari. eſt enim voluntas hominis tamquam mare, cui mens & intelligentia dominatur. quod quidem mare ſua natura tranquillum eſt: ventorum vi agitatur, atque turbatur. venti porro ſunt variæ perturbationes,permotioneſque animorum, quæ hominem perſæpe rapiunt in breuia,vnde emergere ſe atque explicare non poſſit.

Et quidam ſane ſunt, qui miſsis ceteris curis veluti moleſtioribus,voluptati dumtaxat velificantur. Quæ in re vetus illud infelicis Cleopatræ, niſi me valde fallit animus,renouatur exemplum. Ad placandum Antonium, qui in Cilicia erat, diluendumque obiectum crimen, quod opem tuliſſet Caſsio, proficiſci ſtatuit Cleopatra, ſed inſtructu, aſtuque muliebri. apparat permulta dona: quibus etiam ſapientum animi concilian-

ciliantur: eaque eximia: ipſa ſe ornat veſtitu in primis inſigni & eleganti, quod quidem innatam adiuuaret pulchritudinem: tum Cydnum, leniſsimum illum curſu fluuium, viſuque clariſsimum, ingreſſa eſt, vt ad eum adiret: hac pompa. Eburneam cymbam conſcendit, magno ingenio atque arte elaboratam, cuius puppis ex auro, vela quæ circum eam obtendebantur ad excipiendum ventum e purpura: argenteam propellebant aquam remi & ipſi argentei, qui ad tibiarum, fiſtularum fidiumque harmoniam attemperate agebantur. Ipſa ſub conchyliato placidiſsime recubabat conopeo, eo ornatu atque amictu, quo pingebatur Venus. Aderant quieſcenti hinc atque hinc pueri cum Amorum imagine atque ætate congruentes, qui ſubtiliſsimo ventulum flabello miro ordine faciebant. Ancillæ porro forma egregia, Nereidum habitu, & Charitum, ad auratos rudentes & gubernacula ſedebant. ſuaues interea ſpiritus vel efflabantur ex odoribus incenſis, vel afflabantur e floribus. Fiebat ex omni parte concurſus hominum, complebantur ripæ, vndique effuſi omnes tantam rem tamque admirabilem ſuis oculis haurire cupiebant.

Vnus erat hic omnium ſermo, a Venere conueniri Bacchum: Bacchum ſe honoris cauſa Antonius nominari volebat: & erat profecto, ſi numerares ſcyphos, quos plenos vini meri audacter hauriebat. Sed ad rem. talem quemdã luſum mihi videntur quidam homines ludere, dum ſe miſeri volunt eſſe voluptarios: delicati ſunt, ac molles nimium, in viuendo, plus quam in nauigando Cleopatra: quos quidem non poſſum non mirari, cuius vitam imitantur, eius mortem non perhorreſcere: ita infatuati ac ſimiles ebriis non

aperiunt oculos ad æternum illum ac ſtabilem, qui tam breui & fugaci emitur voluptate, dolorem intuendum. ſunt alij contra haud paulo fortiores, qui rectam quidem nauigationem inſtituunt, vt primum honeſtate ducantur, ſed quos, ſi contrarius perflarit ventus, plerumque incepti pigeat, & ſe quocumque ferat tempeſtas præcipites rapi ſinant: vt melius fortaſſe fuerit non incipere, quam ab incepto tam turpiter deſiſtere. Quid? quod non raro ſunt aliqui (atque vtinam ne videremus ſæpius, quam vtile eſſet) quos magna quadam facere aggreſſos, & ſatis laudabili principio, res quædam exiguæ, ac per ſeſe nihili faciendæ repente perturbant, ac terrent ita vt vlterius progredi nolint? ſic vt quemadmodum puſillus ille piſciculus, qui ab re ipſa nomen inuenit, & Echineis Græce, Latine Remora dicitur, ruentibus ventis licet, ac procellis ſæuientibus, quaſi imperet furori omnium, vireſque compeſcat, cogit ſtare nauigia, remis etiam veliſque concitatiſsima: quod non facerent vincula vlla, non anchoræ pondere irreuocabili iactæ: ſic præclaros eorum conatus atque impetus perleuis quædam, aut laboris fuga, aut inanis glorioIæ cupiditas, aut vanus rumuſculorum timor, aut breuis ille furor, iracundia, remoratur.

Non ita vos Romani proceres vetuſti, quorum res geſtæ omnes gentes cum clariſsima gloria terra marique peragrarunt. Non ita complures, quos e viuentibus nominare non licet: ne aut auribus dare videamur, ſi laudemus præſentes: aut iuſtam non effugiamus reprehenſionem ſi incipientes numerare, omittamus maximam partem. Non ita pater tuus Marcus Antonius Columna, Aſcani Cardinalis, mortuus quidem

quidem ille, ſed victurus ſemper in memoria & admiratione poſterorum, qui, vt eius prætercam facta omni laude atque honore digniſsima, Romanorum videlicet poſtremus, ſed non Columnenſium, vt tu olim dixiſti, eum ſuperioribus annis de æternis Chriſtiani nominis hoſtibus naualem egit triumphum, vt antiquorum decus non repræſentarit ſolum, ſed vel ſuperarit, vel certe æquauerit: cui, virtutis ergo, ad æternam memoriam columna illa, veſtri inſigne generis, & quidem roſtrata, quod primo acciait Duillio, in Capitolio poſita, factura eſt, vt nulla vmquam Marci Antonij Columnæ nomen ac decus obſcurare poſsit obliuio.

Sed iam diu veſtra patientia abuſus videor, & nimium hac quaſi nauigatione iactatus: quod ſi non feci naufragium, vt equidem perſæpe timui, tua factum eſt humanitate ac beneuolẽtia, Aſcani Columna Cardinalis: ex edita enim columna ſublata fax longe lateque collucens, quaſi in tenebris erranti monſtrabat viam, eoque effectum, vt certo vterer curſu, & ad portum incolumis peruenirem: quod cum tua mihi incredibili benignitate obtigerit, naui lætus & victor imponam coronam, eamque tuo ab vndis ſeruatam beneficio, tua ſub tutela ac patrocinio fuiſſe vt omnes intelligant,

Stabit in excelſa præfulgens ære columna.

DIXI.

ORA-

ORATIO XXVI.

De funere antiquorum Romanorum, eodem Aſcanio Columna audiente.

QVOD vnum te Aſcani Columna Cardinalis illuſtriſsime hodierno die primum commouere potuit, vt clariſsimo iſtius ſplendore purpuræ, auguſtiſsimaque præſentiæ lumine, huiuſce illuſtrares anguſtias, & quaſi tenebras gymnaſii, eam fortaſſe ob cauſam, vt me audires, qui vt aliquid eſſe videar in hac vmbra, in iſto tamen Sole me nihil eſſe video: illud vnum te etiam atque etiam commonere debet, vt quoniam præſtinctis iam mihi oculis, animo obſtupefacto, dilapſaque memoria, nihil ſum omnino dicturus, quod tua conueniat amplitudini, quæcumque tamen dicentur, quocumque dicentur modo, æqui bonique facias: vt ſcilicet quod a ſingulari tua profectum eſt humanitate beneficium, in eadem humanitate conſiſtat. Vtinam autem quemadmodum tu, qua es vel dignitatis magnitudine, vel præſtantia eloquentiæ, habes vtroque in genere quem imiteris, hinc M. Antonium, qui a ſapientiæ ſtudio Philoſophi cognomen inuenit, imperatorem optimum, illinc Marcum Tullium, in quo ſumma fuerunt omnia quæ ad dicendi laudem pertinent. vtinam inquam eſſet in me aliquid, quod videreris ſecutus, & probabiliorem faceret cauſam imitationis.

Audie-

Audiebat ille, tum etiã cum moderaretur orbi terrarum, Sextũ Charoneũ Plutarchi ſororis filium, qui erat plane perfectus in Pyrrhoneorũ diſciplina: M. autem Cicero, M. Antonio Gniphoni declamatori egregio, vbi erat a ſubſellijs, a roſtris, a curia otium, operã dare non grauabatur. Sed videlicet, quo minor, ſi me ipſum ſpectes, tibi fuit cur hoc faceres cauſa, eo admirabilior, vt dixi, in eo faciendo tua fuiſſe humanitas atque illuſtrior videtur: ad quã vnam omnẽ iſtam laudem referri volo. Itaq; ne ſim tibi dupliciter moleſtus ſi ad rerũ, de quibus mihi dicẽdum eſt, exilitatem & tenuitatem, addam ieiunitatem inopiamq; verborũ, hoc ipſo initio, qua voce Varius Geminus, orator minime malus, ad Cæſarẽ vſus eſſe dicitur, eam ego tecum Cardinalis illuſtriſsime mutato tantum nomine vſurpabo. Nimirũ, qui apud te audent dicere, Aſcani Columna, tuam ignorãt magnitudinẽ: qui non audent, humanitatem. Qua quidẽ ſola non tantũ maxima ſpe fretus, ab hoc quaſi exordio, ad illud, quo me ducit eius orationis, in qua verſamur, argumentũ, breuiter aggredior.

Explicamus M. Tullij Ciceronis librum quartumdecimum ac poſtremum Philippicarũ in Antonium: in quo extremo vir ille præcellentiſsimus, Græcos videlicet imitatus, Thucydidem, Platonem, Demoſthenem, Lyſiam, ſuo vnumquemque in epitaphio, nonnulla dicit, eaque propemodum diuinitus, in eorum qui pro patria fortiter ſanguinem glorioſeque profuderunt, laudationem. Campus profecto opportunus, in quo mihi ſit hodie, per loca, quantum quidem ego ſcio, nullius ante trita ſolo, in diſputationem funerum Romanorum, meo more, digrediendum meo dixi more, quia ſi quid incidit eiuſmodi, in quo ſit di-

endum de antiquorum conſuetudine & formulis, neque illud omnino tacitus preterire ſoleo, neque ita ſubtiliter enucleare, atque excutere, vt nihil ſuperſit omnino: ita vt & ſuſcepta diſputatio ſatis cupiditati faciat audientium: & breuitas, quæ non minutiſsima quæque perſequitur, occurrat ſatietati.

Iam vos etiam oro auditores ornatiſsimi, qui ad me quotidie ventitatis, vt liceat hunc mihi locum vrgere pluribus, & de re pleniſsima Romanæ antiquitatis, eruditionis, hiſtoriæ, coram hoc tam præclaro, non Romanæ tantum vrbis, ſed linguæ ac doctrinæ principe, diſputare. Loquar autem ſtrictim ac preſſe de tota funeris pompa, ordine, exequiis: contra noſtram tamen conſuetudinem, nullum fere laudabo auctorem ex iis quos ad oram paginæ adſcriptos habeo, tum breuitati vt conſulatur, & tempori, tum etiam vt ne interrumpatur toties curſus inſtitutæ diſputationis.

Vbi igitur, vt inde incipiam, produxiſſent a *ægrotum funus, & albeſcentibus* b *iam pupillis oppreſsiſſent* c *morienti oculos, eæ feminæ (funereæ* d *opinor dicebantur) quæ cum eo eſſent maxime (de viris enim præcipue loquimur) cognationis vinculo affinitatiſue coniunctæ: feminæ, inquam, vt mater, ſorores, vxor, filiæ, nam filiis videtur hoc officium (niſi res alio pertinet)* e *lege Mæuia interdictum. Vbi ergo hoc feciſſent funereæ, eædem* f *abluebant calida corpus & vngebant,*

a *inter-*

a Serm. *9*. Aen. Produxi. Don. Ad. a. *4*. ſc. *11*. extr. *b* Ser. *10*. canētia lumina. *c* Ser. *9*. Aen. preſsiue. Valer. l. *2*. tit. *1*. extr. *d* Ser. *9*. nec ne tua funera. *e* Varro Gemin. auctore Non. verbo ſugillare. *f* Ser. *4*. Aen. ext. date Ser. *6*. corpuſq; lauant frigentis & vngunt. Albinouanus elegia ad Liu.

a interim conclamantes, ſi forte reuiuiſceret. aduocatos ad hoc munus credo etiam Libitinarios (eorum ſerui b *pollinctores) Libitinarij autem dicebantur, a Libitina, quam eamdem & c Venerem eſſe exiſtimauerunt viri doctiores, e cuius templo vendebantur, & locabantur omnia, quæ pertinebant ad ſepulturam: vnde &* d *Libitina pro omni funeris pompa. Hi ergo pollinctores cum funereis, ornabant mortuum iis veſtibus* e *quæ indices eſſe poſſent vel parti honoris bello, vel publice geſti magiſtratus. alioqui* f *communi funere toga amiciebantur: & ea quidem, vt iam ſecretam corpore animam puram eſſe oſtenderent, nec ſorde inquinatam, alba,* g *& ſimplici. Capiti deinde imponebant coronam* h *vulgo, & vt* i *Minucius Felix affirmat, e floribus: namque* k *aliis, quam ſibi quiſque viuens virtute peperiſſet eoque ornatu, veſtituque, a filiis aut certe ab heredibus collocabatur ad ianuam ædium, eo loco ac ſtatu, vt faciem & pedes* l *haberet extētos ad viam & in publicum obuerſos. quod ipſum collocari* m *ſiue commendari dicebatur. Hyginus* n *teſtatur, vbi aliquis deceſſiſſet, cantare ſolitos tubicines, & amicos conuocari, teſtandi gratia eum neque veneno, neque ferro interiiſſe. Atque ita domi per ſeptem*

Q 2 *o ipſos*

a Serm.*6*.pars calidos latices. *b* L.cuicumque.De inſt.act.Nonius. Fulgentius verbo Pollinctores. *c* Plut.prob.Rom. *23*. & in Numa. Dion. Halic.lib.*4*. *d* Mart.lib. *9*.ep.*97*. Valer.lib.*5*. tit.*11*. *e* Polyb.lib.*6*. Liu.lib.*34*. *f* Iuuen.ſat.*3*. Nemo togam. *g* Plut.probl.Rom. *26*. *h* Tert. de corona.Clem.*2*. pæd. *i* Octauio ext. *k* Plin. li.*21*.c.*3*.Cic.*2*.de leg. *l* Per.ſat.*3*.Interp.Iliad. lib.*7*. *m* Gloſſar..l.ſi quis,De relig. *n* Fab.*274*.

a ipſos dies ſeruabatur aſsidue. Cupreſſus b & piceæ ramo, quod funebre erat ſignum, ante fores ipſas poſito, ne quiſquam e numero pontificum, ſi eam domum neſciens eſſet ingreſſus, pollueretur funere. funere c enim pollutis ſacrificare non licebat, etſi aliter legimus apud Dionem libro quinquageſimo quarto.

Ante mortuum porro auertendi grauis odoris cauſa, qui efflabatur e cadauere, arulam poni ſolitam crediderim, in qua odores incendebantur. acerram d vocabant. itemque e aſsiſtentes lectulo pueros flabellis mortuo ventulum feciſſe, vt abigerent muſcas. Octauo poſt die, quantum ſuſpicor antiquitatis veſtigia perſecutus. celebrioribus in exequiis, de quibus nunc præcipue loquimur, indictiuo funere, cum mortuus non erat ſepeliendus, ſed vrendus, indicebatur a præcone funus illis verbis, Quiris f, ſiue ollus, leto datus eſt. Tum g noctu efferebantur (ita enim inſtitutum erat, minuendi fortaſſe ſumptus cauſa, h an propter ſacrorum celebrationem diurnam) quamobrem præferebantur faces, id eſt funes i p pyro circumdati, vt facile incanderentur: vnde & funeri datum nomen & ſi qui acerba obiſſent morte, vt pueri k, ij candelis cereis producebantur, permiſtis facibus tamen. Quoniam autem officium humanitatis quod defun-

a Serm. 5. Præterea ſi noua. *b* Serm. 3. atraque cupreſſo. Plin. lib. 16. c. 33. c. 10. *c* Ser. 11. initio. *d* P. Feſt. v. Acerra. *e* L. 1. C. de lat. lib. Xiphil. Seuero. *f* Feſt. v. Quirites. Varro lib. 6. de ling. *g* Ser. 11. de more vetuſto. Serm. 6. tenuere facem. Cic. 2. de legibus. *h* Don. Andr. in Curabat funus. *i* Ser. 1. Aen. funalia vincunt. Iſid. 5. funus. Plin. li. 16. c. 37. *k* Sen. de tranquil. c. 11.

defuncto confertur. iuſtum quidem ac debitum, vnde iuſtorum nomen & parentandi, vt beatus ait a *Ambroſius, eſt præſtantiſsimum, & vt reliquit teſtatum Seruius,* b *qui de pietatis generibus ſcripſerunt, pietatis erga homines primum locum in ſepultura eſſe voluerunt. quod & Marcellinus* c *Ammianus, aurea quidem ſententia, ſed ferreis, vt ita dicam, verbis expreſſit, cum ſepulturam dixit eſſe honorem ſupremitatis.*

Melius ſane Valerius d *ſupremum humanæ conditionis honorem appellat, imitatus, vt reor, Virgilium* e *qui ſupremum honorem eum eſſe dixit, qui mortuis habetur. Quoniam igitur ſolus hic & ſupremus haberi poterat mortuo honos, conueniebant plerumque ad eum celebrandum cognati omnes, affines, propinqui, amici, ciuitas vniuerſa: ſed ita demum confluebant frequentes ad mortuos honorandos, ſi eorum vita reipublicæ profuiſſet. recte enim in Heliogabalo Lampridius, ſepulturam, hoc eſt funeris pompam, mereri negat eos, qui ſuis non eſſent beneficiis ſenatus populique Romani beneuolentiam conſecuti. Præcedebant igitur, vt dixi, faces* f, *& tubæ, neque eæ tacitæ: neque enim fuiſſe funus ſine cantu docet Macrobius in ſomnium Scipionis libro ſecundo. etſi ad puerorum vel hominum tenuiorum funus tibiæ potius adhibeantur* g, *neque* h *tamen plures decem, quas*

Q 3 *audire*

a In Thob. *b.* 6. Aeneas. præcipue pius Aeneas. *c* Lib. 31. *d* Lib. 6. tit. 11. *e* 11. Aen. *f* Serm. 5. corda pauor. 11. clangorque tubarum. Prop. lib. 4. eleg. vlt. ſic mæſtæ. & lib. 11. eleg. 7. Tibia. *g* Stat. 6. Theb. Tibia cui teneros ſuetum producere manes. *h.* Cicer. 2. de leg. Ouid. 6. faſt.

audire a *Flamini nefas tibicinem tamen nihilominus præceſsiſſe arbitror, pompa maiorum, qui ad tibiam caneret mortui laudes, eo cantu qui dicebatur nænia* b *(etſi Næniam* c *quoque deam in funeribus ſenum cantatam fuiſſe ſcribit Auguſtinus.)*

Sic autem ducebantur exequiæ, vt eo loquar modo, d *quo ipſi loquebantur. qui funus proſequebantur, eos* e *ire dicebant. & viri quidem, niſi valde fallor* f*, atra veſte & pulla amicti, feminæ alba incedebant. quamquam in habitu feminarum valde hæreo. & omnia vt peruerſa viderentur, ſi quos filios* g *ſuperſtites reliquiſſet mortuus, ij velatis ibant capitibus, filiæ nudato vertice, & crinibus paſsis. Ricinia* h *quoque ferebantur a feminis, nec plura tribus, e lege duodecim tabularum: hæc* i *purpurea erant, & in vſum capitis facta: quibus etiam feminis interdicebatur leſſo, id eſt lugubri lamentatione: etſi lacrymas fundebant fere omnes: omnes quidem certe & habitu ſimul, & vultu mœroris ſigna præſeferebant. nam & luctu honorari mortuos Homerus* k *ipſe teſtatur. conſpiciebantur etiam* l *pileati ſerui, ſi quos libertate donaſſet. ferebatur feretrum triſti illo miniſterio, vt Virgilius loquitur quinto Æneidos, ab iis qui mortuum maxime cognatione attingerent, aut a viris honeſtiſsimis.*

Quod

a P.Feſt.v. funebres. *b* Cic.*2*. de leg. *c* *6*. de ciuit. c.*9*. *d* Ser.*4*. Geor. funera ducunt. *e* Don.And. initio effertur. *f* Paul. recep. ſent. lib.*1*. c.*21*. Sidon. lib.*5*. epiſt. ad Aumaſtan. Xiphilinus Hadriano. Herodian. lib.*4*. init. *g* Plut. prob. Ro. *14*. Ouid.*6*. Metam. Ante toros. *h* Cicer. lib.*2*. de legibus. *i* Feſt. Iſid. *k* Il.*23*. init. *l* Liu. lib.*38*. Dion. Halic. lib.*4*. L.*1*. C. de lat. lib.

Quod ſi fuiſſet bellicæ peritus diſciplinæ, & externas aliquot gentes auſpicio victas ſuo Romanis ciuibus parere coëgiſſet, ac de illis triumphaſſet, frons a lecti funebris adornabatur triumphalibus: procedebant qui ferrent ſpolia b, *urbiumque captarum imagines, & incompta, vt Tacitus ſcribit libro tertio annalium, ſigna armorum cuſpides ad terram obuerſas, auerſas non tantum faces, ſed etiam faſces, qui etiam interdum erant fracti, vt illæ extinctæ: id quod & in Druſi funere Albinouanus cecinit Pedo, & in Tibulli Ouidius. præter enim quotidianam conſuetudinem, vt modo dicebam, fiebant omnia, vt eſſent indicio miſerandi doloris. exportabatur* c *cadauer per forum cremandum extra vrbem (& quidem ſi Dioni credimus libro quadrageſimo octauo, duobus millibus paſſuum) vel propter* d *ignis periculum, vel ne* e *funeſtarentur ſacra ciuitatis: niſi quis tamen ſolutus eſſet legibus, vt triumphales viri, & virgines etiam Veſtales. manifeſto enim id vetabat lex xij. hac formula:*

f *Hominem mortuum in vr[illegible] ne ſepel[illegible] neue vrito. Triumphalibus autem viris, [illegible] quamquam extra ordinem permiſſum eſſet vt in fo[illegible] ſepelirentur, vt Valerio & Fabricio, inuenio tamen hunc tantum habitum honorem, declinandæ videlicet inuidiæ cauſa. & cum funus eorum delatum eſſet in forum, corpori ipſi fax incenſa ſubiiceretur, & auferretur extemplo. quo facto & auctoritas oſtendebatur viri triumphalis, & heredum modeſtia. cum enim antea in vrbe ſepelirentur,*

a Valer. Max. lib. 2. titul. 5. *b* Dion. Halic. lib. 8. *c* Appu. lib. 2. *d* Cicer. 2. de leg. *e* Paul. recept. ſent. lib. 1. 21. *f* Cic. 2. de legibus. *g* Plut. prob. Rom. 79.

rentur, a *atque adeo in priuatis domibus (quam* b *ob cauſam lares domi ſuæ fere omnes colebant) Duillio primum conſule, S. C. cautum eſt, ne quis in vrbe ſepeliretur, & cremandi vſus inductus* c, *vbi cognitum eſt cadauera effodi. Vltra Exquilias loco publico ſepultos pauperes admonuit Varro libro quarto de lingua Latina: Traianum porro ſolum ex omnibus imperatoribus conditum in vrbe collatis oſsibus in vrnam auream, in foro quod ædificauit, ſub columna, teſtatur Eutropius libro octauo. Præferebantur ſimiliter in pompa nobilium (vt redeam ad propoſitum) maiorum imagines* d, *non paterni ſolum, ſed materni etiam ſanguinis: eorum tamen qui inter diuos relati erant, non præferri ſolitas, didicimus a Dione libro quadrageſimo ſeptimo, & quinquageſimo ſexto. erant autem imagines* e *ad viuum expreſsi e cera vultus & ora, ad pectus vſque extremum, eorum omnium qui vtraq; in familia curules geſsiſſent magiſtratus. eas porro vt oblongis credam infixas aut impoſitas fuiſſe haſtis, quemadmodum fercula ſolebant ferri triumphorum, Silius facit* f *libro decimo.*

Arbitror idem prælatas eadem in pompa epulas, niſi me g *Plinius fallit. qui cum de natura diſputat miluorum, eos nihil eſculenti rapere ex funerum ferculis aperte teſtatur. Huc addendum, quod plures quoque ferebantur lecti, quamquam aduerſus legem XII. tab. vt cum iidem ſternerentur, apparatiorem facerent*

a Ser. *11*. vtbique remittunt. *b* Ser. *6*. ſedibus hunc refert. *c* Plin. lib. *7*. c. *54*. *d* Tac. lib. *3*. Annal. Polyp. lib. *6*. Cic. *2*. de oratore. *e* Plin. li. *35*. c. *2*. *f* Celſis de more pheretris. Præcedens priſca exequias decorabat imago. *g* Lib. *10*. cap. *10*.

rent pompam & magnificentiorem. certe in Sullæ funere ſexies mille, in Marcelli ſexcentos fuiſſe ſcribit Seruius a *auctor minime contemnēdus, in ſextum Æneidos, extremo. Præibat etiam ſenatus & ordo ille ſanctiſsimus, vt ſcribit Quintilianus in declamatione* CCCXXIX. *ſi Quintilianus eſt earum auctor declamationum, compoſito ad mæſtitiam vultu, ſequebatur equeſter ordo & populus Romanus vniuerſus: atque hi omnes ſine toga prætexta, ſine annulis, ſine lato clauo, vno verbo ſine* b *inſignibus magiſtratus.*

Et ſane hoc comitatu atque ordine veniebatur extra portam, ad pyram, id eſt lignorum ſtruem, in quam erat cadauer imponendum, vt combureretur. Hæc autem ſiue pyra, ſiue rogus, pyram enim c *antequam corpus imponeretur, cum cremaretur, rogum, vbi conflagratum eſſet, buſtum dici eſt auctor Seruius. etſi* d *rogum buſtumue nouum lex* XII. *vetabat propius ſexaginta pedes adii i ædes alienas inuito domino. Ergo hic rogus, qui &* e *pingebatur pro dignitate perſonæ, quæ coniicienda in eum fuerat, aut celſior* f *conſtituebatur, aut humilior, id eſt pluribus erat paucioribuſue gradibus in aræ* g *formam ſpeciemque conſtructus, eumdemque aſcia* h *perpoliri nefas. circumdabatur idem ferali arbore, id eſt cupreſſo* i*, propter grauem vſtrinæ, vt cum Varrone loquar (erat autem vſtrina locus, vbi combuſtum erat corpus) odorem. Idem puto ſecutos eſſe, cum pyram*

Q, 5 *reſper-*

a Egregium. *b* Tac. li. 3. Ann. Dio. lib. 55. *c* Ser. 11. conſtituere pyras. *d* Cic. 2. de l. *e* Plī. li. 35. c. 7. *f* Ser. 4. gradus euaſerat altos. 6. Flāma quieuit. *g* Ser. 4. aramq́; ſepulcri. Stat 6. Theb. *h* Cic. 2. de legibus. *i* Ser. 6. ferales ante cupreſſos.

reſpergebant a *vino, vnguentiſque: myrrha etiam & cynnamomo inſtruebãt: etſi de vino nominatim, & de myrrhata* b *potione lex 12. cauerat diligenter. Conii- ciebatur etiam, ſi d alia ratione, oleum* c, *quo ignis facilius conciperetur. Neque vero interea illud eſt omittendum, quod corpus* d *ipſum antequam imponeretur in rogum, ſiue in rogũ cum iam eſſet impoſitum, ſufficiebatur vino, lacte, melle interdum, atque etiam* e *ſanguine, ex victimis videlicet, quas diis, vt loquebantur, inferis mactauerant, effuſo. hic enim rurſus cenſeo perunctum* f *corpus a pollinctoribus, & purpureis* g *indutum veſtibus fuiſſe. ita enim videtur dicendum, vt diſſoluantur nodi pene inexplicabiles: & habebo gratiam mutaturus ſententiam, ſi quis meliorem attulerit. nos autem ſi placet, propius accedamus.*

Vbi eſſet rogo impoſitum cadauer, eique oculi h *vt cælo oſtenderentur iterum aperti, poſt* i *vltimam conclamationem, primis quidem temporibus, effundebatur ſanguis, quo quaſi euocatam animam ad corpus delectari putabant, quod ipſam ex ſententia fortaſſe Empedoclis eſſe dicerent cordi ſuffuſum ſanguinem: ſanguis inquam fundebatur vel captiuorum* k, *vel gladiatorum, vel ſi neutri fuiſſent, mulierum, e genis videlicet quas ſibi ipſæ laniabant. quod etiam* l *prohi-*

buit

a Plin. lib. *12*. c. *18*. *b* Feſt. *c* Virg. *6*. fuſo crateres oliuo. *d* Stat. *6*. Theb. *e* Ser. *3*. ſanguinis & ſacri. Ser. *6*. Melle ſoporatam. v. purpureoſq; iacit. *6*. purpureos ſpargam. *f* Sidon. lib *3*. epiſt. vnice. *g* Ser. *6*. purpureaſque ſuper. Liu. epiſt. *3* *h* Plin. lib. *11*. c. *37*. *i* Ser. *6*. pars calidos. *k* Serm. *12*. & roſeos laniata. Luctat. in *6*. Theb. mollem famularum brachia planctum. *l* Cic. *2*. de leg.

buit lex tabularum. Pyram incendebat qui eſſet mortuo cognatione proximus, a auerſus autem, id vt officium neceſſitatis eſſe oſtenderet, non voluntatis. Conjiciebantur deinde in rogum certatim ab iis, qui dabant operam funeri, magna vis veſtium b *magni pretij, ſpoliorum & armorum hoſtilium, magna dis inferis mactatarum ouium multitudo, & pecudum etiam maiorum: quin & canes, & equi, interdum & famuli* c, *& res quæ fuiſſent viuentibus cariſsimæ. ab hac ſuprema* d, *vt poetæ loquuntur, face, putabantur mortuorum animæ, quas poſtea Manes vocabant, petitam infernæ ſedis ripam contingere.*

Præfica interea e *id eſt mulier quæ præficiebatur planctui, & quidem mercede conducta, præibat lugubri carmine, cuius fletum ſequebatur corona, tamdiu dum conſumpto cadauere, & collectis cineribus, diceretur nouiſsimum verbum, vt ſtatim dicemus. Vbi ſcilicet erit additum, decurſum* f *fuiſſe a militibus ter ſiniſtro orbe circum rogum proiectis armis* g, *vt ſcribit* h *Lucanus, & verſis inſignibus, vt* i *Statius. præter milites quoq; populus vniuerſus ambiebant* k *rogum ſolemni quodam ritu: quod etiam faciebant filij* l, *cum comburerentur cadauera parentum. Combuſtum deinde corpus, & ſolutum in cineres, reliquias*

a autem

a Serm *6*. Auerſi tenuere. *b* Serm. *6*. purpureaſque ſuper. Stat. *2*. ſilu. Ser. *11*. direpta latinis. Stat. *6*. Semi animas alter. Virg. *11*. Multa boum circa. *c* Ser. *3*. famulum ne parentis. *d* Plin. lib. *4*. epiſt. *2*. *e* Serm. *9*. funera mater. *6*. ferales ante. Feſt. v. præfica. *f* Virg. *11*. ter circum. *g* Ser. *11*. verſis Arcades armis. *h* Lib *8*. *i* Lib. *6*. Theb. *k* Quin. decl. *329*. *l* Plu. probl. Rom. *14*.

a *autem eo tempore appellabant, flamma quieſcente, vino* b *ante legem 12 poſt vero legem, aqua* c *reſpergebatur. aquam* d *porro, quæ inferis libabatur, arſeriam dicebant. legebantur deinde oſſa, a ſacerdote fortaſſe: filij autem cum primum reperiſſent os parentis peruſti, ei gratulabantur* e, *& tamquam deum iam factum conſalutabant & vero mortuos diuorum numero habitos teſtatur, Cicero* f, *& ſollemnis illa inſcriptio, Diis Manibus.*

Quod ſi vir eſſet triumphalis, neque exuſtus in vrbe, os illud in vrbem licebat g *inferre ac deponere. Neque tamen hoc loco prætermittendum videtur, quod de hoc oſſe, an de alio? ſcriptum reperi. illud Varro* h *exceptum, M.T. reiectum* i *videtur vocare quod quidem non cum aliis in vrna, ſed ſeorſum conderetur. Sed hac de re poſtea. Dixerit hoc loco quiſpiam: Cum in rogum equi, canes, famuli, pecudes coniicerentur, quæ erat ratio dignoſcendorum ac diiudicandorum oſsium viri, quem honoratum vellent ab oſsibus aliorum? an omnia ſimul oſſa legebantur & condebantur. vt ait Seruius?* k *an fiebant tunicæ e lino quodam Indico, quod exuri minime poteſt quibus operirentur virorum corpora clariſsimorum, vt eorum fauilla ab reliquo cinere ſepararetur, quod in regibus factum eſſe Plinius* l *memorat? Hic veſtem mutaſſe mulieres & cum oſſa legerent atratas fuiſſe, arbitror: cum dicat Tibullus.* m Pars.

a Ser. 2. Aen. fœdaſti funere vultus. *b.* Virg. 6, reliquias vino. Cic. 2 de legib. *c* Stat. 6. multoque ſoporant Imbre rogũ. *d* Paul. Feſt. *e* Plut. prob. Rom. 14. *f* 2. de legib. *g* Plut. probl. Rom. 79. *h* Lib. 4. de ling. *i* 2. de leg. *k* 6. Aen. oſſaque lecta. *l* Lib. 19. cap. 1. *m* Lib. 3. eleg. 2.

Pars quæ ſola mei ſuperabit corporis, oſſa
Incinctæ nigra candida veſte legent.

Cum hæc fierent, habebat aliquis orationem, qua laudabatur is cuius eſſet crematum corpus, antequam ſepeliretur: quam orationem epicedium a *vocabant: nam poſt ſepulturam dicebatur epitaphios canebatur etiam cantus, vt Nonius loquitur, lamentabilis, honoris cauſa, ab iis quos Siticines* b *appellabat Cato. fiebat interea circumpotatio* c *ſiue ſilicernium* d*, ſilentio, luminibus extinctis,* e *feralem* f *cœnam Appuleius appellat cui cœnæ appium* g *dicatum fuiſſe, & fabam* h *aſſumptam in parentando Plinius ſcribit, lentem Appianus in Parthico, & Plutarchus in Craſſo: vbi & a pollinctore veluti magiſtro conuiuij fiebat inuitatio in orbem & vt Tertullianus* i *indicat obba. Senes plerumque accumbebant, Nonius* k *ait Marcellus; idemque in diſceſſu dixiſſe alium alij, Vale, ex M. Varrone teſtatur epulas deinde omnes, ſi quæ eſſent ſuper, vno in loco combuſtas indicat* l *Paulus compilator Feſti cuius etiam rei, quoddam veſtigium in Catullo* m *extat.*

His opinor confectis, in vrnam cineres condebantur, & oſſa fortaſſe in oſſarium n*, cadum* o *aënum appellat Virgilius: atque omnia ſiue in arca* p*, ſiue in ſolio*

a Ser. *5*.eclo. modulans. *b* v. Siticines. A Gell. l. *20*. cap. *2*. *c* Cic. *2*. de legibus. *d* Feſt. Non. v. Silicernium. *e* Glos. λιχνους γὰρ ἅπτειν ἐπιτέν θεσι οὐ θέμις. *f* Lib *4*. Florid. *g* Lib. *20*. c. *11*. *h* Lib. *18*. c. *12*. *i* Apologetico. Gloſſ. Obua. ἄμβιξιν ὧ τοῖς νεκροῖς σπένδουσιν. *k* v. Silicernium. *l* v. Culina. *m* Epig. *56*. de Rufa *n* Vlp. l. *2*. de ſep. viol. *o*. *6*. Aen. *p* Caſsiod. lib. *3*. Var. c. *19*.

in ſolio plerumque e marmore, quod etiam ſarcophagum dicebant, reponebātur. fictilibus doliis condi multos maluiſſe memorat Plinius libro trigeſimoquinto capite duodecimo. Solebant interdum, ſed antiquiſſimis temporibus, condi cum cinere & oſsibus a *theſauri, ad inanem ſcilicet oſtentationem: quod niſi fuiſſet, non dixiſſet lege prohibitum eſſe Marcianus* b, *Antequam ab exequiis, & a lugubri hoc officio diſcederet populus, a ſacerdote, ante Auguſti quidem tempora, ramo lauri* c, *poſt Auguſtum vero, oliuæ, ter luſtrabatur aqua, cauſa expiationis: deinde dicebat præfica verbum illud nouiſsimum, Ilicet* d, *quo ſignificabat ire licere. tum vero omnes precati vt ei eſſet terra leuis, cum ter Vale homini dixiſſent, qui propterea conclamatus* e *dicebatur, ad poſtremum Vale addentes, Nos te* f *ordine, quo natura permiſerit, cuncti ſequemur: ſilentio diſcedebant, & aqua* g, *vt dixi, ante aſperſi, ad plenam vt vocabant ſuffitionem, per ignem tranſibant. Solebat etiam interdum dari* h *mulſum ad portam, iis, qui funus proſecuti eſſent.*

Hæc autem fiebant omnino, nono, vt ſuſpicor, die. Decimo enim, qui Denicalium nomine celebatur, hæc facta exiſtimo. Primum quoniam mortui familiam, quæ funeſta dicebatur, id eſt polluta, funere expiari oportebat: purgabatur domus certo i *ſcoparum genere, quæ ab extrauerrendo euerræ fortaſſe, vt ipſa etiam purgatio, vocabantur: atque hoc quidem per euerriatorem,*

a S.Hier.ad c.8.Hieremiæ initio. *b* L. 4.D.ad legem Iul. peculatus. *c* Ser.6.ramo felicis oliuæ. *d* Ser.6.ferales ante cupreſſos. *e* Ser.2.Aen.affati diſcedite. *f* Ser.3.Aen.voce ciemus. *g* P.Feſt. v.aqua. *h* Liu.lib.38:386.g. *i* Feſt.v.euerriator.

torem, id eſt per eum, qui accepta iure hereditate id facere debebat, qui ſi non faceret, ſeu quid ea in re turbaret, ſuo capite luebat: quo etiam tempore ſacrificium (quod humanum ex Feſto appellat Paulus) factum opinor porca, vt dicebant, præcidanea: a *opinor inquã: quia hac in re nihil habeo aliud quod afferam, niſi meam opinionem. Poſt quæ efferebatur os illud ſiue exceptum ſiue reiectum, aut membrum* b, *id eſt digitus vnus de mortui corpore deciſus, vt ex Feſto didicimus. efferebatur autem ante locum ſepulcro deſtinatum, vbi erat ara conſtituta, in quam ſacrificio facto, ipſique aqua aſperſi, os illud exceptum cum ſulphure & tædis imponebant, diiſque manibus ſacrificabant.*

Ad extremum os illud recipiebant & cum ceteris condebant in oſſario: & cum dixiſſent heredes, Vale, & ſepulcrum ſertis c *(quæ Græcis fuiſſe plerumq; ex apio perſuadet Plutarchus in Timoleonte) atque iniectis in illud floribus, & illis ſane purpureis ornaſſent, iubebant in ſepulcro Diis Manibus epigramma, id eſt indicem ac titulum cum ſepulti nomine inſcribi, hac præcipue formula: Hic* d *ſitus eſt, vel hic iacet: atque interdum* e *cum pleniore laude, vt pomerentur quæ munera quiſque geſſiſſet. Adſcribebatur etiam ſubtiliter, quot annos, menſes, dies* f *vixiſſet, & eorum nomina qui monumentum faciendum curaſſent: vt videmus paſſim in hac vrbe: incidebantur etiam* g *arma & inſtrumẽta, quibus delectatus eſſet in vita. hoc autem*

ante-

a Feſt. porca præced. *b* v. Membrum. *c* Plin. lib. *21* cap. *3*. Minuc. Felix. *d* Don. Phor. acto. *1*. ſc. *2*. *e* Cic. ſen. de Attilio Calatino. Trebel. Pollio in Cenſor. *f* Sen. de breu. vit. cap. *19*. *20*. S. Hier. conſ. ad Pãmachiũ. *g* Vir. *6*. remumq; tubãq;.

antequam factum eſſet, inhumatus, & ſupra terram eſſe dicebatur, familia etiam ipſa funeſta. poſt ſollemnem hunc ritum, & familia dicebatur pura, & mortuus humatus. Poſt hos dies, vt finem faciam diſputationis, tribuebantur honores alij mortuo, ad eius memoriam in viuorum animis inſerendam, & deinceps excitandam. nempe indicebantur epulæ, & ludi, & habebatur laudatio amplior in epulo autem & ludis, præcipue in ludis, magiſter funeris (quem ex Feſto conijcimus prætextatum fuiſſe) accenſum habebat, atroſque a *lictores. ad epulum porro conueniebant, vt ex Cicerone licet colligere, albati* b, *& vt ex Plinio, accumbebant* c *coronati. epulæque magnificentiſsimæ apponebantur* d. *magiſtros ludorum funebrium deſignatores* e *antiqui vocabant, quia vnum in locum populum eſſent collecturi: etſi deſignator dicebatur communiter coactor* f *funeris.*

Dabantur autem ludi apparatiſsimi, in quibus plerumque multa dimicabant paria gladiatorum Ludos primos in honorem mortuorum ab Athenienſibus celebratos, eorum cauſa qui bello Perſico occidiſſent, Diodorus Siculus affirmat libro vndecimo. Ego ad exitum ſpecto. Laudationem primam mortuorum ſunt qui Pericli tribuant, ſunt etiam qui Soloni. nos autem de Romanis loquimur. Conſtat fere inter omnes, e viris primum Valerium g *Popicolam a L. Iunio Bruto collega laudatum, e feminis* h *Popiliam a filio Catulo. Huc addebatur, quod ſepulcra ipſa,*

quæ

a Hor. epiſt. 7. lib. 1. *b* In Vatin. *c* Lib. 21. cap. 3. *d* Dio. lib. 37. de Fauſto. *e* Don. Adel. a. 1. ſc. 2. quid deſignauit. *f* Quint. decl. 6. *g* Liuius lib. 2. Plutarch. Valerio. *h* Cicer. 2. de oratore.

quæ a *plerumque propter vias militares & publicas: vt prætereuntes* b *admonerent mortalitatis: ingentes illæ moles e ſaxo quadrato magnifico, ornabantur hermis, menſis, labellis, ſtatuis, pyramidibus præcipue, & columnis* c, *quod poſtremum erat ſplendidiſſimum: vt vel ex hoc appareat quo nobilitatis ac virtutis nixa ſit fundamento gentilicia illa tua, & ſane triumphalis columna, Cardinalis illuſtriſſime, vetuſtiſſima, & pulcherrima Columnenſium inſignia. Sed hanc ego diſputationem in aliud fortaſſe tempus, & vt ſperare videor, commodius, reſeruabo. excelſiora enim amabant antiqui ſepulcra, indicium factorum claritatis, & animi magnitudinis: quod declarabant pariter, cum altis ſub montibus, & in montibus etiam ipſis ſibi conſtituerent monumenta: circum quæ, aut potius in quibus plures interdum volebant eſſe accenſas* d *lucernas: vtque maiore afficerent locum honore, ac prope diuino, ſepulcra ipſa, quibus & lucos* e *addebant & nemora, ne vllo modo violari vmquam poſſent, graui in eos qui aliter feciſſent conſtituta pœna legibus proſpexerant.*

Et certe, vt hæc omnia magnam habuerint vim ad mortuos ornandos & honorandos, eorumque memoriam ad poſteros propagandam, & perpetuandam, nullum tamen honoris genus, cum eo, quod viuit in monumentis litterarum, quod fit aut oratorum opera, aut poëtarum, comparari poſſe, viri alta quadam

mente

a Frontin. de iure limit. ex Theodor. & Valentin. Impp. *b* Varr. lib. *5*. de lingua. *c* Serm. *8*. Aen. Lanigeroſque. *d* Suet. Auguſt. cap. *11*. C. Modeſt. l. Mæuia. De manum. teſtam. *e* Serm. *5*. Aen. & lucos late.

mente & ingenio præditi prodiderunt. Quod quidem regina Halicarnaſſi a, Mauſoli uxor, Arteniſia fecit prudentiſsime: cui quaſi non ſatis fuiſſet in ſua condidiſſe viſcera delibutos odoribus, & infuſos aqua mariti cineres, illudque ad cælum extuliſſe ſumptuoſiſsimum monumentum & magnificentiſsimum, quod inter ſeptem numeratur orbis terrarum miracula, viſum illud etiam eſt faciendum, vt ampliſsima proponeret inter poëtas atque oratores præmia, ei qui coniugis ſui laudes pleniore, vt dicitur, ore, celebraſſet. qua in re, multorum ingeniis ac ſtudiis, lingua ſcimus eſſe calamoque certatum. quod etiam in hac ipſa vrbe ſeruabatur conſtantiſsime ab eo, qui ad vicem eius qui emigraſſet e vita, proxime accederet. habebatur etiam funebris oratio, non in virorum modo clariſsimorum laudem, ſed in primariarum quoque feminarum. qui mos hodieque manet in Chriſtiana republica, nec ſine pietate viuorum, & cum inſigni mortuorum commendatione. Quas enim, oro te, lacrimas & excitaſti aliis & tu ipſe effudiſti, Aſcani Columna vir Romanorum eloquentiſsime, in laudatione tua plane admirabili ſereniſsimæ & lectiſsimæ reginæ Annæ vxoris regis illius inuictiſsimi, & optimi, cuius maieſtatē. pietatem, amplitudinem nulla vmquam ætas non dico videre oculis, ſed ne fingere quidem animis, & optare votis, & cogitatione informare potuiſſet? quantam tu ea ex oratione laudem qui dixiſti, quantam nos voluptatem qui legimus. quantam denique cōſolationem ſanctiſsimæ feminæ vir ſupra hominum iam euectus dignitatem ac prope naturam Philippus, liberique parētibus digniſsimi, iique omnes quibus eam audire contigit.

tigit, perceperunt? Auderem dicere a te vno inter mortales immortalitatem quamdam donatam eſſe mortua, quam immortalibus omnino laudibus extuliſti: ſed faciendum eſt, vt contraham orationis vela, teque ipſum hac in re imiter, qui, vt de a *Timanthe pictore dicitur, vis illud facere, & efficis: vt quemadmodum in illius operibus, ſic in tuis tum factis tum etiam dictis multo plura ineſſe ornamenta intelligant magni viri ac ſapientes, quam aut a te dicatur, aut videatur ab omnibus.*

a Plin. lib. *35*. cap. *10*.

Ego autem hæc fere habui quæ dicerem hodie de funebri Romanorum pompa, non polite, vt fateor, neque ſubtiliter: qui enim id poſſem, in his vel anguſtiis temporis, vel tenebris antiquitatis? ſed tamen quæ tibi prudenti rerum exiſtimatori, ſi non propter rem ipſam, at certe propter conatum, accepta fuiſſe, nec iniucunda, non dubitem. Reliquum eſſet, vt de hodierna tua erga nos humanitate gratias agerem, quas debeo; ſed

Non hæc mihi vis: non tibi talium
Res eſt, aut animus deliciarum agens.

te obſecro autem, atque obteſtor, quem ſemel bona tua cum venia cum diuinis pingendi artificibus contendere & comparare cœpi, vt hac etiam in re Zeuxin imitere, qui opera ſua, quæ ſatis digno pretio permutari non poſſe intelligebat, haberi malebat muneris loco. fac enim, pro eo quantum in te eſt humanitatis, vt quoniam dignas tibi gratias agere nec poſſum, nec audeo, earum mihi remittas & neceſſitatem & laborem: meamque accipias voluntatem in perpetuum amplitudini nominis tui deuinctiſſimam.

FRAN-

FRANCISCVS BENCIVS.
E SOCIETATE IESV.

De ſtylo & ſcriptione.

STYLVM *& ſcriptionem ad eloquentiam comparandam eſſe rem vnam ex omnibus vltiliſsimam, maximeque neceſſariam, nemo, opinor, neget; qui & hoc ipſum certo iudicio ponderet, & meminerit nullam artem ſine aſsidua quadam tractatione & exercitatione percipi poſſe. Laborioſum ſine dubio & moleſtum videbitur inertibus: ſed laborem ipſum, ac moleſtiam, facile abſolutum opus, & incredibilis quadam ex ipſius abſolutione delectatio, compenſabit. Audierit multa ſeu potius omnia rhetorum præcepta ingenioſus adoleſcens: legerit non ſolum oratores, ſed hiſtoricos etiam ac poëtas plurimos: magnam ſibi ex omnibus, quæ legit, vidit, audiit, ſupellectilem conquiſierit: philoſophorum fontibus Rhetoricæ agros irrigauerit: hæc omnia profecto, niſi aſsiduo ſtylo illuminentur, niſi quotidiana ſcriptione ſaginentur, orationem facient ita ſiccam atque horridam, vt ceterum illum nitorem, ſi non extingui, at certe obſcurari neceſſe ſit.*

Namque, vt Theonis exemplo vtar, quid prodeſt

pingendi ſtudioſo, præclaras Appellis, Protogenis, Antiphili formas diu & multum inſpexiſſe, artem & lineamenta dilaudaſſe, ſi non manum admouerit ad opus, & excellentis alicuius pulchritudinis effigiem adhibita opera ac diligentia tentarit penicillo exprimere? Excellens porro eloquentiæ ſpecies, non adumbranda tantum, verum etiam coloranda eſt. quod numquam fiet, niſi naturæ præſidia & inſtrumenta doctrinæ diligens & aſsidua ſcriptura confirmabit, vel fortaſſe corriget vitia, atque adeo ſuperabit. Nemo naſcitur artifex: ſed ita paulatim oportet contendendo, laborando, ſeſe quotidie ad optimæ orationis formam limando, proficere, vt tandem ars ipſa in naturam prope conuerſa videatur.

Stylus, ait Cicero primo de oratore, eſt optimus ac præſtantiſsimus dicendi effector & magiſter. ad quam illius ſententiam, tanta ex L. Craſsi talis ac tanti oratoris perſona, qui eam quaſi effatus introducitur, acceſsit auctoritas, vt iam prope oraculi vim & grauitatem obtineat. Neque id iniuria, Nam vt auditionem adiuuat lectio, lectionem commentatio & cogitatio, ita hæc omnia, non tantum adiuuat, ſed vincit, accurata & ſollers ſcriptio, in qua ſunt omnia. Neque eſt quod quiſquam ſibi blandiatur, aut tantum tribuat ingenio, vt exiſtimet ſe poſſe ſine ſcribendi labore ad veram læ dicendi gloriam peruenire. ſunt iſtæc ſecularia deliramenta puerorum, quibus nihil eſt ceſſatione iucundius. Neque enim ſemen vllum, quamuis bonus ager & fertilis, magno reddet cum fœnore, niſi illud gremio mollito, atque altius ſubacto ſparſum acceperit. excolenda bonitas ingenij ſcriptione: & ſi qua eſt in vbertate, vt in herbis ruſtici ſolent dicere, luxuries,

ſtylo

ſtylo depaſcenda eſt. Quæ ſtatim ſe effundunt, & quaſi herbeſcunt, vt abortiones & immaturi quidam fetus, continuo extinguuntur, & exareſcunt. Nolim affectari a quibuſdam, quæ multis impoſuit, laudem celeritatis. Scitum eſt enim verbum illud, quod a Græcis circumferebatur ἡ κύων σπεύδουσα τυφλὰ τίκτει. & certe nulla res eſt tam inimica conſilio, quam feſtinatio, quæ plerumq; ita turbat omnia ac miſcet, vt cum reprehendenda ac reuocanda ſint ea, quæ nimium properata exciderunt, Platonicum illud mirifice in feſtinantem conueniat, σπεύδων ταχὺ μᾶλλον βραδύνει.

At pulchrum eſt & glorioſum quod ſolemus ebullire nonnumquam, id quod etiam de Lucilio alicubi tradit Horatius, ſtantem pede in vno ducentos verſus componere, atq; illud etiam præſeferre. Recte ſi ea ſcribere meditaris, quæ quaſi ſolſtitialis herba, eodem die quo oriantur, occidant. Erit porro iſta lutulenta, non luculenta ſcribendi ratio. nolim erres: neque enim fieri poteſt, vt purus ac liquidus fluat, qui incitatus fertur ac rapidus torrens, multaque eiuſmodi rapiat oportet, quæ non facilem quidem curſum indicent, ſed præcipitem. Multa erunt in eiuſmodi oratione curta, mutila, hiantia, multa ſuperuacanea, multa præpoſtera multa minus commode & ieiune dicta, inepta multa, non limata neque polita, multa denique, quæ non tantum auditorem aut lectorem, ſed auctorem etiam ipſum, vbi ille ſcriptionis, in qua ſuum eſt vnicuique pulchrum, deferbuerit calor, offendant. Incredibile eſt quã multa in illo animi impetu & quaſi cæcitate homines fallant. At ſciãt boni rerum exiſtimatores, me curſim & σχεδιάζοντα ſcripſiſſe. Quid affert feſtinationem? quæ porro laus eſt ſcripſiſſe celeriter, ſed male: & dum

vitio-

vitioſum colligis, verum ſanguinem corrumpere? At ego libero te iſta cura, vt mihi perſuadeas, rem eſſe aliquam ita exiguo tempore exaratam, vt conſiderandi ſpatium, ſcribēdi celeritas abſtulerit. res ipſa loquitur: neque tamen excuſat factum, ſed accuſat conſilium.

Memoriæ proditum eſt, imperitum quemdam, & vt eum eſſe oportuit qui ex celeritate famam quæreret, ineptum pictorē, Apelli, illi, in quo & ars & natura, quid poſſent in pingendi artificio, videntur experta, oſtendiſſe imaginem, quam ſubito a ſe & quaſi ex tempore pictam eſſe diceret. expectabat videlicet homo vaniſsimus, dum a laudatiſsimo artifice, artificij laudem ferret. Verum res aliter multo cecidit. vix Apelles inſpexerat, & te tacente, inquit, muta ipſa imago clamat, quam feſtinanter ſit facta. Illud admiror; qui non potueris eodem colore & penicillo plures depingere. Quanto illud conſideratius & cautius, lente ac pæne faſtidioſe probare omnia, ſuſtinere ſe in ſcribendo, examinare verborum omnium pondera, meditari numeros, orationem ipſam certam ad legem normamq; dirigere, vt nihil poſtea ſit quod non tantum delectatione, verum etiam admiratione afficiatur? At pauca longo tempore ſcribentur. Sed optima, ſed pulcherrima, ſed ad æternum prope tempus duratura. Nihil voluit natura, quod magnum eſſet futurum, cito fieri: & diuturnis non tantum arboribus, verum etiam animantibus, longum præſcripſit tempus, vt exirent in lucem. Tarde enaſcitur, quamuis diligentis cultura agricolæ, ſeris vmbram factura nepotibus cupreſſus: ſed multas hominum ætates & ſecula ſuperabit. Decem annis fama eſt ferri vterum ab elephante: ſed huius grauiditatis vſuram trecētorum annorum vita compenſat.

penſat? Iſocratis Panegyricum decem minimum annis elaboratum ferunt: ſed fert ætatem.

Totidem annis ab Ælio Cinna libellum, cui Smyrnæ nomen, perſcriptum fuiſſe accepimus: ſed quanta fuerit integri operis ſpecies, ex paucorum verſiculorum, qui ex antiquorum monumentis, quaſi gemmæ e profunda terra eruuntur, pulchritudine, vt de laniati Hippolyti corpore dixerunt poëtæ, conijcere licet. Conſtat virum diuini propemodum ingenij, a quo vno ſummum videtur impoſitum Poëticæ faſtigium, P. Virgilium Maronem, ita difficilem ac moroſum fuiſſe in iis, quos ſcriberet, verſibus recognoſcendis, ac retractandis, vt vrſæ partum imitari diceretur, quæ acerbos, vt aiũt, & inchoatos fetus enixa, ita paulatim lambendo, mulcendo tractando artus ſingulos effingit lingua, vt tandem ſpecies omnis, & oris lineamenta, quæ toto confuſa latebant corpore, emergant vt minus mirum ſit, decem tam breues ab eo eclogas triennio ſcriptas: quattuor de re ruſtica libros ipſis ſeptem annis compoſitos: diuinam denique Æneida, quam vndecim anni elimauerant, quaſi abortum quemdam & partum imperfectum, ab eo exponi, id eſt cremari iuſſam: neque quidquam cum morientem tam male habuiſſe, quam quod tam magno operi, cuius maieſtatem ſatis admirari non poſſumus, extremam quaſi manum, & vltimum perpoliendi laborem adhibere non potuerit.

At nos nullius rei homunculi, qui nec quanta fuerit tot virorum prudentia, & in ſcribendo elegantia, ſuſpicari poſſumus, non ferentes cogitandi laborem, nobis tum maxime placemus, illud palmarium arbi-

ſed diurnum, atque
ita dicam, infelix,
lucem aſpexerit, con
potius eiicimus. N
numquam e menti
monemur, in nonun
quod ſemel promer
officina, limari, acc
perpoliri, atque exac
nit in manus homin
ret: ſi reuoces, non
tuere non poſsis, reli
rigendi locum. At
ctatus equus & n.
coërceri vix queat
reprimatur habenis
ditationiſque compe
Quo facto non m
impetus noui curren
exaudio. obiicitis qu
tore Antonium dicen
leſcente fecunditas: n
uocantur ea quæ ſeſe
nihil valet materies,
tur: ita volo eſſe in a
Recte vos quidem,
loci Antonius de ſty
etſi ego vobis tribuo,
vobis non adſciſcere:
mero ſcriptorum &
bendi & ratione ſpe
ligentia vix fieri pote

Digitized by Google

ſed diurnum, atque etiam, ſi Deo placet, horarium, vt ita dicam, infelix, & male natum opus ſimulatque lucem aſpexerit, continuo periturum, effundimus, aut potius eiicimus. Neque Horatij vocem, dignam quæ numquam e mentibus euellatur, meminimus, qua monemur, in nonum annum premere aliquod vnum, quod ſemel promere debeamus. quamdiu opus eſt in officina, limari, accuratius emendari, augeri, minui, perpoliri, atque exacui poteſt. vbi editum eſt, & peruenit in manus hominum, etiam ſi reprehendas, non paret: ſi reuoces, non audit. ita cum in integrum reſtituere non poſsis, relinquit potius pœnitendi, quam corrigendi locum. At exultat ingenium, & quaſi intractatus equus & nouus, præfidit ſibi, vt regi diutius & coërceri vix queat: ſuſtineatur, ne ſeſſorem excutiat: reprimatur habenis diligentiæ, & in gyrum ſtyli meditationiſque compellatur.

Quo facto non mora quidem afferetur curſui, ſed impetus noui currenti. At quid hoc loco vos inter vos? exaudio. obiicitis quod M. Tullius in ſecundo de oratore Antonium dicentem facit: Volo ſe efferat in adoleſcente fecunditas: nam facilius, ſicut in vitibus, reuocantur ea quæ ſeſe nimium profuderunt, quam, ſi nihil valet materies, noua ſarmenta cultura excitantur: ita volo eſſe in adoleſcente vnde aliquid amputem. Recte vos quidem, & memoriter. at non loquitur eo loci Antonius de ſtylo, ſed de ingenio: cuius laudem etſi ego vobis tribuo, tamen veſtræ modeſtiæ eſt illam vobis non adſciſcere: eius porro vbertas, non ex numero ſcriptorum & multitudine, ſed ex modo ſcribendi & ratione ſpectatur: nam quauis adhibita diligentia vix fieri poteſt, vt nimium cito maturitatem

adoleſcentis ingenium conſequatur: cuius, vt in vite, luxuria amputanda eſt. Age vero, quoniam hoc vrgeor exemplo. Fingite animis veſtris adoleſcentes (ſunt enim liberæ cogitationes hominum) ad vitem ſenſum acceſſiſſe, vt appetitiones habeat, motuſque voluntarios: quid facturam putatis? an non ſe ipſa circumcideret, amputaret, erigeret, extolleret, & quæ nunc per vinitorem conſequitur, ſuapte ſponte curaret? vt non ſit laus homini rationis non tantum ſenſus participi, naturæ impetum ſequi, ab eo ſe abſorberi atque obrui permittere: quæ vt benigne donet alicui aliquid & prolixe, commodum tamen ſemper aliquod maiore adiuncto incommodo muneratur.

Audite quanto ſapientius apud Ciceronem eumdem, primo de oratore, de quibuſdam, qui linguæ celeritatem incitabant, & verborum frequentia delectabantur, loquatur oratorum ille ſui temporis præſtantiſſimus L. Craſſus. In quo fallit eos, quod audierunt dicendo homines vt dicant efficere ſolere. Vere enim etiam illud dicitur, peruerſe dicere homines, peruerſe dicendo, facillime conſequi. Cum enim quod natura & integrum inchoatum dedit, non perficiatur arte, mala illa celeriter & multum ſcribendi conſuetudine, ad inſignem quamdam & inſanabilem deformitatem prauitatemque peruenitur. vtpote quod natura imperfectum procreauerat, peruerſa quædam exercitatio aluit, confirmauit non tantum fuga laboris, verum etiam illa, qua omnes laboramus φιλαυτία. Non ſunt corrumpenda bona ingenij, ſed meliora facienda diligentia. Quæ in ſcribendo mora & cunctatio, etſi omnibus neceſſaria eſt, iis tamen maxime, qui ſunt in veſtibulo artis addiſcendæ. Demus operam principio

vt opti-

ut optime ſcribamus, mox fiet ut celeriter: facilitatem dabit conſuetudo, quæ non tantum laborem minuit, ſed etiam auget ingenium. Neque eſt quod quemquam *ſententiarum delectus verborumque conturbet. ipſa, qui hac primum ſe ratione exercuerint, iis occurrent ſcribentibus: ipſa inquam ſe offerent & reſpondebunt non vocata. Qui ab hac meditandi omnia, expendendi, ſeligendi, & ſui ipſius ſuſtentandi moderatione, ad ſcribendum ſe dederit, hanc afferet facultatem, ut etiam ſi cupiat, non optime ſcribere non poſſit. quemadmodum equus, qui etſi quibuſdam compedibus obſtrictus certam inceſſus rationem & quaſi palæſtram didicit, etiam ex illis emiſſus vinculis, ac ſolutus, eumdem tamen motum eamdemq; incedendi diſciplinam tenet. Atque hæc de celeritate ſcribendi exercitatione fugienda dixiſſe ſit ſatis.*

In quo capite propterea mihi vehementius fuit ac diutius laborandum, quod cenſerem perfectum plane opus eſſe, ſi hac diſputatione admoniti abiiceretis illam inimicam elegantiæ negligentiam, illam ſubito & prope ex tempore quicquid in ſolum aut in buccam venerit effutiendi impudentiam. quibus enim perſuaſum eſt, ut malint lenem orationem & placidam, quam præcipitem ac profluentem loquacitatem, iis reliqua facilis erit doctrina. Vbi igitur in animum induxerit dicendi ſtudioſus adoleſcens præſtare bene ſcribere, quã cito; antequam coniiciat ſe ad ſcribendum, oportet animo præmeditatam & quaſi dimenſam habeat formam orationis in qua, ut ita dicam, exædificanda ponendus eſt labor. Nolim *quemquam veſtrum ita eſſe nullius conſilij, ut quod primum ſit ſcripturus verbum neſciat: ſed ſperet, ſe, cum primum calamus con-*

caluerit, abundat urum & verbis & ſententiis. fame profecto moriatur is, qui cum conditi nihil coctiue habeat, lautus tamen & vnctus ita accumbit, vt credat, ſimulatque inclamarit, exquiſitas ſibi epulas, quibus affatim veſcatur, præſto futuras. Vos autem, ſi me ipſum non nihil in his rebus intelligentem, immo vero ſi omnes dicendi magiſtros audieritis, longa prouiſione animi res ante præparatas habebitis, ordinemque deſcriptum: tum vero verba apte ſtruentur, & collocabuntur ſententiæ: & facile ſuppeditabit omnis apparatus ornatuſque dicendi: & quo maior erit honeſtas in rebus, eo maior exiſtet ex rei natura ſplendor in verbis.

Sed hoc loco admonendi eſtis puerile quoddam conſectarium Solent quidam: ſane perridicule, ſtudio pingendæ orationis, ſeligere quoſdam forte ex M. Tullio (ne dicam ex Mario Nizolio, aut ex putidis & vetuſtate ſubrancidis aliorum aduerſariis) floſculos: colligere certa pigmenta & medicamina, quibus etiam ſi res non ferat (recte enim an ſecus quid ad rem?) conſumptis arculis abutantur: iiſque omnibus non dico inſertis aut impoſitis, ſed illatis atque adeo intruſis, quicquid veniat ad manum, nullo adhibito conſilio infercientes, faciunt inanem quamdam & fucatam orationem, quæ nulla verbis illis ſubiecta ratione aut ſententia, non tantum quemadmodum tonitrua ſine ictu concrepat, verum etiam vt ægrorum ſomnia ſine vlla partium coagmentatione, aut ordine, portentum ac monſtrum videtur. vt neque quid dicat intelligas, neque quid audieris recorderis. tantum agnoſcas quãta ſit vani hominis tum ſtultitia, qui non imperet paucis quas corrogauit dicendi formulis, ſed pareat:

tum

tum etiam inopia, qui omnibus quæ habere videtur ornamentis, aut potius ſcrutis, in vnum congeſtis, ita oneret ſcriptionem potius quam ornet, vt ſi quid ſit præterea aliud ſcribendum (tamquam actores fabularum, vt vni perſonæ addant, alteri detrahunt, vt vnam induant, exuunt alteram) eadem vſurpare ac repetere cogatur. Iocularem, vt dixi, licentiam, & in ſumma mendicitate oſtentationem opum irridendam, & miſerabilem inſcitiam dicendi. quo facto & ingenia obtunduntur adoleſcentium & corroboratur impudentia. Sed nolo pluribus hunc locum vrgere.

His poſitis, vt modeſtus adoleſcens ac recte inſtitutus conſtituerit nolle inconſulte ac temere aliquid ſcribere, nolle indulgere ingenio, nolle nouam & quaſi de muſto & lacu feruidam orationem diffundere, conſiderare velle non ſortiri quid dicat, & ante partes materiæ ad argumentum ſubiectæ perluſtrare omnes animo & quaſi concoquere: illud proxime ſequitur, vt nihil humile aut abiectum cogitet, neque ita ſe conferat ad ſcribendum, vt ſatis futurum putet, ſi effugiat reprehenſionem hominum prudentium: nam vt laudetur, ne optare quidem audeat. Parui illud animi eſt & obſcuri ingenij numquam ad lucem emerſuri: quod etiam minus conſequetur, quam cupiat. ita enim natura comparatum eſt, vt omnibus in rebus cupiditate contentio, contentione ſit minor euentus: quod vel eorum exemplo declaratur, qui cum eminus certum in locum dirigant tela, aliquanto altiorem fixo oculorum obtutu deſignant ictum, quam ſit illud quod petunt. Audite adoleſcentes, quid hac in re magnus ille, qui dum de elato dicendi genere præcipit, elate admodum & copioſe loquitur, Longinus Dionyſius præci-

piat. Reddam Latine, vt potero, vt intelligi a pluribus minore negotio poſſim. Ait enim.

Et noſtram igitur, ſi quando magnum aliquid & magnificum ſcribere meditamur, illud maxime adiuuabit & exacuet induſtriam, ſi illa nobis cogitatio occurret: Quid hic, oro te, Homerus egiſſet, ſi ad eum tale delatum eſſet argumentum? Quam eleganter hoc expreſſiſſet in dialogis Plato, aut in oratione Demoſthenes, aut in hiſtoria Thucydides? Eiuſmodi perſonarum quaſi inductio neſcio quomodo exuſcitat ſcribentium animos ad eorum virorum imitationem, quorum ſpeciem mente depingimus. Neque vero hoc non magnum erit incitamentum, ſi identidem hæc reuoces in animum: Si hæc a te præſentibus Homero ac Demoſthene dicerentur, quo vultu ferrent? probaturos ne illa, an potius aſpernaturos putas? Nimirum magnum eſt illud theatrum, ſi proponas tibi tales viros audientes: magnum negotium & contentionem ſuſcipit, qui quaſi in iudicium veniat ingenij & eloquentiæ, in tanta ſapientiſſimorum iudicum & teſtium corona, apud quos difficile ſit non offendere, ſtatuit ſibi eſſe dicendum. Maxime autem omnium ad incendendos animos etiam flagrantiſſimos valet, ſi in hac aliquis mente & cogitatione verſetur: Quodnã erit omnium, quæ poſt me futura ſunt, ſæculorum, de præſenti ſcriptione iudicium? Magnum quidem preceptum ac difficile, ſed, ſi adoleſcentium noui impetum animi, cupiditatem diſcendi, ardorem mentis ad gloriam, ad meos auditores inflammandos maxime accommodatum.

Recte enim apud Liuium, magnum illud Romani imperij lumen, & fulmen belli, P. Scipio, qui poſtea oppreſſæ Africæ laudem cognomine præſetulit: Maximo,

inquit, cuique id accidere certum animo habeo, vt ſe non cum præſentibus modo, ſed cum omnis æui claris viris comparet. Sed quorundam tacitus aſpectus, inani, vt ſpero, cogitatione percuſsit animum. Venit enim mihi in mentem, vereri, ne his dictis tardem ſtudia multorum. qui ſuæ infirmitatis conſcij, deſperabunt ſe id quod conantur conſequi poſſe, ob eamque cauſam amittent perſequendi diligentiam. Quis enim eorum, qui nunc ſunt, aut etiam qui futuri ſunt, antiquorum æmuletur ſpeciem, formamque dicendi? quorum tanta fuit excelſitas operis atque altitudo, vt vix ædificij noſtri faſtigium ipſorum exæquet fundamenta, & præclare nobiſcum agatur, ſi vnde illi moliri inceperunt, ibi nos quaſi re perfecta atque ad exitum perducta deſinamus? At non eſt quod cuiuſquam ſpes debilitetur, aut langueſcat induſtria. etiam ipſi plurimo ſibi labore ac ſudore, multis diuturniſque vigiliis, illam dicendi facultatem compararunt: etiam homines ipſi fuerunt. Quid ni liceat cuiuis homini, ad id quo aliquis aliquando hominum peruenit, aſpirare? Quid de illius viæ dubites exitu, quam tam multorum frequentem itineribus, & quaſi contritam vides? Certe non fuerunt pennis in ſublime elati. Quin, quandoquidem eſtis in eodem ſpatio, ſuis illos veſtigiis perſequimini? Nihil volenti difficile. Ad ſumma contendite.

Sed interea illud tamen recordamini, omnium rerum magnarum parua eſſe principia, laborem eſſe pretium artium pulcherrimarum: nec fieri poſſe, vt quiſquam perueniat ad ſumma, niſi ab humilibus inceperit. Hæc ſcilicet eo ſpectant, vt ne deſperetis, ſi acerrimæ illi & maximæ bene ſcribendi cupiditati res ipſa non

continuo reſponderit: atq; vt intelligatis, non eſſe committendum, vt celeritatis fuga, ſitis nimium lenti, & vt Callipides ille, qui aſsiduo curſu, ne vnum quidem cubitum biennio proceſſerat, in eodem ſemper veſtigio hæreatis. Neque enim laudandus eſt nauis gubernator, qui vt vnum ſcopulum vitet, alterum offendit. Inutilis eſt illa quidem nimium calida & incitata feſtinatio: ſed neque vtilis eſt, & ſimiliter fugienda, languida quædam & affectata moroſitas, qua quidam ſibi vt omnia faciant, nihil tamen facere videntur: verba omnia quæ in mentem veniunt aſpernantur, quæ diu quæſiere contemnunt: & tamquam ſemper lateat aliquid quod ſit attentione, diligentia eruendum, nec rapiunt quod primo occurrit, nec ſciunt accipere quod inuenerunt: omnia mutant, omnia inducunt, omnia reſpuunt: quaſi delere diſcant, non ſcribere: & accuſantes ingenij tarditatem, ita animos demittunt & contrahunt, vt nec poſsint illos erigere, nec explicare orationem, ac nimiam curam bene dicendi ſilentio vlciſcantur, ita, ſibi diffidentes & deſperantes id aſſequi poſſe quod volunt, neq; id ſequi volunt, quod poſſunt. Narrat M. Fabius quiddam ſe de Iulio Secũdo æquali ſuo, quo plurimum vtebatur, audiſſe, quod, quoniam hanc ad rem, qua de agimus, maxime pertinet, proxime ſubiiciam. Dabat operam eloquentiæ Iulius, cum eſſet ea ætate, qua vos eſtis. Erat ei patruus Iulius Florus, cui, in dicendo, Galliæ, vbi profitebatur eloquentiam, primas dabant, vir certe ingenij & orationis laude excellens. Rediit e gymnaſio adoleſcens, eo vultu, ea fronte, vt facile debilitatio quædam atque abiectio animi emineret.

Quæſiit patruus, ecqua eſſet cauſa mæroris. Hic

Secundus, vt erat apertus ac ſimplex, quaſi ſciſſus eſſet ea percontatione dolor, diſsimulare non potuit. Tertius, inquit, hic abiit dies, ex quo, argumento ad ſcribendum propoſito, etſi omnem laborem atque operam in eo poſui, nullum exordium inuenio. ita non tantum præſens me cruciat ægritudo, verum etiam deſperatio futuri temporis. Nimirum abiiciam cum perficiendi ſpe, experiendi voluntatem. Tum ſenex moderatus & conſtans, leniter arridens, hoc tantum. Num tu melius dicere vis, quam potes? quo dicto incredibile eſt quam ſubito erexerit animum adoleſcentis, atque ab omni ſolicitudine abſtraxerit: non enim non ſcribendo, ſed dando operam vt ne male ſcribamus, male ſcribendi reprehenſionem effugimus. Non poteſt rudis atq; integer adoleſcens, ſummorum oratorum, quos etiam ſuperare contendit, præſtantiam imitari: non eſt quod deterreatur a ſcribendo: creſcet cum ætatis atque exercitationis progreſſu facultas. etenim erat Æneæ plenior gradus e patriæ incendio fugientis, & qui patrem in humeros extuliſſet, eum vt incolumem perferret, incitatior: ſed tamen cum ſe patris dexteræ paruus Iulius implicuiſſet, non æquis paſsibus ſequebatur præeuntem. Diligentia quantum potes, labore plus pene quam potes, cõtende, vt plus quam facias, facere omnino non poſsis: deinde vero illud ſequetur, vt te quantum quãtum feceris minime pœniteat. Nam ſæpe etiã nimiam nocere diligentiã ab Apelle didicimus, qui cum in reliquis parem aut forte ſuperiorem Protogenem agnoſceret, hoc præſtare ſe illi gloriabatur, quod is manum de tabula tollere neſciret. Prodeſt quidem, vt dixi, cum, qui ſcribit, in ſe inquirit diligenter, atque ipſe ſeſe obſeruat: ſed ſi hoc fiat ſupra modum, tam fere in vitio

 pona-

ponetur, quam illud, animi quodam impetu, & ſine cogitatione ferri, vt præceps atque impulſa ſemel oratio nullum reperiat locum conſiſtendi. Age quoniam ſcribendum eſſe, & conſiderate ſane & diligenter ſcribendum, oſtendimus, quæramus paucis, ſi placet, quam ſæpe ſcribendum. Et vero huius quæſtionis, quoniam ſequimur veterum ſententias, facilis ac breuis explicatio eſt.

Aſsiduam illi & quotidianam ſcriptionem non ſolum laudant, ſed præcipiunt: ita vt quemadmodum ille idem Apelles numquam tam occupatum diem habuit, quin eo die duceret lineam, ita nullus effluere debeat dies, in quo, is qui eſt tam excellenti ſtudio deditus, non aliquid commentetur & ſcribat. quod niſi perpetuo ſeruetur, verendum ſit, ne quæ ſingulatim ac diu collecta ſunt, vno tempore vniuerſa perdantur. Cymbam aduerſo flumine remis propellimus: ſi paullum inhibebimus, neque vrgebimus curſum, eodem præcipitantis amnis impetu feremur, nec ita multum prouecti, reiiciemur in eum ipſum locum, vnde conſcendimus. Sed ad rem propius accedamus.

His igitur cogitationibus ac præceptis imbutus amator eloquentiæ, qui ſibi perſuaſerit nihil eſſe melius, quam omne ſtudium atque ingenium ad bene ſcribendi laudem conferre, ſuumque nomen ſcriptorum gloria poſteritati commendare, vt hinc incipiam, eam paginam deligat, in quam facile imprimantur litteræ, ne exarandi difficultas moretur ſcribentis manum, & cogitantis impetum frangat: omnes deinde eius partes, & vt ita dicam, regiones, ita definiat & circumſcribat, vt facile ſit & inter verſus (qui laxius, medio ſcilicet relicto ſpatio, ſcribi debent) aliquid interpolare

atque interiicere, & ad extremas oras etiam ſi opus fuerit, adſcribere. experti enim ſæpiſſime ſumus, quam emendationem impediant pagellarum anguſtiæ, & quæ arcte referta ſunt, quanta cum ſcribentis moleſtia nouorum interpoſitione confundantur. Proderit etiam interdum oculos mentemque conuertere ad iuſtum orationis, eius præcipue, quam vt habeatur ſcribimus, modum, ne plus debito creſcat. haud enim facile quiſquam crediderit, quam ſit res multi operis, ac magni laboris, orationem iam compoſitam circumcidere, vt dictio præfiniti temporis breuitati reſpondeat: quam ſæpe etiam inutilis, cum e corpore amputatur aliquid neceſſarium, & reſecari aliquid non poteſt, quin appareat cicatrix. ita non minus magna virtus eſt, quod dicebat Scaurus, ſcire deſinere, quam ſcire dicere.

Danda præterea diligenter opera eſt, vt perſcribantur omnia, recte, diſtincte, ſcite, eleganter, appoſite, litterate, cum aptis inciſis, interſpirationibus, interpunctis, ſine vlla litterarum nota, aut compendio, niſi vbi ratio poſtulet: elementis inter ſe, etiam ſi coëant in diphthongum, ſeiugatis: nec vero grandioribus, niſi vbi ſint nomina quæ dicuntur propria, & omnino terminata ſuperiore ſententia, noua rerum capita conſequantur. quod inuitat atque allicit hominem ad legendum, adiuuat legentis intelligentiam, indicat prudentiam artemque ſcribentis: efficit præterea, ne aut obſcurior atque perturbatior, neue iuſto longior ac diſſipatior comprehenſio fluat. Quid plura? haud facilis exiſtimatio eſt, quantum ſit in hac re momenti ad exercitationem & ſtylum, quo maxime, vt dicebam, limatur & formatur oratio. Deligenda autem ſunt

verba

verba optima, ſententiæ grauiſsimæ, pro rerum dicendarum natura ac differentia. Danda opera, vt quæ ſcribuntur, pulchra quadam verborum conſtructione ac numero eleganter apteque vinciantur: dum tamen ne appareat delectationis aucupium, & nimium ſtudium quadrandæ orationis: quod facile exercitatione quadam & conſuetudine adhibita conſequemur. Quare iuuat interdum repetere ſuperiora, & quæ ſunt ſuperioribus proxima. ſic enim & melius cum antecedentibus conſequentia iunguntur, & cogitationis ille curſus, quem quodammodo ſcribendi contentio retardauerat, quod a curſoribus in ſtadio exclamantibus fieri vidimus, redintegratur, ac magis intenditur. Ita ex interuallo reguſtanda ſunt quę ſcribimus: nec ipſo tantum die, ſed plurimis etiam ordine ſequentibus: vt non niſi perfecta atque elaborata in manus hominum perueniant.

Sed hic duo ſunt, quorum vos admonendos, quoniam hanc diſputationem ſuſcepi, magnopere cenſeo. Alterum, vt ſiquando in altum prouecti ſecundum curſum tenetis, gaudeatis quidem proſpero flatu, ſed contrahatis interim vela: id eſt, vt ſi datur facilitas ſcribendi, vtamini: dum tamen illa ſit vobis ſuſpecta indulgentia, & vbi aura poſuit, diligentius omnia retractentur. quod ſi ab illo te æſtu abripi permiſeris, atque inconſiderate & fortuito quam plurima effuderis tamquam poſtea repetiturus, illud ſequetur, vt etiam ſi in retexenda oratione, aut numeros mutes aut verba, rerum tamen leuitas, quæ fuit principio, remaneat, neque emendari aliter, niſi forte altera fiat oratio poſſit. Idem mihi non raro accidit, & fortaſſe etiam aliis, ſed ego de meo ſenſu loquor, vt quorum emendatio-

nem in poſterum tempus reieci,ea,cum refrixit ille calor, aut facere meliora neſciam, aut magno tandem labore ita corrigam,vt nec prior illa occultetur immaturitas, & tunc demum voluiſſe potius videar emendare quod debui,quam potuiſſe quod volui. Alterum eſt, vt ſi quem in medio curſu motus ille animi quaſi ventus repente defecerit, aut ad difficilem locum & periculoſum detulerit, ne ſimul animus cum vento concidat,&tamquam facto naufragio cogitet magis, vt ſe in terram eiiciat, quam vt ex illis nauem difficultatibus expediat.Vtendum eſt remis, quando velorum vſus eſt inutilis: aduerſo vento ac reflante mutanda velificatio eſt, vt portum aliquando contingas. Dicam hoc planius.

Scribebat aliquis prompte ac feliciter. ardor ingenij conſedit. Quid hic faciet? an de ſpe conatuque depelli ſe ſinet? an multis ſpatiis in cubiculo factis, ingemiſcens.intentis oculis lacunar ſpectans,diuturna cogitatione defixus mouens plura, nihil promouens, ſe ipſe percontans, & quaſi inſuſurret aliquid alteri, ita obloquens,vt quid velit non intelligat,totam noctem nihil proficiens laborabit? quin potius attendit animum ad omnes locos, e quibus duci poteſt oratio: perluſtrat mente &cogitatione ſingula,quid cauſa poſtulet,quid res quid tempus, quid auditor, quam perſonam ipſe ſuſtineat: denique agit omnia, vt ſuam illam, ſi forte ceſſit, reuocet, ſi dormit, exuſcitet induſtriam? Sunt etiam hoc in genere alia duo vitia, neque minus fortaſſe fugienda, quæ tamen prius attigimus. dicenda ſunt enim eadem de eadem re ſæpius, atque inculcanda,vt perpetuo memineritis.

Alterum eſt eorum, qui vbi aliquid, cuicuimodi, ſcripſe-

ſcripſerunt, ita ſibi in eo placent, vt ſi forte partem inducere aut delere oporteat, ferre non poſsint: clament perdi verborum elegantiam erui oculum orationi: denique, quaſi ſua ſibi, non orationi excindantur membra, lamententur. Præclarum eſt, quod de Quintilio quodam in epiſtola ad Piſones de arte poëtica, Q. Horatius narrat.

Quintilio ſi quid recitares, corrige ſodes
Hoc aiebat, & hoc: melius te poſſe negares
Bis terque expertum fruſtra, delere iubebat,
Et male tornatos incudi reddere verſus.

Adiiciendum ſæpe aliquid eſt, in eo quod ſcripſimus, detrahendum, corrigendum, mutandum: quæ nimium ſunt inflata, comprimenda, humilia extollenda, redundantia coërcenda, ſoluta componenda, ambigua declaranda, obſcura illuminanda. quæ omnia & magnum quemdam animum, & qui primis inuentis ſuis pertinaciter non adhæreat, deſiderant. Alterum eſt vitium huic omnino contrarium, quod quidam nihil eorum, quæ ſibi in mentem venerint, probant: quod eſt faſtidij delicatiſsimi: & quaſi meliora ſemper ea ſint quæ lateant, quam quæ ſe obiiciunt quærentibus, ſe ipſos inertiæ ac tarditatis condemnantes, neque illis vtuntur quæ habent, neque illud quod quæritant, inuenire poſſunt. Adhibenda quidem eſt in ſcribendo cogitandi ſollertia ſed cum in omnibus rebus, tum præcipue in ſtylo, verum illud verbum eſt, vt ne quid nimis. Cuius præcepti tanta vis eſt, tantaque ſententia, vt non homini cuipiam, ſed Deo tribuatur. A quo ego etiam admoneor, vt finem ſtatuam diſputationi meæ.

Habetis A. quæ de ſtylo, maximo illo perfectore eloquentiæ, præcipienda pro tempore putaui: quæ, etſi multa

multa videntur, & obſeruatu difficilia, vt certe non ſunt. rei ipſius magnitudine efficietur, vt labor honeſtior, conſuetudine, vt iucundior eſſe videatur. Vtar igitur ea clauſula, qua in epiſtola quadam ad Fabium Gallum vſus eſt Cicero libro ſeptimo. Vrge igitur, inquit, nec tranſuerſum vnguem, quod aiunt, a ſtylo: is enim eſt dicendi opifex. Quod ſi feceritis, non dubito, quin iſto ingenio, ſtudio, iudicio, propediem tantos progreſſus faciatis in ſcribendo, vt non modo eam quæ de vobis eſt vincatis opinionem omnium, ſed etiam, ſi fas optare, gloriam ſuperiorum.

FINIS.